Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ
ET
LIBRORUM QUIBUS INNITITUR
CONTRA
Atheos, Polytheos, Idololatras, Mahometanos, & Judæos
DEMONSTRATA
PER
FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
ORDINIS PRÆDICATORUM
In Bononienſi Univerſitate Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS I.
Continens Librorum Novi Fœderis examen.

ROMÆ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXV.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

JESU CHRISTO
VERO DEO ET VERO HOMINI HUMANI GENERIS REDEMTORI CHRISTIANÆ RELIGIONIS AUCTORI.

VERAM *Eccleſiam ſanguine Tuo fundatam, ac Tuo Divino ſpiritu gubernatam à calumniis eorum, qui ſub reformationis ſpecie eam deformare in dies tentant; & proprio ſpiritu quaquaversùs ducti, deſerto Paſtore à Te*

Digitized by Google

conſtituto, ſegreges à ceteris ovibus facti, errantes ac palabundi nullibi pedem figentes, huc illucque diſcurrunt; quantum potui gratiâ Tuâ auſpicante vindicare ſategi, Tuoque Nomini conſecravi. Nunc ad Thronum Divinæ Tuæ Majeſtatis ſupplex ac provolutus iterum accedo, me ipſum, & qualecumque hoc meum opus humillimè exhibens, in quo quidquid veri bonique eſt, Tuum eſt, qui ſolus veritas ac bonitas es. Non enim ſatis me egiſſe exiſtimavi, niſi etiam ex aliarum ſectarum, quæ Te non noverunt, & Nomen Tuum non invocant, falſitate, Religionis, quæ Te habet Auctorem, veritatem demonſtrarem, ut hac omnibus patefactâ, Populus qui adhuc ambulat in tenebris, videat lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux Tua oriatur; ac tandem fiat, ut in Nomine Jeſu omne genu flectatur Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS *in gloria eſt Dei Patris. Hic præſentis operis eſt ſcopus; nimirùm, Tui Sanctiſſimi Nominis glo-*

Digitized by Google

gloria. Tu igitur, qui dixiſti ſine me nihil poteſtis facere, adſis oro, ut quod intendo perficiam: Fac, *ut & ego dicam omnia poſſum in eo, qui me confortat, & ſi quid laboravi, repetam, non ego, ſed gratia Dei mecum. Supereſt, ut opus iſtud Tuâ clementiâ ſuſcipere, & Tuâ gratiâ indeſinenter me adjuvare digneris, qua in Tua, quam defendi, Religione, fide & opere perſeverans, conſummato præſentis vitæ curſu ad æternam gloriam, quam Te ſequentibus promiſiſti, valeam pervenire: Quod per merita Paſſionis Tuæ humillimè deprecor.*

F. Vincentius Ludovicus S.R.E. Cardinalis Gotti
Ordinis Prædicatorum.

IDEA

Digitized by Google

Digitized by Google

IDEA ET FINIS OPERIS

IN maximo Religionis negotio duo accuratè conſideranda ſunt. Unum, ut ex tot, quæ mundum occupant, quæque Religionis titulum ſibi vindicant, ea, quæ vera ſit, eligatur. Alterum, ut verâ Religione ſemel electâ, ejus dogmatibus fideliter, ac immobiliter adhæreatur, & in obſequium fidei, quam ipſa tradit, intellectus captivetur. A primo defecerunt quotquot, vel Deum non cognoverunt, vel cùm cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt (ut ait Paulus Rom. 1. à verſ. 21.) *Sed evanuernnt in cogitationibus ſuis .... Et mutaverùnt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedium, & ſerpentium*. Ejuſmodi fuerunt, & ſunt Polythei omnes, qui dum plures Deos admittunt, Divinitatem tollunt: & præſertim Idololatræ, qui eam uſque ad homines, imo & uſque ad animantia bruta, eorumque imagines dejiciunt. Hi enim omnes evaneſcentes in cogitationibus ſuis, dum dicunt ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt. His accen-

ſen-

Digitized by Google

ſendi ſunt Mahometani, & Recentiores Judæi, qui licèt unum Deum ſe colere aſſeverent, eum tamen non ſicut Deum glorificant, nec ei, ut oportet, gratias agunt.

A ſecundo autem declinant Hæretici omnes, qui à vera Religione, quam profeſſi ſunt, deſertores facti, ejus magiſterio obſequi pertinaciter recuſant, ac derelinquentes *fontem aquæ vivæ foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas* (ut ait Jeremias c.2. v.13.) Propterea monet S. Auguſtinus Lib. de vera Religione cap.5. *Neque in confuſione Paganorum, neque in purgameutis Hæreticorum, neque in languore Schiſmaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda eſt Religio; ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, & Orthodoxi nominantur, ideſt integritatis cuſtodes, & recta ſectantes.*

Porrò cùm veram Religionem non eſſe quærendam apud eos, qui Religioni Chriſtianæ per Baptiſmum initiati, à Fide Catholica, & à cœtu fidelium, qui eſt Eccleſia, per hæreſim, aut ſchiſma receſſerunt, abundè demonſtraverim in *Vera Eccleſia* contra Apologiam pro Eccleſiis Reformatis à *Jacobo Picenino* Calviniſta editam; oſtendens, Eccleſias Heterodoxas, nec characteres, nec dogmata veræ Eccleſiæ, ac Religionis à Chriſto inſtitutæ ſibi vindicare poſſe: quod & de cæteris, quæ quovis ſæculo hæreſes emerſerunt, in Theologia Scholaſtica dogmatica ſuis locis ſparſim præſtiti: Supereſt nunc, ut ad Paganos, alioſque Chriſtum verum Deum, veramque eſſe ejus Religionem ne-

Digitized by Google

negantes ſermonem convertam. Quanti enim fecerint ſuam Religionem Pagani, ſatis demonſtrant perſecutiones, quibus Apoſtolos, alioſque Chriſti Confeſſores inſectati ſunt, adeo ut nihil omiſerint, ut eos è terrarum Orbe delerent. Quanti etiam ſuam Religionem faciant Mahometani, propterea ſe ſolos Munſulmanos, ideſt fideles eſſe gloriantes, qui de aliena Religione nec audire volunt differentem. Quanti demum ſuam faciant Judæi, eam contendentes inſuperabili pertinacia adhuc eſſe veram, omnibus compertum eſt. Quamobrem, ut rem hanc penitus, ac pro dignitate abſolvam, ſtatui, contra hos omnes demonſtrare, unicam Religionem Chriſtianam eſſe veram, ſolam ſalvos facere credentes; reliquas verò omnes eſſe ſectas à Deo reprobatas, eorum profeſſores Dæmoniis ſervire, & non Deo, & tandem non ad æternam vitam, ſed ad æternam mortem eſſe perducendos.

Porrò igitur ſtabilitâ Dei, & quidem unius, exiſtentiâ, Deorum pluralitatem quocumque modo, ſive in Idolis, ſive ſine Idolis excogitatam, exterminabo. Deinde Mahometanorum inſaniam in aperto ponam, ac Judæorum duritiem conterere ſatagam. Tandem Chriſtianam eſſe unicam veram Religionem demonſtrabo. Huic veritati magis magiſque firmandæ expediens admodum judicavi, quantæ ſint auctoritatis Libri, qui ei adteſtantur, eorumque ſeriem exponere. Quia verò ex his alii pertinent ad Novum Teſtamentum, & Novum ſub Chriſto Fœdus obſignant, tanquam continentes Doctrinam à Chriſto, ſive per ſe, ſive per ſuos

Digitized by Google

Apoſtolos traditam: alii Vetus Teſtamentum, ſeu Legem ante Chriſtum à Deo datam exhibent, tanquam Chriſtum, ejuſque Evangelium prænuntiantes, ideo de utriſque accuratum examen inſtituam, ac genuinos à ſpuriis ſecernam.

Hiſce omnibus præmunitus ſtudioſus Lector Chriſtianus velut in meridie poſitam ſuæ Religionis veritatem adſpiciet, gratiaſque ſummas agere Deo poterit, quod ſe in ea naſci, & educari ſpeciali ſua bonitate voluerit: & cui contigerit in Religione falſa naſci, & adoleſcere, ſi fortè in hæc inciderit, eaque legerit, divino affulgente lumine ad veritatis cognitionem oculos aperiens, errores quibus hactenus detinebatur, corrigere poterit, ac deteſtari. Nam juxta Lactantii monitum lib. 2. Inſtit. cap. 19. *Præferendum eſt verum omnibus falſis: calcanda terrena, ut cæleſtia conſequamur. Ita enim res ſe habet, ut quiſquis animam ſuam, cujus origo de cælo eſt, ad inferna & ima proſtraverit, eò cadat, quò ſe ipſe dejecerit. Ideoque oportet, rationis, ac ſtatus ſui memorem nonniſi ad ſuperna niti ſemper, ac tendere. Quod qui fecerit, hic planè ſapiens, ac juſtus, hic homo, hic denique cælo dignus judicabitur, quem ſuus parens non humilem, nec ad terram more quadrupedum abjectum, ſed ſtantem potiùs ac rectum, ſicut eum fecit, agnoverit.*

AP-

APPROBATIO ORDINIS

JUſſu Rmi P. N. Fr. Thomæ Ripoll totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, novum hoc operoſiſſimum, utiliſſimum, & ſublime ingenii,& ſtudii Emi D.D.Fr.Vincentii Ludovici Gotti S.R.E. Cardinalis monumentum, tanta animi voluptate, & admiratione legi, quantâ luculentiâ ſplendet. Differit vir iſte omni virtute præſtans ſapienter, ſubtiliter & copiosè de auctoritate Librorum ſacrorum. Plurium ſupremæ veritatis Oracula continentium juxtà ſeveriorem SS. Patrum, & Interpretum criticem, genuitatem, & validitatem demonſtrat, adverſus eos, qui vel eorum exiſtentiam negant, vel eos Divinô afflatu non fuiſſe exaratos hæreticè pronuntiant. Alios apocryphos, & commentitios, fabellis, & abſurdis dogmatibus plenos invictè rejicit, quos vel Hæreticorum fraus, & dolus ſub ampliſſimorum nominum Evangeliorum Apoſtolorum, & Diſcipulorum ſuppoſuit; vel quos laudavit præpoſtera quorumdam Chriſtianorum pietas: quorum omnium ſigillatim diſcutitur fides, & expenditur falſitas. Conſulens Emus noſter Fidelium utilitati; mira namque in libris ſacris elucent, tum pro Fidei defenſione, tum pro morum inſtitutione, ut *Gregorius XIII.* ſcripſit ad Regem Catholicum: *Scripturarum beneficium permagnum eſſe: nam quod ad Theologiam attinet, quæ eſt ſumma philoſophia, his libris omnia noſtræ Religionis, & Divinitatis myſteria explicantur; quod verò ad eam partem attinet, quæ Moralis nominatur; hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus quidem duabus partibus omnis noſtræ ſalutis, & felicitatis ratio continetur, ut nihil eſſe poſſit horum Librorum lectione dignius, nihil fructuoſius, nihil omni hominum generi accomodatius, nihil majori doctrina, & ſapientia refertius.* Si ergò Judæi ſolatio habuerunt ſanctos Libros, ut legitur i. Machab.c.12. v.9. *Nos cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos Libros, qui ſunt in manibus noſtris;* maximè etiam Fidelibus debet eſſe ſolatio opus hoc numeris omnibus abſolutum, quo hiſtoricè, & criticè, exactiuſque, quàm hactenus factum ſit, Libri ſacri examinantur.

Debellat inſuper acerrimus hic honoris Eccleſiæ vindex Proteſtantes, qui inſcitiæ nocte circumdati, ſic cæcutiunt, ut velint, quemlibet proprio intellectu poſſe Sacrarum Scripturarum ſenſum invenire; cum tamen quidquid in Scripturis eſt, altum, & Divinum ſit, varios ſubiens ſenſus admodùm obſcuros; totque

ſint tropi, multæque allegoriæ & hyperbata, quæ eam obſcuriſſimam, difficillimamque reddunt intellectu, ut admonet *D. Petrus* Ep. 2. c. 3. his verbis: *Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu*. Obſcuritatem, & altitudinem Propheticorum ænigmatum agnoſcentes SS. Patres, non eſſe rem in ſuperficie, & in promptu poſitam definiunt, ſed theſaurum ſententiis altiſſimis, ambiguis, parabolicis profundè reconditum, cujus puritas, ſolum Eccleſiæ judicio, diſcernentis Spiritus Sancti lumine, & Chriſti auctoritate pretioſum à vili inveniri poteſt. Hæreticorum quidem vana præſumptio Sacras Scripturas adjectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit. Privatô ſpiritu, & humanô ſenſu in Eccleſia Magiſteria humanæ inſtitutionis inducit. Bellum indicens veritati, & Apoſtolicæ doctrinæ, illuſiones cordis ſui, & pravarum cupiditatum impulſum ſequens, ſolùm nititur his, quæ ex falso compoſuerunt, ne fateantur, ea vera eſſe, per quæ neceſſariò ſui revincuntur errores.

At Eminentiſſimus noſter Catholici nominis fideliſſimus Defenſor, minus dignitate, quàm Hæreticorum excidiis toti Orbi clariſſimus, confuſis jam, & proſtratis in aliis editis Operibus præcipuis noſtri temporis Hæreſeos Miniſtris, novum hoc ſapientiâ, & eximiâ eruditione refertum inſtituit Opus. Jucundi ingenii ſui redeunt fructus, & deſideratiſſimi ſtudii ſui labores; (ſi labor dici poteſt, quod ei otium, quies, & voluptas eſt) ut in Reipublicæ Chriſtianæ eximium prorſus, & ſingulare emolumentum Sacros Libros ab Hæreticorum peſte vindicet; quod ita feliciter obtinuit, ut aptè, & ad laudem ejus magnificè, & verè dicere poſſint: hic Scriptor omnibus Operibus ſuis Eccleſiam ditat, Eccleſiam amat, Eccleſiam cuſtodit, Eccleſiam honorat: &, quod non minus mirabile eſt, quam ſapientia defendit, Fidem moribus ornat. Prodeat ergo in lucem ad præclaram Eccleſiæ exiſtimationem, & ut Catholicæ Religionis conſervetur veritas, opus hoc ſuô ingeniô, ſuis optimis cogitationibus, ac ſtudiis digniſſimum, quôd apud illuſtriores omnis litteraturæ, & ſapientiæ Magiſtros, potius auctoris nomine, quàm cenſoris judicio, comprobabitur. Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, die 7. Auguſti anni 1734.

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo Sac. Rituum Congregationis Conſultor.

Im-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcop. Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIONES

I.

OPera Eminentiſſimi Cardinalis Vincentii Ludovici Gotti clariora ſunt ſole; poſſuntque omnia inoffenſo pede decurri; non ergo quod recognoſci indigeret; ſed honoris gratia juſſus à Reverendiſſimo Patre Joanne Benedicto Zuanelli S. P. A. Magiſtro, Librum inſcriptum *Veritas Religionis Chriſtianæ, & Librorum quibus innititur, demonſtrata* tota animi jucunditate perfuſus evolvi, omnique ſedulitate penitius introſpexi: ſanam doctrinam præfert ubique, criticen gravem, & moderatam; Fidem in teſtimoniis; pondus in argumentis; celſam, claram, & firmam ſententiam: verbo dicam: vidi Librum doctrinâ uberem, lectione expeditum, inſtructione perfectum; menti Auctoris, ac pietati parem. Ut lucem aſpiciat publicam, digniſſimum cenſeo, ad promovendum Sacrarum Scripturarum ſtudium, ad fovendum amorem ſolidæ eruditionis, & ad S. R. Eccleſiæ dogmata altius in mente, & corde imprimenda. Ita ſentio ex Collegio S. Franciſci de Paula ad Montes die 21. Maii 1733.

Fr. Franciſcus Zavarroni Sacræ Congregationis Indicis Conſultor S. R. U. Inquiſitionis Qualificator, in Collegio Urbano de Propaganda-Fide Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Ordinis Minimorum Generalis.

I I.

PUlcherrimum Opus, cui titulus: *Veritas Chriſtianæ Religionis, & Librorum, quibus innititur, contra Polytheos, Idololatras, Mahometanos, & Judæos demonſtrata*, ab Emo & Rmo Dño Dño Vincentio Ludovico Presbyt. Card. Gotti, Ord. Prædicat. concinnè digeſtum, juſſu Rmi P.Fr.Jo:Benedicti Zuanelli, S.P.A.M. quâ potui animadverſione legi; ut qui probè noveram meæ potiùs ſtudendum utilitati, quàm libri cenſuræ. Gaudet profectò Eccleſia Chriſti tot aliis tanti Principis voluminibus, tanquam mœniis, & turribus egregiè communita, ac præclarè exornata. Gaudeat ulteriùs novis, ac certè providis, ejuſdem curis,& ſollicitudinibus potenter inſtructa. Conatur clariſſimus Auctor Chriſtianæ veritatis radios ob oculos hominum uſque adeò vibrare,ut errorum tenebræ prorſus eliminentur; aut ſi qui adhuc iſtis involvantur, non tam hominum, quàm veſpertilionum more, in medio ſe lumine cæcutire cognoſcant. Quod an feliciter fuerit exequutus, ne quis me nimia putet affectione decipi, liberum unicuique erit experiri. Ipſe autem ſpero, mecum eos, qui legant, facili negotio conſenſuros. Laudo præterea eruditionem, amœniſſimam quidem, ſed nulla ex parte otioſam: rationum vim acutam; ſed ad vanas ſubtilitates minimè declinantem: ſtrenuam hoſtes coercendi ſolertiam; ſed quæ Romanæ Eccleſiæ ſuavitatem præ ſe ferat; ut magis ad epulas è caſtro vocaſſe (quod de Sapientia ſcriptum eſt) quàm pugnæ ceciniſſe, Scriptor Eminentiſſimus jure putetur. Et ut paucis me expediam, Liber eſt Auctore ſuo dignus. Propterea optandum, ut luce publica, ad Eccleſiæ commodum, & Dei gloriam quantociùs donetur. Ex Conventu S.Hadriani de Urbe, Regalis, Militariſque Ordin. B. V. Mariæ de Mercede Redemption. Captivor. prid. Kalend. Decembris 1733.

Fr. Didacus Tellius Sac. Theol. Mag. Sacrar. Congreg. Rituum, & Indic. Conſultor, Theologus votans Sac. Congreg. Viſitat. Apoſtolicæ, ac S. Officii Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ELENCHUS

Eorum, quæ in hoc Opere continentur.

CAPUT PRIMUM.

Oſtenditur Dari Deum.

§. I. *Communis de Deo conſenſus.* pag. 2.
§. II. *Prima Ratio pro Exiſtentia Dei.* 4.
§. III. *Secunda Ratio.* 7.

CAPUT II.

De Unitate Dei.

§. UNICUS. *Deus unus eſt.* 12.

CAPUT III.

De Idololatria: Quid? Unde orta? Et quando?

§. I. *Quid ſit Idololatria, & quotuplex.* 17.
§. II. *Idololatriæ Origo.* 19.

CAPUT IV.

Religio Idololatrica falſa eſt.

§. I. *Dii Paganorum Dii non ſunt.* 25.
§. II. *Quia Dii facti ab hominibus.* 26.
§. III. *Quia eorum geſta Deo indigna.* 28.
§. IV. *Quia eorum Sacra inhoneſta.* 31.
§. V. *Nec Dii ſunt quia rerum aliquarum inventores.* ibid.
§. VI. *Simulacra Dii non ſunt.* 33.
§. VII. *Mundus Deus non eſt.* 38.
§. VIII. *Ex diſcordia opinionum de Diis.* 40.
§. IX. *Diverſitas ſexuum in Diis.* 42.
§. X. *Pro Paganis aliqua.* 44.

CAPUT V.

De Idololatria Hebræorum.

§. I. *Idololatria Vituli.* 53.
§. II. *Polytbei apud Hebræos.* 62.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Polytheis apud Chriſtianos.

§. I. *Recenſentur Polythei.* 64.
§. II. *Deus Veteris Teſtamenti alius non eſt à Deo Novi Teſtamenti.* 68.
§. III. *Solvuntur ea, quæ in ſpeciem favent Hæreticis.* 72.

CAPUT VII.

De Religione Judæorum.

§. I. *Olim fuit vera Religio.* 81.
§. II. *Solvuntur oppoſita.* 83.
§. III. *Num omnes tenerentur homines legem veterem ſervare.* 87.

CAPUT VIII.

Religio Judaica deſiit eſſe vera.

§. I. *Meſſias venit ex Daniele c.9.* 90.
§. II. *Ex Daniele c.2.* 96.
§. III. *De Oraculo Jacobæo Geneſ. c.49.* 99.
§. IV. *Herodes fuit alienigena.* 107.
§. V. *Ex præfato Oraculo probatur adventus Meſſiæ.* 113.
§. VI. *Judæorum evaſiones.* 114.
§. VII. *Ex Aggæo, & Malachia.* 121.
§. VIII. *Reſponſiones Judæorum.* 122.

CAPUT IX.

De Religione Mahumetana.

§. I. *Secta Mahumetanæ initia, & propagatio.* 124.
§. II. *Mahumetanorum mores, & inſtituta.* 125.
§. III. *Mahumetana Religio falſa eſt. Prima ratio.* 128.
§. IV. *Secunda Ratio.* 130.
§. V. *Tertia Ratio.* 136.
§. VI. *Quarta Ratio.* 137.
§. VII. *Quinta Ratio.* 145.
§. VIII. *Sexta Ratio.* 149.

CA-

CAPUT X.

De Jeſu Chriſto Religionis Chriſtianæ Auctore.

§. I.	*Oſtenditur Jeſum vixiſſe.*	151.
§. II.	*Morte ignominioſa affectum.*	153.
§. III.	*A mortuis ſurrexiſſe.*	154.
§. IV.	*Verum Meſſiam fuiſſe.*	163.
§. V.	*Judæorum momenta, Jeſum non fuiſſe Meſſiam.*	167.
§. VI.	*Jeſum fuiſſe verum Deum & hominem.*	174.
§. VII.	*Jeſum fuiſſe Deum, miracula oſtendunt.*	180.

CAPUT XI.

De Veritate Religionis Chriſtianæ.

§. I.	*Prima ratio ex præſtantia ejus Auctoris.*	187.
§. II.	*Secunda ratio ex præſtantia ejus doctrinæ.*	191.
§. III.	*Solutio quarumdam objectionum.*	196.
§. IV.	*Tertia ratio ex mirabili ejus propagatione.*	204.
§. V.	*Religionis Chriſtianæ propagatio admirabilis ratione qualitatis doctrinæ.*	206.
§. VI.	*Ex qualitate eorum, qui eam propagarunt, & modo, quo propagarunt.*	208.
§. VII.	*Quia propagata inter perſecutiones.*	212.
§. VIII.	*Quia ſtabilis, ac permanens.*	215.

TRACTATUS

De Auctoritate Librorum Religionis Chriſtianæ.

CAPUT PRIMUM.

De Evangeliis.

§. I.	*Quædam notantur.*	219.
§. II.	*Evangelium Matthæi revera eſt Matthæi & hebraicè ſcriptum.*	221.
§. III.	*Evangelium Marci.*	229.
§. IV.	*Lucas.*	237.
§. V.	*Joannes.*	244.

§. VI.

§. VI. *Apoſtoli non habuerunt à Chriſto præceptum ſcribendi Evangelia &c.* . . . 247.

CAPUT II.

Alii Libri Novi Fœderis Proto-canonici.

§. I. *Acta, & Epiſtolæ Pauli.* . . . 257.
§. II. *Epiſtola prima Petri, & prima Joannis.* . . . 267.

CAPUT III.

Pro auctoritate Librorum, de quibus olim dubitatum fuit.

§. I. *A libris, de quibus olim dubitatum fuit, ſublata eſt omnis dubitandi ratio.* . . . 271.
§. II. *De Epiſtola Jacobi.* . . . 272.
§. III. *Epiſtola ſecunda Petri.* . . . 277.
§. IV. *Epiſtola ſecunda, & tertia Joannis.* . . . 280.
§. V. *Epiſtola Judæ.* . . . 283.
§. VI. *Epiſtola ad Hebræos.* . . . 285.
§. VII. *Apocalypſis.* . . . 297.
§. VIII. *Quædam partes Marci, Lucæ, & Joannis olim dubiæ.* 302.

CAPUT IV.

De Libris apocryphis Novi Teſtamenti.

§. I. *De Scriptis Chriſto ſuppoſitis.* . . . 308.
§. II. *De Epiſtola B. V. ad Meſſanenſes.* . . . 318.
§. III. *Epiſtola Barnabæ.* . . . 323.
§. IV. *De variis Pſeudo-Evangeliis apud Catholicos.* . . . 327.
§. V. *Epiſtola S. Pauli ad Laodicenſes.* . . . 329.
§. VI. *Epiſtolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* 330.
§. VII. *Liber Paſtoris.* . . . 332.
§. VIII. *Acta Pauli & Theclæ.* . . . 336.
§. IX. *De variis Liturgiis.* . . . 338.
§. X. *De Libris Prochori, Lini, & Abdiæ Babylonis.* 344.
§. XI. *Canones dicti Apoſtolici.* . . . 346.
§. XII. *Conſtitutiones dictæ Apoſtolicæ.* . . . 356.
§. XIII. *Canones Antiocheni dicti Apoſtolorum.* . . . 361.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Libris ſuppoſitis ab Hæreticis.

§. I. *Prædicatio, Evangelium, Actus, & Apocalypſis Petri.* 263.

§. II. *Pſeudo-Evangelia ceterorum Apoſtolorum.* 364.

§. III. *Alii falſi Apoſtolorum Libri.* 366.

CAPUT VI.

De Symbolo Apoſtolorum.

§. I. *Heterodoxi quid ſentiant.* 372.

§. II. *Orthodoxorum mens.* 373.

§. III. *Defenditur Symbolum ab impugnatoribus.* 378.

TRA-

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS

De Veritate Religionis Chriſtianæ.

NIHIL gratius, atque utilius Catholico Candidato me facturum exiſtimo, quàm ſi inter tot ſectas, quæ terrarum orbem in partes diſtraxerunt, & adhuc diſtrahunt, quæque religionis nomen ſibi uſurpant, eam, quæ ſola vera ſit, atque Cultores ſuos ad æternam felicitatem, quam promittit, reverà perducat, demonſtraverim. Non quidem ut eam ipſi perſuadeam, quam novi cum Baptiſmate ab infantia ſuſcepiſſe, aut quaſi dubitem, ne jam ſuſceptæ ipſum pœnituerit, quaſi de ejus veritate formidantem, ſed ut de felicitate, quam Numinis Providentiâ ſortitus eſt, magis, magiſque ſibi gratuletur, firmiùs adhæreat ſuſcepæ veritati, ac benè inſtructus evadat contrariis erroribus revincendis, vel ſaltem, ne à contrariis erroribus vincatur.

Religio ergò, ſi ſpectes etymologiam (ait D.Tho.2.2. q 81. c.1.) *videtur dicta à relegendo ea, quæ ſunt divini cultus, quia hujuſmodi ſunt frequentèr in corde revolvenda*, ſecundùm illud Proverb.3. *In omnibus viis tuis cogita illum*; undè ſecundùm Iſidorum lib.10. Etymol. ad lit. R. *Religioſus, ait Cicero, à relectione appellatus eſt, qui retractat, & tanquam relegit ea, quæ ad divinum cultum pertinent. Quamvis etiam* (proſequitur D. Tho.) *poſſit intelligi religio ex hoc dicta, quod Deum reeligere debemus, quem amiſeramus negligentes, ſicut Auguſtinus dicit* 10. *de Civitate Dei c.4. vel poteſt intelligi religio à religando dicta, undè Auguſtinus dicit lib. de vera Religione*, religet nos religio uni omnipotenti Deo.

Sivè autem religio dicatur à frequenti relectione, ſivè ex iterata

electione ejus, quod negligentèr amiſſum eſt, ſivè dicatur à religatione, religio propriè importat ordinem ad Deum. Ipſe enim eſt, cui principalitèr alligari debemus, tanquam indeficienti principio, ad quem etiam noſtra electio aſſiduè dirigi debet, ſicut in ultimum finem, quem etiam negligentes peccando amittimus, & credendo, & fidem proteſtando recuperare debemus, hæc D.Tho. Hinc, ſi ex Etymologia nominis ad rem ſignificatam tranſeamus, religio nihil aliud eſt, quam *Virtus reddens debitum honorem alicui, ſcilicèt Deo*: Undè S. Auguſtinus lib.83. quæſt. q.31. *Religio* (inquit) *eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam, cæremoniamque adfert*. Igitur tot inter modos, quibus homines Deum coluerunt, vel colunt, quæremus: quinam ſit Deo debitus, ac verè religioſus, ſi enim indebitus ſit, erit non religioſus, ſed ſacrilegus. Cùmque totius religionis fundamentum ſit Exiſtentia Dei, ne mihi Atheus dicat religionem eſſe rem inanem, ideòque me veram religionem inveſtigantem operam perdere, cùm nullus verus Deus ſit, ideò priùs Atheus vincendus à nobis eſt, & ſtatuendum, numen eſſe aliquod, ſeu aliquem dari Deum.

CAPUT I.

Dari Deum oſtenditur.

§. I.

Communis de Deo Conſenſus.

I. DEum eſſe, ſupremam videlicèt rerum omnium cauſam, principium, atque finem, tàm apertè, tamque conſtantèr credidit, ac prædicavit omnis retrò vetuſtas, tantoque conſenſu in eandem conſpirant ſententiam univerſæ gentes, ut naturæ vox eſſe videatur, inquit Daniel Huetius concordiæ rat. & fid. lib. 2. c. 1. qui propterea abundanti inductione oſtendit, nobiliſſimos Philoſophorum, & ſi diſcreparint in definienda Dei natura, in eo tamen conveniſſe, Deum eſſe: *Deos eſſe*, inquit Seneca Epiſt. 117. *inter alia ſic colligimus, quòd omnibus de Diis opinio inſita eſt; nec ulla gens uſquam eſt adeò extrà leges, moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat*. Deum nomine mentis Thales, Xenophanes, Anaxagoras prædicarunt, Pythagoras Deum agnovit, eumque unum, totum in ſe, principium Univerſorum, atque opificem, mentem omnia permeantem, omniumque moderatricem. At clariſſimè omnium Plato,

Digitized by Google

ac pro rei dignitate de Deo diſſeruit, adeo ut ad Chriſtianæ doctrinæ principia explicanda ejus Philoſophiam accommodatiorem vetuſtiores Eccleſiæ Patres cenſuerint, inter quos D. Auguſtinus lib. 8. de Civit. Dei c. 9. & 11. neque in hoc, ſicut in aliis, Platonem magiſtrum ſuum ejuravit Ariſtoteles: eſto enim, ut ait Juſtinus martyr Paræneſi ad Græcos, in eo, quod ad Alexandrum Macedonem ſcripſit, opere clarè, & diſertè Platonis abroget opinionem, non in igneâ ſubſtantiâ Deum eſſe (ut fortè aſſerebat Plato) inquiens, ſed quintum quoddam æthereum, & immutabile corpus fingens, ibi Deum eſſe dixerit; Deum tamen eſſe, certus fuit, & exquiſitis argumentis comprobavit. Deum eſſe cenſuerunt Princeps Cynicorum Antiſthenes, Coriphæus Stoicorum Zeno; imò Democritus, & Epicurus, licèt abſona de iis protulerint, Deos tamen non penitùs ſuſtulerunt, ut verum uſque adeò ſit, quod maximus Tyrius diſſert. 38. & Ælianus var. Hiſtor. lib. 1. c. 31. pronunciarunt, neminem extare inter Barbaros, ſivè Indos, ſivè Celtas, ſivè Ægyptios, ſivè alios quoſcumque, in quibus hæc inceſſerit dubitatio; ſint ne Dii, an non ſint. Mitto alias gentes cultioris ingenii, Romanos, Chaldeos, Aſsyrios, Perſas, recentiores Sinenſes, Siamenſes, Congenſes, Æthiopes, his enim omnibus Deum exiſtere perſuaſum eſt: unico Verbo, perpaucæ poſſunt reperiri gentes, quarum animos non aliqua imbuerit Dei notitia. Dixi perpaucæ, non enim diffiteor, aliquas fuiſſe tali luce carentes, quas inter Æthiopum partem aliquam commemorat Diodorus lib. 3. & Acrothoitas narrat Simplicius in Epicteto, terrâ fuiſſe abſorptos, cùm omnem Dei cultum reſpuerent; & nunc etiam eſſe in utroque orbe aliquos Dei planè inſcios, ut eſt pars Tartarorum, Caraibarum, & Canadenſium non pauci; verùm harum gentium tanta barbaries eſt, ut feras potiùs diceres, quàm homines. Quod autem ex viris aliqua eruditione imbutis aliqui Dei naturam ſuſtulerint, ut Euhemerus Miſſenius, Diogenes Phryx, Hippon, Theodorus, Cyreneus, Diagoras, Mezius, ab Athenienſibus propterea expulſus, quod Deum negaret, & Atheus, id eſt ſine Deo eſſet, non video, quid paucorum hominum, & in literis mediocrium adversùs omnes Philoſophorum ſcholas valere poſſit auctoritas. Quamquàm etiam de iſtis dici poſſet, quod accuſati ſint, velut Athei, non quòd Deum penitùs tollerent; ſed quòd de vulgaribus Diis malè ſentirent, & futilia Græcorum numina deriderent: rarum enim hominum genus eſt, qui dicant in corde ſuo non eſt Deus, inquit Auguſtinus in pſalm. 52. & in pſalm. 13. *Nec ipſi enim ſacrilegi, & deteſtandi quidam Philoſophi,*

qui perverſa, & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere: non eſt Deus. Ideo ergò dixit in corde ſuo, *quia hoc nemo audeat dicere; etiamſi auſus fuerit cogitare*. Verùm etſi dederim, aliquos reverà Deum, & corde, & ore negaſſe, ut recentior quidam Lucilius natione Italus, qui poſt ſuum diſſeminatum per Gallias Atheiſmum tandem Tholoſæ captus, accuſatus, convictus & pertinax anno 1619. 9. Februarii Senatus decreto vivus combuſtus fuit, indignus vitâ, qui Deum vitæ Authorem negavit, & noviſſimè Silveſter Legni, Julius ejus filius, ſociique, qui Romæ deprehenſi, ac de Atheiſmo convicti, poſt ſolemnem tantæ impietatis ejurationem Romæ perpetuo carceri damnati fuere præſenti anno 1719. 25. Januarii de his, aliiſque, ſi ſunt, cùm D. Auguſtino ſerm. 10. de Verb. Domini nunc ſerm. 69. dicam: *Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis, quod ſcriptum eſt:* dixit ſtultus in corde ſuo: non eſt Deus. *Inſania iſta paucorum eſt: ſicut enim magna pietas paucorum eſt, ita & magna impietas nihilominùs paucorum eſt;* & hos propterea crediderim Deum negare, non quia Deum non eſſe reverà arbitrentur, ſed ut, Deô, quem nimiùm ſentiunt, ab eorum mente, & corde ſublatô, liberiùs effreni ſervire poſſint concupiſcentiæ, juxta illud Job. 21. 14 *Dixerunt Deo recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus*. His ergò penſatis, ſtatuenda eſt communis veritas.

§. II.

Prima Ratio pro Exiſtentia Dei.

II. Ex unanimi conſenſu omnium gentium, pauciſſimis exceptis, ut ſuprà probatum eſt, formatur prima Ratio pro exiſtentia Dei hoc diſcurſu, quem optimè urget Hugo Grotius de verit. relig. Chriſtianæ lib. 1. §. 2. Quæ ex hominum arbitratu veniunt, nec eadem ſunt apud omnes, & ſæpè mutantur: Ergò cùm Dei notitia, ſeù exiſtentia alicujus Dei, eadem ſemper fuerit, & invariata permanſerit conſenſu omnium gentium, apud quas ratio, ac boni mores non planè extincta ſunt, ſequitur, notionem hanc de exiſtentia Dei, non ex hominum arbitratu, ſed ex aliqua alia cauſa ortum habuiſſe, & tali, quæ ad totum genus humanum ſeſe extendat. Hæc autem alia eſſe non poteſt, quàm, aut oraculum Dei ipſius, qui ſe ipſum toti generi humano manifeſtavit: aut traditio, quæ à primis humani generis parentibus ad omnes eorum deſcendentes derivarit. Si primum admittimus, conſtat id, de quo quæritur, nempè dari aliquem Deum:

Si

Si veró poſterius, cùm nulla poſſit reddi idonea ac prudens ratio, cur credamus, primos illos parentes falſum aliquid in re tanti momenti poſteris commendaſſe, & poſteros ipſos præſertim ingenio, & moribus cultiores, cæcorum, imò & pecudum more, hunc errorem latis ulnis ſuſcepiſſe, dicendum eſt, primos illos parentes inconcuſſam veritatem docuiſſe, dum poſteris de Dei exiſtentia cognomen reliquerunt. Nec eſt quod aliquis hic opponat, variis temporibus, imò quovis tempore, non defuiſſe, qui Deum aliquem dari inficiarentur.

III. Nam hi pauciſſimi fuerunt, ut nuper dicebam. Quid autem paucorum delirantium vox valere poteſt contra omnium gentium, Deum uno ore confitentium, conſenſum? Paucitas ipſa, & quod ſtatim intellectis eorum argumentis rejecta univerſim fuit, ceu blaſphemia, eorum opinio, ſatis apertè oſtendit, eos non fuiſſe locutos ex uſu rectæ rationis, quæ hominibus communis eſt: ſed aut ex ſtudio novitatis, quali tenebatur ille, qui negabat, dari motum localem, aut nivem atram eſſe contendebat; Aut ex mente, animoque corrupto, ſicut palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis, & oculis ægris odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis: præſertim cum & hiſtoriæ, & alia ſcripta doceant, quò quiſque fuit doctior, & probior, eò diligentiùs cuſtoditam ab ipſo fuiſſe Dei notitiam. A pravo ergò ingenio aliquorum, eorum ſcilicet, quorum intereſt, ne aliquis ſit Deus, ideſt humanarum actionum Judex, venit hæc à communi hominum ſententia diſceſſio. Quamvis & iſti, dum verum Deum tollere nituntur, tot ſibi Deos, quot ſunt cupiditates, quibus ſerviunt, comminiſcuntur. Ità S. Auguſtinus lib. de vera religione c. 38. *Eſt enim* (inquit) *alius deterior, & inferior cultus ſimulacrorum, quo phantaſmata ſua colunt, & quidquid animo errante, cum ſuperbia, vel tumore cogitando, imaginati fuerint, religionis nomine obſervant, donec fiat in anima nihil omninò colendum eſſe, & errare homines, qui ſuperſtitioni ſe involvunt, & miſera ſe implicant ſervitute. Sed fruſtrà hoc ſentiunt, non enim efficiunt, ut non ſerviant: remanent quippè ipſa vitia, quibus ut ipſa colenda opinarentur, attracti ſunt. Serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel ſpectaculi. Nego eſſe quemquam iſtorum, qui nihil colendum exiſtimant, qui non aut carnalibus gaudiis ſubditus ſit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo ſpectaculo delectatus inſaniat. Ita neſcientes diligunt temporalia, ut indè beatitudinem exſpectent. His autem rebus, quibus quiſque beatus vult effici, ſerviat neceſſe eſt, velit, nolit.* Ita pulchrè ac ſubtiliter ad rem Auguſtinus.

IV. Ac-

IV. Accedit, quòd quidquid Atheus ponit, ut Deum effugiat: nimirùm generum ſucceſſionem abſque ullo principio, ſivè atomorum concurſum, id majores habet difficultates, atque mediocriter apprehendenti ſatis apparet, non eſſe credibile. Quod enim nonnulli dixerint, ſe non credere Deum, quia Deum non vident, quilibet dignoſcit talis diſcurſus ineptiam. Dum mentem quilibet habere ſe credit, quam tamen non videt, animam ſe habere, dum tamen eam oculis non intuetur. Qua ergò ratione Deus negandus erit, quia oculis non videtur, ſi mens, & anima, quæ tamen non videntur oculis corporis, non negantur? *Qui fecit hæc, quæ oculis video, non iſtis oculis eſt inquirendus*. Ait Auguſtinus in pſ. 41.

V. Nec juvat dicere, ſi capere Dei naturam ingenio, ac mente noſtra non poſſùmus, ideò talem eſſe naturam negandum eſt. Nam quot ſunt ea, quæ credimus, quorum naturam aſſequi non poſſùmus? Mentem dari, animam eſſe in nobis credimus: & tamen quis naturam mentis, & animæ certó aſſecutus eſt? Porrò id cujuſque inferioris proprium eſt, ut quæ ſe ſuperiora, atque excellentiora ſunt, capere non poſſit. Ne beſtiæ quidem capiunt, quid ſit homo, multóque minùs ſciunt, qua ratione homines reſpublicas inſtituant, ac gubernent, mare enavigent, aſtrorum curſus metiantur, & tamen non propterea homo negandus, quia ejus naturam, atque actiones Bruta comprehendere non valent. Eadem ergò ratione homo, quippè ſuprà beſtias nobilitate naturæ conſtitutus (idque non à ſe, ut oſtendetur) inferre debet, id, à quo ſuperior beſtiis ipſe eſt conſtitutus, non minus eſſe ſuperius ſe, quàm ipſe ſit ſuperior Brutis, ideòque eſſe aliquam naturam, quæ ſui captus modum excedat, ſicut ſui ipſius natura beſtiarum captum excellit.

VI. Demùm ſi Dei naturam capere ſuo ingenio non poteſt, neque ad ejus notitiam proprio diſcurſu pervenire; credat ſaltem univerſo generi humano, eam revera dari ſibi atteſtanti, ſi enim ſibi aliquid aſſerenti vult, ut credatur, cur non velit ipſe credere hominum univerſitati clamanti, Deum exiſtere, naturam nimirùm aliquam omnem humanum captum ſuperantem? Hoc argumento Atheum premit S. Auguſtinus lib. 2. de lib. arbitr. c. 2. *Si quis ergò illorum inſipientium, de quibus ſcriptum eſt: dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus, hoc tibi diceret, nec vellet, tecum credere, quod credis, ſed cognoſcere, utrum vera credideris*: primùm ab eo quæres, an hoc ex pertinacia dicat, an verò bono animo, ſeù veritatis cognoſcendæ ſtudio. Quod ſi dixerit, ſe amore veritatis, & bono animo hoc quærere, ipſi repones: Non cre-

Digitized by Google

credo: quod ſi atteſtetur ita eſſe, & roget, ut ſibi credatur, tunc contra illum procedes ſic. Cur vis ut ego tibi credam, quod dicis, & ego non video, nimirùm bonum animum tuum, qui toto orbi atteſtanti Deum eſſe, credere non vis, quia non capis, quia non vides? *Tunc ego demonſtrarem* (ait Auguſtinus) *quod cuivis facillimum puto, quantò eſſet æquius, cum ſibi de occultis animi ſui, quæ ipſe noſſet, vellet alterum credere, qui non noſſet, ut etiam ipſe tantorum virorum libris, qui ſecum filio Dei vixiſſe teſtatum literis reliquerunt, eſſe Deum crederet: quia & ea ſe vidiſſe ſcripſerunt, quæ nullo modo fieri poſſent, ſi non eſſet Deus: & nimiùm ſtultus eſſet, ſi me reprehenderet quod illis crediderim, qui ſibi vellet, ut crederem.*

VII. Hoc diſcurſu premi poteſt non ſolùm Atheus, ſed & Socinianus, qui cum Arrio negat Chriſtum eſſe verum Deum, Deique filium, imò & quivis noſtri temporis hæreticus, negans Traditiones Eccleſiæ, & teſtimonio antiquitatis recuſans acquieſcere: ſi enim teſtimonio hominum ita aſſerentium credit, dari Deum, etſi Deum non videat, ſi ſibi aliquid aſſerenti, vult credi ab alio, qui non videat id, quod ipſe aſſerit; cur non vult ipſe credere ea, quæ in Scriptura expreſſa non videt, Patribus aſſerentibus, ſe ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis tradita accepiſſe, quod certè non dicerent, niſi reverà tradita fuiſſent? *Si ergò utrum ſit Deus* (proſequitur Auguſtinus) *ſatis eſſe exiſtimas, quod non temerè tantis viris credendum eſſe judicavimus: cur non, quæſo te, de iis quoque rebus, quas tanquam incertas, & planè incognitas quærere inſtituimus, ſimiliter putas, eorumdem virorum auctoritati ſic eſſe credendum, ut de inveſtigatione earum nihil amplius laboremus.*

§. III.

Secunda Ratio.

VIII. Altera communis Ratio pro Exiſtentia Dei eſt talis. Res aliquas eſſe, quæ cæperint, & non ſemper fuerint, experientiâ, ſenſu, ac omnium confeſſione conſtat. Atqui eæ res ſibi non fuerunt cauſa, ut eſſent, nam quod non eſt, agere non poteſt, nec res potuit eſſe antequam eſſet: ſequitur igitur, ut aliundè habuerint ſui originem: cùmque idem dicendum ſit de illo, à quo ortum habent, donec deveniamus tandem ad aliquam cauſam, quæ eſſe nunquam cœperit, quæque à ſeipſa ſit non contingentèr, ſed neceſſariò, ſequitur hanc primam cauſam da-

Digitized by Google

dari ; & hæc illa erit, quam numinis, ſeù Dei, voce ſignificamus.

IX. Non latet, Atheorum communem eſſe reſponſionem: unam rem eſſe ab alia, & illam ab alia in infinitum, & æternum, & ideò non inferri, dandum eſſe unum omnium principium: Quia quamvis nulla ſit res in ſingulari, ſeù (ut ajunt) diviſivè, quæ ab alia non ſit, tota tamen illa rerum collectio ab alio non eſt, ſed à ſe, quia infinita eſt, æterna, carens principio, authore, & fine.

X. Sed contra. Nam primò. Hæc Atheorum ſuppoſitio, creaturarum collectionem eſſe infinitam, & æternam, cui nititur fundamento? Si enim ſenſu videmus, quamlibet rem in particulari, quæ modo eſt, quæque eſt unum ex membris hanc collectionem componentibus, ſic modò eſſe, ut non ſemper fuerit, cur hoc idem non eſt dicendum de tota rerum collectione? Sed dato, rerum collectionem eſſe infinitam, æternam, carentem durationis initio, id nego, quod ſit à ſe, & quod intra ſe habeat vim producendi ea membra, quibus componitur, independenter ab alio exiſtente extra ſe, quod ſit improductum, & omnia producens. Ratio eſt, quia illa collectio non eſt aliqua res exiſtens extrà membra ſua, quaſi ab illis diſtincta, & cauſans ea; quin imò nil aliud eſt, quàm omnia membra ſimul ſumpta, quibus illa collectio conſtituitur, & ſit; Acervus enim lapidum non eſt quid diſtinctum à lapidibus, ſed eſt omnes lapides ſimul ſumpti, neque acervus componit, conſtituit, & cauſat lapides, ſed potiùs lapides componunt, conſtituunt, & cauſant acervum, ſicut nec homo componit membra, ſed membra hominem. Cùm ergò quodlibet hujus collectionis membrum, ſeù quælibet res, ut fatentur Athei, ab alio productum ſit, & cauſatum: qui fieri poterit, ut tota illa collectio conſtituta per talia membra incauſata ſit, ac improducta? Certè quod eſſentialitèr convenit cuilibet membro alicujus collectionis, toti conveniat neceſſe eſt. Sicut enim ſi quælibet pars acervum componens, eſt lapis, fieri nequit, quin acervus ex illis conſurgens ſit lapideus, nec poteſt eſſe aureus, ita dum quælibet pars componens collectionem rerum habet cauſam productivam ſui, quæ ſit extrà ipſam, collectio ex ipſis conſtituta debet habere cauſam ſui effectricem extra ſe, nec poteſt eſſe improducta, cùm collectio nequeat in iis, quæ eſſentialia ſunt, diverſæ rationis eſſe à ſingulis eam componentibus.

XI. Nec juvat recurſus ad ſeriem infinitam rerum, quarum una ab alia ſit. Nam ſi quælibet harum ab alia eſt, ergò (inferam ego) omnes ab alio ſunt. Nam ſi Petrus ſit à Patre ſuo, Pater ab

ab Avo, avus ab Atavo, etiamſi in infinitum fiat recurſus, nemo ſanæ mentis colliget, illam hominum collectionem non eſſe ab alio productam, qui enim videt ſingulos lapides componentes domum ab artifice poſitos, arguit etiam totam illam lapidum collectionem ab aliquo poſitam eſſe, & qui ſingulas citharæ partes videt non à ſe coalitas, ſed operâ alterius, non poterit, indè inferre, niſi quod cithara ex illis conſurgens ab alio facta ſit. Cum ergò quælibet res, quæ in mundo eſt, ab alia ſit, inferri debet, quod tota collectio ex illis conſtituta ab alio ſit, etſi in infinitum abeatur, quia progreſſio in infinitum non aufert à rebus id, quod illis eſſentiale eſt.

XII. Atheorum inſaniam ad oculum demonſtrant Patres. Euſebius l.7. de præparat. Evang. c.3. ſicut domus (inquit) ſine Artifice, aut pannus ſinè texente fieri non poteſt, ita nec univerſum hoc ſine Authore. Gregor. Nazianz. orat. 2. de Theolog. Quemadmodùm citharam quis pulcherrimè conſtructam conſpiciens, aut etiam concertum audiens, nihil aliud, quàm ipſum citharæ conditorem, aut citharedum mente reputat, etiamſi de facie ipſi ignotum; eodem quoque modo nobis, is qui res univerſas procreavit, ac moderatur, atque conſervat, ſeſe declarat, etiamſi animis noſtris, ingeniiſque comprehendi nequeat. Chryſoſtomus in pſalm.13. Sic Atheum perſtringit. *Non eſt fundamentum; & quonam modo ſtat ædificium? Non eſt carina; & quomodo conſiſtit navigium? Non eſt fabricator navis; & quomodò navis compacta eſt? Non eſt ædificator; & quomodò domus facta eſt? Non eſt Architectus; & quis urbem condidit? Non eſt agricola; & quomodò agri tulere manipulos? Non eſt muſicus; & quomodò in mundi Lyra apparet concertus? Non eſt qui provideat; & quomodò per omnia pervadit providentia? Non eſt auriga; & quomodò elementorum quatuor currus agitur? Non eſt ſtatuarius; & quomodò homines veluti quædam ſtatuæ in mundo facti ſunt? Non eſt fornicis conſtructor; & quis tibi Cœli fornicem conſtruxit? Non eſt aurifex; & quis veluti diſcum aureum tanquam in menſa ſolem in Cœlo poſuit? Non eſt qui ferat lampadem; & quis tibi velut lampadem argenteam dedit lunam in nocte? ..... Non eſt opifex; & quomodò pulchritudo creaturarum teſtatur creatorem?.. Quæcumque in mundo ſunt, aguntur, & exercentur, habent, qui eis præſit; eaque perficiat; & ſolus mundus non habet, qui eum adminiſtret?* Hactenùs Chryſoſtomus.

XIII. Veritatem hanc apertè prædicat mirabilis, ac pulcherrimus mundi Ordo, quem oculis intuemur. Ea enim, quæ cognitione carent, diriguntur ad certum finem, quod eſt bonum Univerſi, & eodem, ac uniformi modo operantur. Non poſſunt au-

autem id habere à ſe ipſis; ſunt enim ſicut ſagitta in manu potentis, quæ non à ſe, ſed à ſagitario in ſcopum dirigitur: neque ab homine, quia licèt omnia propter hominem facta ſint, non tamen ita ejus imperio ſubſunt, ut ab eo ad bonum univerſi dirigi poſſint, imò talis ordo ſæpè contingit præter, & contra ejus cognitionem, & voluntatem; dirigantur ergò oportet ab aliquo ſummo proviſore, qui omnia habeat ſub imperio poſita, & de iis diſponat ad fines ab ipſo præcognitos, & intentos, ſicut familia, & exercitus à Duce, & Rectore, ſub cujus dominio ſunt, diriguntur. Rector autem iſte omnium rerum nequit eſſe creatura aliqua, quæ ſit pars mundi, cùm eſſet in eadem directionis indigentia; ſupereſt igitur, quod ſit ens extrà, ac ſuprà omnia, à quo omnia ſint, & ſit Deus. Hinc Cicero lib.2. de natura Deorum ait. *Quid poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum cum Cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaque ſuimus contemplati, quàm eſſe aliquod numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* Et lib. de Divinitate. *Præſtantem aliquam æternam naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœleſtium cogit conſiteri.*

XIV. Dicent Athei, ex certa propenſione, quam res quælibet in ſe, & ex ſe habet, qua veluti pondere naturali fertur ad bonum ſibi, naſci, quòd ad finem ſuum dirigatur, quin agnoſcat aliquem ſummum Rectorem ſupra ſe poſitum.

XV. Sed infelicitèr; primò. Nam ſæpè contingit, rem naturalem contra propriam inclinationem operari, ut cum aqua, vel lapis ſursùm aſcendunt; ab eadem autem natura prodire nequeunt inclinationes contrariæ. Secundò chorda in cithara naturalitèr apta eſt, & inclinata ad edendum cum aliis chordis concentum, quò mulceant aures; & tamen niſi adſit manus Citharædi eas pulſantis ordinatè, nullus habebitur ſonus. Dato ergò, res omnes naturalibus inclinationibus præditas eſſe, non haberetur armonia, & concentus adeò mirabilis Univerſi, niſi eſſet manus alicujus Supremi, quæ eas tangeret, & ordinatè pulſaret; eò vel maximè, quod inclinationes, quæ rebus inſunt, ſunt ſæpè numero, ne dum diverſæ, ſed repugnantes, atque invicem contrariæ, quæ ad unum finem quo modo conciliari poſſent, niſi adeſſet directio alicujus ſupremæ intelligentiæ, cui parerent, & quæ pro univerſi totius bono cauſis inter ſeſe pugnantibus uteretur? Hoc ratiocinio utitur Damaſcenus lib.1. fidei Orthodoxæ c.3. *Qui enim* (inquit) *fieri potuiſſet, ut inter ſe pugnantes naturæ, ignis inquam, & aquæ, aeris, & terræ ad unius mundi conſtitutionem coirent, tenacique adeò nexu cohærerent, ut nul-*

nullâ ratione ſolvi poſſint: niſi omnipotens vis aliqua ea compaginaſſet, ac perpetuò à diſſolutione ſervaret? Quid eſt quod ea, quæ in Cælo, & quæ in terra exiſtunt, quæque aerem pervagantur, & quæ in aquis degunt: imò etiam quæ his anteriora ſunt cælum, terram, & aerem, ignis quoque, & aquæ naturam certis diſpoſuit locis? à quonam commixta hæc ſunt, & diſtributa? Quid eſt, quod motum his impreſſit, perenniqu, nec ulla re cobibito curſu ea verſat? An non eorum artifex, qui rebus omnibus rationem, modumque, quo univerſum hoc agatur, & regatur indiderit? At quis horum artifex? An non is qui ea condidit, inque rerum naturam produxit? Nec enim (to automato) ſeu caſui eam vim, facultatemque tribuerimus. Sit enim ſanè caſus, quod extiterint: at cujus tandem erit ea diſpoſuiſſe? Verùm illud quoque, ſi lubet concedamus: cujus verò erit eadem juxta illas, quibus primum condita ſunt, leges conſervare & cuſtodire? Alterius profectò, quàm caſus: atque hoc, quidnam aliud, niſi Deus? Hæc Damaſcenus. Ad hæc ignorare Athei non poſſunt, omnem cauſam per accidens, quales ſunt fortuna & caſus, ſubnixam eſſe aliqua cauſa per ſe. Si enim Sacrorum causâ in Templum iturus, in creditorem inſperatò inciderim, fortunâ id factum dixero. Ubi voluntas mea erit per ſe cauſa itionis in Templum, per accidens autem cauſa occurſus cum creditore. Etſi tegula de tecto decidens calvam prætereuntis pertundat, caſum id vocamus, ubi lapſus quidem per accidens eſt cauſa vulneris: at gravitas lapidis erit cauſa per ſe, cur deciderit, durities item, & acumen, cur vulneret. Quamobrem ſi caſui, ſeu fortuito Atomorum concurſui, hæc naturæ compages debetur, quam quæſo cauſam per ſe adferet Atheus? Dixeris cum aliquo, mundum hunc non cœco caſu, cœca tamen neceſſitate extitiſſe? Quæro. Mundus qui neceſſariò extitit, vel cœpit exiſtere in tempore, vel ab æterno fuit? Si in tempore cœpit: ergò ab aliquo originem cœpit; eſtò enim ex nihilo aliquid factum credamus, aliquod tamen factum ab nihilo abſurdiſſimum judicamus. Si verò dicant, ſemper mundum fuiſſe; ergò infinitos habuimus majores, atque in generationnibus dabitur infinita progreſſio: quod ſi ita eſſet, undè tam recens eorum memoria, qui artes quaſque invenerint? Undè item quod illorum nec vola, nec veſtigium ſuperſit, qui infinitis ante nos fuere temporibus? Hoc argumentum tanti fecit Lucretius lib.5. ut propterea cœpiſſe mundum, & ſatis eſſe recentem fateretur. Verùm in re adeò manifeſta diutiùs immorari ſupervacaneum eſt. Qui ulteriora vellet, adeat S.Thomam tum.1.p.q.2. art.3. tum 1. contrag. c.13. &c. ac recolat quæ diximus t.2. in 1.p. q.1. dub.4.

CAPUT II.

De Unitate Dei.

§. UNICUS.

Deus unus eſt.

I. SUperſedere poteram à demonſtranda unitate numinis, ſemel ſtabilitâ ejus exiſtentiâ, idem enim eſt Deum eſſe, & eſſe unum; quare ſcitè Tertullianus lib. 1. contra Marcionem c. 3. *Deus ſi unus non eſt, non eſt.* Quia digniùs credimus non eſſe, quodcumque non ita fuerit, ut eſſe debebit. Id ut exploratius fiat, per eadem evincamus Deum unum eſſe, per quæ evicimus, aliquem Deum eſſe. Primò ergò unum eſſe Deum eorumdem Paganorum probat conſenſus. Priſci enim Philoſophi, ac Poetæ, etſi plures Deos colerent, unum tamem Deum Deorum, ac ſummum agnoverunt, ut teſtantur, ac probant Juſtinus martyr libro de Monarchia, & in cohortatione ad Gentes. Clemens Alexandrinus in Protreptico, Atenagoras, Lactantius, & quotquot contra Paganos ſcripſere. Hinc in Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano num. 52. Saturninus Confeſſor dixit: Gentiles, quamvis Idola colant, tamen ſummum Deum Patrem Creatorem cognoſcunt, & confitentur. Ex literis Longiniani, & Maximi ad Auguſtinum conſtat, his, etſi Gentilibus, perſuaſum fuiſſe, unum eſſe Deum ſummum, ad quem niſi per minores Deos adiri non poſſet. Sicque *univerſos mortales communem Patrem concordi Sacrorum diſcordia venerari, & colere*: quare egregiè Ambroſius epiſt. 31. *Aurea eſt lingua Sapientium Litteratorum: ſed aurum ſi diligentiùs tractes, foris pretium, intus metallum eſt. Deum loquuntur, ſimulacrum adorant.*

II. Secundò, unum eſſe Deum teſtantur voces illæ vulgares, ac naturales, quas repentina vis mali ſolebat etiam à Gentilibus excutere *Deus videt, Deus Bonus eſt, Deus judicabit*. Ex hoc (inter cæteros Tertullianus) animæ teſtimonio probabat, eam eſtò errore deceptam paganam fieri, naturalitèr tamen eſſe Chriſtianam: *Hæc ſumma delicti eſt* (ait in Apologetico c. 17.) *nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt &c. Quæ* (anima) *licèt carcere corporis preſſa; licèt inſtitutionibus pravis circumſcripta, licèt libidinibus & concupiſcentiis evigorata, licèt falſis diis exancillata, cùm tamen reſipiſcit, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex ali-* qua

qua valetudine, & ſanitatem ſuam patitur, & Deum nominat; hoc ſolo quia propriè verus hic unus Deus, bonus, & magnus. Et, quod Deus dederit, omnium vox eſt. Judicem quoque conteſtatur illum: Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturalitèr Chriſtianæ! denique pronuncians hæc non ad Capitolium, ſed ad Cælum reſpicit. Novit enim ſedem Dei vivi; ab illo, & indè deſcendit. Idem luculentiſſimè repetit in lib. de teſtimonio animæ. Cui accinit Lactantius lib. 2. c.1 *Cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos ſed Deum nominant; adeò ipſa veritas cogente natura etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Quod repetit lib. 1. c. 11.

III. Tertiò, populare argumentum ſuppeditat orbis hujus creatio, & adminiſtratio. Hæc enim ſi pluribus Diis permittatur, ipſorum primò imbecillitatem redarguit, qui quòd ſinguli minùs valeant, tantæque moli impares ſint, cogantur vires ſociare, vel ſi quilibet eorum ſufficiens, & par eſt, cæteri ſuperfluunt. Accedit, ſingulorum imperium tantò fore anguſtius, quantò inter plures collegas diſtributus. Cùm autem imperium impatiens eſſe conſortii ſoleat, hinc jurgia, liteſque inter Deos conſurgerent; quod inter Deos Paganorum non ſemèl contigiſſe, cuique in eorum libris mediocriter verſato exploratum eſt, quos meritò ſubſannat S. Auguſtinus l. 5. de Civitate Dei c. 9. ubi recenſitis Deorum officiis, rixas, quæ inter eos ſubindè oriuntur, narrat, concludens: *Itane iſta eſt innocentia Deorum, iſta concordia? Hæccine ſunt numina ſalubria Urbium, magis ridenda, quàm ludibria theatrorum?*

Verùm quid attinet Polyarchiæ incommoda recenſere? præſtat audire Lactantium l. de Ira. c. 11. *Si ſunt multi* (Dii) *dum habent ſinguli poteſtatis aliquid & numinis, ſumma ipſa decreſcit: nec poterunt ſinguli habere totum, quod eſt commune cum pluribus. Unicuique tantum deerit, quantum ſinguli poſſidebunt. Non poſſunt igitur in hoc mundo multi eſſe rectores; nec in una domo multi* Domini; *nec in navi una multi gubernatores, nec in armento, aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges. Sed nec in Cœlo quidem multi ſoles eſſe poterunt, ſicut nec animæ plures in uno corpore. Adeò in unitate natura univerſa conſentit:* idem repetit l. 1. Inſt. c. 3. ubi fusè probat, Deum debere eſſe unum.

IV. Huc redit argumentum aliud, quod ab unitate mundi conficitur. Unum enim opus unum prodit artificem. Nam ſi plures eſſent Dii, plures utique mundos fabricaſſent. Quid enim ad unius ſtructuram opus fuerat conſpirare plures, niſi ſi fortè minùs poſſent ſinguli, mutuâque operâ, & commodatitiis manibus,

bus indigerent? Deindè ſi à pluribus factus eſſet mundus, omnes reſpiceret, omnibuſque obſequeretur, ab omnibus regeretur; quomodo ergò in mundo conſiſteret Ordo, conſonantia, & non potiùs perturbatio? Hoc argumento urgebat Gentiles Athanaſius trac. contra gentes n. 39. *Firmiſſimum argumentum eſt, unum univerſi eſſe authorem, quod ſcilicèt non multi ſed unus ſit mundus. Nam ſi multi eſſent Dii, multos, & diverſos mundos eſſe, oporteret. Neque enim decet, vel multos unum mundum conſtruere vel unum à multis ædificari: hinc enim non pauca abſurda ſequerentur. Primum ſi unus mundus à multis factus eſſet, id authorum imbecillitatem argueret.... Enim verò ſi unus ſufficiebat, non multi mutuam inopiam explerent. Atqui in Deo aliquid deeſſe, non ſolùm dictu impium eſt, ſed omne nefas ſuperat. Quippe nec etiam inter homines perfectum artificem, ſed imbecillem appellaverimus, qui non ſolus, ſed cum multis unum opus abſoluerit. Quod ſi ſingulos mundum univerſum condere potuiſſe, ſed omnes propter operis communitatem mutuam operam contuliſſe dicatur: illud ſanè perridiculum fuerit, ſi gloriæ comparandæ causâ ſinguli laboraverint, ne ſcilicèt quis eorum impotens, & infirmus haberetur.... Id etiam ſilendum non eſt, ſi à multis factus eſt mundus, diverſos, & ſibi diſſimiles motus habuiſſe. Nam fieri non potuit, quin ad ſingulos autores reſpiciens varios motus habuerit. In illa autem varietate, ut ſupra dictum eſt, nullus rursùs ordo in mundo ſervari poſſet, ſed confuſa, & perturbata omnia forent. Nam nec navis à multis gubernata recto curſu ferri poteſt, niſi ejus clavum unus gubernator tenuerit, nec lyra à multis pulſata perfectum concentum efficiet, niſi muſicus unus eam percuſſerit.*

V. His omnibus accedit, quòd ſi unitas ſemel à Deo auferatur, conſtituendi erunt non duo ſoli, non pauci, ſed multi Dii, imò & innumeri. Unitati enim ſuccedit numerus. Ecquis tandem effuſam ſemel divinitatem ſiſtere poterit, ne ultra, ne in plures ebulliat? Numeroſitas, dato quod Deum non dedeceat, quò major, eò perfectior erit, ideoque Deitati conſonantior. Et fœcunditas ipſa, ſi Deo digna, gaudebit in plures, pluresque Deos efflorescere. Ita jam nihil erit vilius divinitate, quia nihil vulgarius. Sic Tertullianus l. 1. contra Marcionem c. 5. *Aut quæ* (inquit) *ratio duo ſumma magna compoſuit? Primò enim exigam, cur non plura, ſi duo? Quo locupletiorem credi oporteret ſubſtantiam divinitatis, ſi numerus ei competeret. Honeſtior, & liberalior Valentinus, qui ſimul auſus eſt duos concipere Bython, & Sigen, cum uſque ad triginta eorum fœtus, tanquam Æoniæ, Scrophæ examen divinitatis effudit. Quæcumque ratio plura magna non patitur*

tur admitti, eadem nec duo, ut ipſa plura poſt unum. Poſt unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura poſt. Hinc Romani, Unitate à Deo ſemel excuſsâ, innumeram Deorum, Dearumque turbam meritò adoptarunt.

VI. Quartò, Philoſophicum Tertulliani argumentum lib.1. contra Marcionem c.3. occurrit. Deus eſt, quo nihil melius eſt, ſummum magnum: at quod ſummum eſt, nec juxtà ſe, nec ſuprà ſe quidquam eſſe patitur. Nec enim ſummum eſt, cui aliquid adæquatur, ſummum non eſt, quod aliquo majus non eſt; ergò ſummum magnum non poteſt, niſi unum eſſe, ſi enim duo eſſent ſumma, neutrum eſſet ſummum, quia neutrum altero majus eſſet: at quod majus aliquo non eſt, maximum non eſt, ergò. Item Deus eſt, quo nihil melius cogitari poteſt. At ſi ſaltem duo Dii ſint æquales ſibi, utroque melius aliquid cogitari poteſt, melius eſt enim non habere, quàm habere parem. Melius eſt alia omnia infrà ſe, quàm juxtà ſe habere, melius eſt ſolùm imperare, quàm conſortem pati, melius eſt in alium dominari; quàm cum alio, melius eſt nihil eximi ſuo imperio, quàm aliquid, & hoc ſummum, eximi: ergò. Adeatur Tertullianus adversùs Marcionem.

Huic rationi affinis eſt iſta: Deus eſt, quo nihil melius vel eſſe, vel intelligi poteſt, ergò nulla planè perfectio ei deeſſe poteſt: ſi autem eſſent duo Dii, aliquo differrent, alioqui duo non eſſent, id autem quo differrent, eſſet aliqua perfectio: quid enim in Deo non perfectum? Ergò aliqua perfectione uterque careret, & quidem ſummâ, nempè ea, qua æmulus ab eo diſcreparet. Quin imò tota unius ſubſtantia deeſſet alteri: non ergò eſſet perfectiſſimum, cui tantum deeſſet perfectiſſimæ ſubſtantiæ. Id urget Lactantius lib.1. c.3. & Novatianus lib. de Trinitate.

VII. Quintò, idque ferè mathematicum argumentum ante alios prodidit Epiphanius hæreſi 41. n. 2. contra Cerdonianos. Nimirùm: Unitas inter numeros prima eſt, omneſque numeros antecellit. Si ergò eſſent duo prima principia, ante hanc dualitatem eſſet unitas tanquam principium, infra quod jaceret dualitas. *Duo, ſimul ut principia ſint, fieri non poteſt* (inquit Epiphanius) *duo enim, ſi numerentur, ſingularem numerum excedunt. Cum autem unicus ille, ac primus numerus quæratur, duo illa principia uni, & ſupremo ſubjicientur, à quo velut à cauſa duo illa pendeant. Neque enim duo illa poſt ſingularem numerum, atque unicum, primumque principium, ſui eſſe cauſa poſſunt ipſorum.*

Hæc ratio ſupponit, Deum non ſolùm debere eſſe unum, ſed

ſed etiam eſſe ipſam Unitatem, vel ipſum *eſſe* unum: indè enim fiet, ut omnis numerus ab eo proficiſcatur. Hoc autem adeò exploratum eſt, ut vel ipſi Gentiles Philoſophi, qui Deum admiſerunt, cognoverint. Id enim fatentur Plato, Plotinus, Proclus, Jamblicus, Salluſtius, Simplicius, quorum dicta maximè illuſtrarunt, ac Moſaicæ, Chriſtianæque Doctrinæ conciliarunt antiqui Patres. Sic ergò Hermes in Pimandro cap. 5. *Unitas omnium principium, radix, atque origo; abſque principio verò nihil, initium verò eſt non principii, ſed alterius. Monas ergò principium, omnemque numerum continet, à nullo ipſa contenta, omnemque gignit numerum, nullo numero genita.* Juſtinus martyr cohortatione ad Græcos pag. mihi 18. Pythagoræ, Platoniſque de uno, de ente, de Deo ſententiam, ut à moſaicis libris acceptam prædicat. *Pythagoras digna, & ipſe Ægyptiâ peregrinatione de uno, & ſingulari Deo ſenſiſſe videtur. Unitatem namque rerum omnium originem, eamdemque bonorum omnium cauſam eſſe dicens, per allegoriam unum, atque eum ſolum Deum eſſe docet. Id verò ſic ſe habere, ex eo patet, quòd Monada, ideſt unitatem, & En, ideſt, unum differre inter ſe ait: unitatem, ſive ſolitatem, quippe in eis, quæ intelligentiâ comprehenduntur, unum autem in numeris eſſe.* De Platone autem ita proſequitur: *Plato verò accepta cum in Ægipto eſſet, ſicuti videtur, Moſæ, & aliorum Prophetarum de uno, eoque ſolo Deo doctrina &c.* Inferens, ideo Deum de ſe ipſo non aliud nomen, quàm hoc *ego ſum qui ſum*, ſeu quod ſit *ipſum ens* Moyſi indicavit, quia Deus quod ſit, aut quod unus ſit, à ſe habet, & à nullo accepit. Idem fatetur Euſebius lib. 2. præpar. Evangel. c. 11. Cyrillus Alexandr. lib. 1. contra Julianum ex Ethnicorum ſuffragiis, præſertim Pythagoræ, hanc veritatem comprobantes. Quos ſequuntur omnes tùm Græci, tùm Latini, adeò ut ſingulos recenſere faſtidium eſſet. Hæc ergò ſatis dicta ſint pro ſtabilienda Divini numinis unitate generatim, nec deſcendendo ad ſpecialem diſcuſſionem eorum, qui hac in re delirarunt, falſis, iiſque pluribus Diis, imò innumeris, religiosè, ſeù veriùs ſacrilegè obſequentibus, quod & in ſequentibus ſucceſſivè præſtabimus. Videantur dicta tom. 2. in 1. p. q. 2. dub. 1.

* * * * *

CA-

CAPUT III.

Idololatria quid ? Undè orta ? Et quando ?

§. I.

Quid ſit Idololatria, & quotuplex.

I. NOto in primis, ab religione vera, & recta, bifariam recedi poſſe, vel defectu, nimirùm veri numinis contemtu, quomodo à vera religione receſſerunt Athei, dicti propterea ſine Deo, ac religione; vel exceſſu ejus, cultu nimirùm quodam ſuperfluo vitiato, quod Latinis idem eſt, ac *ſuperſtitio* à ſuperſtando. Non quaſi Deus verus vero cultu nimio coli poſſit, ſed quia ad materiem cultus aliquid accedat, quod eum corrumpat. Utrumque hunc modum expoſuit Clemens Alexandrinus admonit. ad gentes: *Extremæ ignorantiæ ſunt Impietas, & Superſtitio, extra quæ ſtudendum eſt manere;* & ante ipſum Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride: *Nonnulli à recto itinere aberrantes planè in ſuperſtitionem inciderunt: alii velut paludem fugientes ſuperſtitionem, imprudentes in præcipitium quaſi quoddam in impietatem inciderunt.* Corrumpitur autem divinus cultus, fitque ſuperſtitioſus, quando Deus quidem agnoſcitur, ac providentia ejus non negatur: ſed vel cultus veri Dei præſtatur falſo numini, vel falſo cultu Deus verus coli exiſtimatur: primo modo ſuperſtitioſi erant Pagani, qui Deum cognoſcentes cultum veri Dei falſis numinibus tribuebant: ſecundo modo ſuperſtitioſus eſſet, qui verum Deum cultu falſo, & à Deo reprobato colere vellet, ut qui verum Deum cultu, ac ritu Judaico, aut Paganico vellet honorare.

II. Tota hæc doctrina ſumpta eſt ex D. Tho. 2.2. q.92. a.1. *Superſtitio eſt vitium religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quàm vera religio: ſed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Et ibi art.2. *Diverſificantur ergò ſuperſtitionis ſpecies. Primò quidem ex parte modi, ſecundò ex parte objecti. Poteſt enim divinus cultus exhiberi, vel cui exhibendus eſt, ſcilicet Deo vero, modo tamen indebito; & hæc eſt prima ſuperſtitionis ſpecies, vel cui non debet exhiberi, ſcilicet cuicumque creaturæ, & hoc eſt aliud ſuperſtitionis genus, quod in multas ſpecies dividitur, ſecundum diverſos fines divini cultus. Ordinatur enim primò divinus cultus ad reveren-*

Digitized by Google

tiam Deo exhibendam, & ſecundum hoc prima ſpecies hujus generis eſt Idololatria, quæ divinam reverentiam indebitè exhibet creaturæ. Secundò ordinatur ad hoc, quod homo inſtruatur à Deo, quem colit, & ad hoc pertinet ſuperſtitio divinativa, quæ Dæmones conſulit per aliqua pacta cum eis inita, vel tacita, vel expreſſa. Tertiò, ordinatur divinus cultus ad quandam directionem humanorum actuum ſecundum inſtituta Dei, qui colitur, & ad hoc pertinet ſuperſtitio quarumdam obſervationum.

Et hæc tria tangit Auguſtinus in 2. de Doctr. Chriſtiana c.20. dicens: ſuperſtitioſum eſt quidquid inſtitutum eſt ab hominibus ad facienda, & colenda Idola pertinens, & hoc pertinet ad primum: & poſtea ſubdit: vel ad conſultationes, & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita, atque fœderata, quod pertinet ad ſecundum: & poſt pauca ſubdit: ad hoc genus pertinent omnes ligaturæ, & cæterà hujuſmodi, quod pertinet ad tertium, hæc D. Tho.

III. Ad uberiorem notitiam harum variarum obſervationum præſtat audire Auguſtinum à D. Thoma citatum ſic proſequentem: *Sivè in præcantationibus, ſivè in quibuſdam notis, quos characteres vocant, ſivè in quibuſdam rebus ſuſpendendis, aut illigandis, vel etiam aptandis quodammodo, non ad temperationem corporum, ſed ad quaſdam ſignificationes, aut occultas, aut etiam manifeſtas: quæ mitiore nomine phyſica vocant, ut quaſi non ſuperſtitione implicare, ſed naturâ prodeſſe videantur: ſicut ſunt inaures in ſummo aurium ſingularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, aut cum tibi dicitur ſingultienti, ut dextera manu ſiniſtrum pollicem teneas. His adjunguntur millia inaniſſimarum obſervationum; ſi membrum aliquod ſalierit, ſi cunctis ambulantibus amicis, aut canis, aut puer medius intervenerit: atque illud, quod lapidem calcant, tanquam diremtorem amicitiæ, minus moleſtum eſt, quàm quod innocentem puerum colapho percutiunt, ſi pariter ambulantibus intercurrit. Sed bellum eſt, quod aliquando pueri vindicantur à canibus, nam plerumque tam ſuperſtitioſi ſunt quidam, ut etiam canem, qui medius intervenerit, ferire audeant non impunè, namque à vano remedio citò ille interdùm percuſſorem ſuum ad verum medicum mittit. Hinc ſunt etiam illa, limen calcare, cum ante domum ſuam tranſit; redire ad lectum, ſi quis dum ſe calceat ſternutaverit: redire domum, ſi procedens offenderit, cum veſtis à ſoricibus roditur, plus tremere ſuſpicione futuri mali, quàm præſens damnum dolere. Undè illud elegantèr dictum eſt Catonis, qui cum eſſet conſultus à quodam, qui ſibi à ſoricibus eroſas caligas diceret, reſpondit non eſſe illud monſtrum, ſed verè monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices à caligis roderentur.* Hæc facetè de vanis ſuorum rem-

Digitized by Google

temporum obſervationibus Auguſtinus, quibus ſi noſtrorum innumeras vellemus adjicere, quis eſſet terminus enarrandi?

§. II.

Idololatriæ Origo.

IV. His duabus ultimis obſervationum, ſeu ſuperſtitionum ſpeciebus omiſſis, ad primam, quæ Idololatria eſt, revertimur; quâ nimirùm divinus cultus exhibetur, cui non debet exhiberi, nimirùm creaturæ. *Peccata* (inquit Auguſtinus ſerm 3. de ſymbolo ad Cathecumen. c.2.) *& auctor peccati Diabolus ſeparavit animam à Deo, & dum creatura ſecuta eſt ſeductorem, ſuum deſeruit Salvatorem, facta eſt ruina magna, & erravit anima, ut pro vero Deo coleret Idola, & adoraret ipſa, quæ fecit, deſerendo illum, à quo facta eſt.... Hinc error omnis, & deſertio bonorum, hinc cultus Paganorum, & perverſio Hæreticorum. Et erraverunt animæ per diverſas voluptates, & perverſas, ut alii colerent ſolem, alii lunam, & ſtellas, alii montes, alii lapides, & quæque virgulta, ut ſibi quiſque credidit inveniſſe, non adjutorem Deum, ſed deceptorem Diabolum, atque ita per diverſa anima erravit à Creatore ſuo, ut omne, quod dederat ei Deus ad ſervitium, hoc illa coleret ut Deum.* Hæc Auguſtinus. Diabolus igitur, qui appetitu divinitatis ſe ipſum ex empyreo præcipitavit, qui ſimili prava ſuaſione *eritis ſicut Dii* Adamum in Paradiſo perdidit, hac eadem arte quovis tempore uſus eſt, ut homines à cultu veri Dei ad cultum falſorum numinum abſtraheret, & ut eos induceret ad ſerviendum creaturis, qui ſervire debuerant Creatori, dicente Paulo Rom.1. 25. *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. Veritatem enim tenere* (ait Alexander Halenſis 3. p. Summæ q. 30. ar.1.) *eſt unum Deum colere: veritatem in mendacium convertere eſt creaturæ ſervire pro Creatore. Vera enim religio in unius conſtat veri Dei ſervitio. Una enim eſt vera divinitas. Si ergò Idololatria creaturæ ſervit pro Creatore, commutat veritatem in mendacium.* Hac fraude impius humani generis hoſtis non ſolùm inſipiens vulgus decepit, ſed eos etiam, qui pro ſapientibus habebantur: excuſsâ enim paulatim ab eorum animis Traditione primæva de uno, veroque Deo, in varias, falſaſque de divinitate opiniones eos dejecit. Quia igitur crevit in eis nimius terrenorum amor, nec Deum terrenis oculis viderent, coli placuit, quod viderent;

Digitized by Google

atque ita duo flagitia commiſerunt, dum honore ſuo defraudant Deum, & quaſi in ejus contumeliam eum non Deo poſtponunt; *cùm enim cognoviſſent Deum* (ait Apoſtolus Rom. 1. 21.) *non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Quare in pœnam *evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum,* quia licèt cognoſcerent Deum, eum tamen in adyta cordis non admiſerunt.

V. Totum hoc deſcribit Athanaſius Orat. contra gentes n.8. *Poſtquam enim malitia varias voluptatum ſpecies didicit, & rerum divinarum oblita eſt, corporeis affectibus delectata, atque ad ſola præſentia, & vanas, quæ de his habentur, opiniones adtendens, nihil præter aſpectabilia exiſtere, ſolaque temporalia, & corporea bona eſſe arbitrata eſt. Sic autem à Deo vero averſa, & ſe ad imaginem boni Dei factam eſſe oblita, non ampliùs Deum Verbum, ad cujus ſimilitudinem creata eſt, ſua facultate videt: ſed extra ſe ipſam poſita, ea, quæ non ſunt, cogitat, & effingit*. Et poſt pauca: *Prima ergò Idololatriæ cauſa eſt malitia; ut enim homines malitiam, quæ nulla res eſt, ſibi ipſis confingere didicerunt: ſic & Deos, qui nulli ſunt, ſibi quoque commenti ſunt .... res aſpectabiles Deos eſſe finxerunt, ipſamque creatam naturam præ Deo honorarunt, ac opera potiùs, quàm operum Authorem, & opificem Dominum Deum, Dei titulo, diviniſque honoribus decorarunt*. Hæc Athanaſius.

VI. Ut ergò humana mens à Deo ad creaturam ſe convertit, primò Cœlo, Soli, Lunæ, & Aſtris Dei honorem adſcripſit, atque iſta non tantùm Deos, ſed etiam rerum aliarum Authores eſſe, cenſuit. Poſtea tenebricoſis cogitationibus deorſum rursùs progreſſi homines æthera, aerem, & ea, quæ in aere ſunt, Deos appellevere. Iidem in malis adhuc procedentes, elementa quoque, & principia compoſitionis corporum, nempè calidam, & frigidam, ſiccam, & humidam naturam Deos agnovere. Ut verò qui penitùs in profundum ceciderunt, in terra, & cæno terreſtrium cochlearum inſtar repunt: ita impiiſſimi mortales, homines, hominumque formas, cùm viventium, tùm mortuorum inter Deos referre cœperunt. Quin etiam & pejora meditati in lapides, & ligna, in reptilia, aquatilia, & terrena, atque in feras, & bruta animantia divinum, & cœleſte Dei nomen tranſtulerunt, omneſque ſoli Deo debitos honores illis attribuerunt; alii eò progreſſi ſunt, ut etiam, quæ nullo modo eſſent, neque in rerum natura exiſterent, Deos facerent, humanam formam cum brutis permiſcentes, naturaſque diſſimiles in monſtri ſpeciem conjungentes, eaque ſic adorantes. Ejuſmodi ſunt Dii illi, qui apud Ægyptios Canis, Serpentis, & Aſini caput

put habent, & apud Libyæ populos Ammon arietis capite inſignis. Hæc ex Athanaſio citato.

VII. Alii impietate latiùs diffuſâ, voluptatem, & cupiditatem, quæ tantæ impietatis occaſio fuit, Deos fecere, & adoravere, qualis fuit apud eos Amor, & Venus in Papho inſula, alii ſuos principes, aut eorum liberos, vel pro ſuâ erga eos obſervantiâ, vel eorumdem tyrannidis metu inter Deos numerare auſi ſunt. Talis eſt in Creta celeberrimus apud eos Juppiter, in Arcadia Mercurius, apud Indos Dionyſius, ſivè Bacchus, & apud Ægyptios Iſis, Oſiris, & Orus. Talis his etiam temporibus, Antinous Adriani Imperatoris Amaſius... Cùm enim Adriano in Ægypti regione verſante, Antinous illius voluptatis miniſter è vita migraſſet, eum Imperator coli juſſit &c. Hæc ferè de verbo ad verbum ex Athanaſio deſumpta ſunt.

VIII. Diverſitatem Idololatriæ aliter exponit D. Thom. 2.2. q. 94. a. 1. ubi de Idololatris ait. *Diverſimodè tamen cultus divinus Idolis exhibebatur. Quidam enim per nefariam artem imagines quaſdam conſtruebant, quæ virtute Dæmonum aliquos certos effectus habebant, unde putabant in ipſis imaginibus eſſe aliquid divinitatis, & per conſequens quòd divinus cultus eis deberetur. Et hæc fuit opinio Hermetis Triſmegiſti, ut Auguſtinus dicit* 8. *de Civit. Dei cap.* 23. *Alii verò non exhibebant cultum divinitatis ipſis imaginibus, ſed creaturis, quarum erant Imagines, & utrumque horum tangit Apoſtolus* ad Rom. 1. *Nam quantùm ad primum dicit*, mutaverant gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. *Quantùm autem ad ſecundum ſubdit*: coluerunt, & ſervierunt potiùs creaturæ, quàm Creatori: *Horum tamen tertia fuit opinio. Quidam enim æſtimabant, quoſdam homines Deos fuiſſe, quos per eorum Imagines colebant, ſicut Jovem, Mercurium, & alios hujuſmodi. Quidam verò æſtimabant, totum mundum eſſe unum Deum, non propter corporalem ſubſtantiam, ſed propter animam, quam Deum eſſe credebant, dicentes, Deum nihil aliud eſſe, quàm animam motu, & ratione mundum gubernantem, ſicut & homo dicitur ſapiens propter animam, non propter corpus. Unde putabant, toti mundo, & omnibus partibus ejus eſſe cultum divinitatis exhibendum, Cælo, aeri, aquæ, & omnibus ejuſmodi partibus: & ad hæc referebant nomina, & imagines ſuorum Deorum, ſicut Varro dicebat, & narrat Auguſtinus in* 7. *de Civit. Dei c.* 2. *&* 22. *Alii verò, ſcilicet Platonici, poſuerunt unum eſſe ſummum Deum cauſam omnium, poſt quem ponebant, eſſe ſubſtantias quaſdam ſpirituales à ſummo Deo creatas, quas Deos nominabant, participatione ſcilicet divinitatis; nos autem*

eos

eos Angelos dicimus; poſt quos ponebant animas cæleſtium corporum; & ſub his Dæmones, quos dicebant, eſſe aerea quædam animalia, & ſub his ponebant animas hominum, quas per virtutis meritum ad Deorum, vel Dæmonum ſocietatem aſſumi credebant. Et his omnibus cultum divinitatis exhibebant, ut Auguſtinus narrat 8. *de Civit. Dei c.*14. *Has autem duas ultimas opiniones dicebant pertinere ad Theologiam Phyſicam, quam Philoſophi conſiderabant in mundo, & docebant in ſcholis. Aliam verò de cultu hominum dicebant pertinere ad Theologiam fabularem, quæ ſecundum figmenta Poetarum repræſentabatur in Theatris. Aliam verò opinionem de Imaginibus dicebant, pertinere ad civilem Theologiam, quæ per Pontifices celebrabatur in Templis.* Hæc D. Thomas.

IX. Advertendum inſuper eſt, Idololatriam haberi poſſe etiam ſine externis Idolis, aut ſimulacris; ſi quis enim in mente ſua falſum numen pro vero Deo ſubſtitueret, illudque coleret, is revera Idolum coleret, quia coleret ut Deum, qui Deus non eſt, & conſequenter coleret nihil. Idolum autem ſivè exteriùs fabricatum, ſivè interiùs conceptum, nihil eſt ſecundum illud Apoſtoli 1. Cor. 8. 4. *Idolum nihil eſt in mundo,* quaſi diceret Idolum, eſt omne illud, quod nec numen eſt, nec vim numinis habet, ſed eſt res vana, & inane hominum commentum, ſivè fabricatum manu, ſivè mente conceptum, & ut Deum adoratum: quod evincit, non de ſolis imaginibus, aut ſimulacris divino honore affectis Idolum uſurpari, ſed de quocumque falſo numine, etiam mente culto. Hinc Romani licèt pluſquam annis 170. ſine ſimulacris Deos coluerint, teſte Varrone apud Auguſt. l.4. de Civit. Dei c.31. attamen Idololatriam committebant, cùm Halycarnaſſeo teſte lib.2. adorarent Deos, quos colebant Græci, quibus alios Numa Pompilius adjecit. Undè ait D. Thom. 2.2. q.94. a.1. ad quartum, quòd *ex communi conſuetudine, qua creaturas quaſcumque colebant Gentiles ſub quibuſdam imaginibus, impoſitum eſt hoc nomen Idololatria ad ſignificandum quemcumque cultum creaturæ, etiamſi ſine imaginibus fieret.*

X. Quantum ad Idololatriæ Originem, ante diluvium eam fuiſſe, quidam ſuſpicati ſunt. Tempore enim Enos plerique Hebræorum cenſent, tunc primum in nomine Domini, & in ſimilitudine ejus fabricata fuiſſe Idola, ita S. Hieron. quæſt. Hebraic. in Geneſ. ita ſentit Rabbi Maimonides lib. de Idololatria, quamvis Voſſius id non approbet. Rursùs quum corrupta eſſet terra coram Deo, & omnis caro corrupiſſet viam ſuam, propter quod pœnituit Deum feciſſe hominem, & ſtatuit eum diluvio delere à facie terræ, ut habetur Gen. 6. credibile eſt, homines à Deo

Deo vero vitiis averſos ad falſum Deum colendum ſeſe convertiſſe. Sed quia hoc nullo firmo argumento ſive auctoritate munitur, meliùs cùm Lactantio lib.2. inſt. c.74. dicimus, Idololatriam poſt diluvium cœpiſſe ex filiis Cham. Is enim ob detectam, deſpectamque Noè Patris nuditatem abdicatus, atque expulſus, profugus in ea parte conſedit, quæ nunc Arabia nuncupaur, quæ terra de nomine ſuo, ſeu potiùs filii ſui dicta eſt Chanaam, & poſteri ejus Chananæi. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit, quoniam princeps ejus, & conditor maledictus ab eo cultum Dei non accepit, ideòque ignorantiam divinitatis poſteris ſuis reliquit. Qui deindè nimiùm multiplicati, cùm eos anguſtiæ locorum ſuorum capere non poſſent, vel à parentibus miſſi, vel ſua ſpontè, cúm rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas ſibi novas ſedes hùc, atque illùc diſperſi, omnes inſulas, & orbem totum repleverunt, & à ſtirpe ſanctæ radicis avulſi, novos ſibi mores, ac inſtituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt, cœleſtia ſuſpicere, atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem (nec enim ullis in ea regione nubibus ſubtegitur cœlum) curſus ſyderum, & defectus notaverunt, dum ea ſæpè venerantes curioſiùs, atque liberiùs intuerentur. Poſtea deindè portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti ſunt, quibuſdam prodigiis inducti. Cæteri autem, qui per terras diſperſi fuerant, admirantes elementa mundi, Cœlum, ſolem, terram, mare ſine ullis imaginibus, ac Templis venerabantur, & his ſacrificia in aperto celebrabant, donec ſucceſſu temporum potentiſſimis regibus Templa, & ſimulacra fecerunt, eaque victimis, & odoribus colere inſtituerunt. Hæc ex Lactantio, citato loco.

XI. Ex quibus conſtat, Idololatriam primò ſine ſimulacris, atque imaginibus externis cœpiſſe. A quo autem tempore cœperit cultus ſimulacrorum, non eſt adeò certum. Aliqui à tempore Abrahæ repetunt originem Idolorum, cujus Pater Thare dicitur ſerviſſe Diis alienis Joſue 24.27. ſed Idolorum non ſit mentio ante Labanem, cujus Teraphin abſtulit Rachel Gen.31.19. qui dicuntur etiam Dii peregrini, ſeu alieni Gen.35. Undè etiam veriſimile eſt, uſitata fuiſſe Idola tempore Thare, & Nachor: ſic, ut primi Idolorum effigiatores fuerint Chaldæi, præeunte Nino Beli filio Aſſyriorum Rege contemporaneo Thare, qui fieri curaſſe traditur imaginem Belo Patri ſuo, qui ſubditis eam adorandam propoſuit, adjectis, quibuſdam ritibus ſuperſtitioſis, teſte S. Hieron. in Oſeam c.2. Proximi Ægyptii habere cœ-

Digitized by Google

cœperunt Idola effigiata, ut colligere eſt ex Auguſtino; & ex Hiſtoria Exodi; tempore enim Moſis Ægyptus Idolis plena erat, & hæc fuiſſe Idola beſtiarum, colligitur celebri Moſis teſtimonio Exod. 8. 26. qui Pharaoni dicenti: *Sacrificate Deo veſtro in terra hac* Ægypti, reſpondit: *Non poteſt ita fieri; abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro? quod ſi mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent*. Eædem ergò beſtiæ, quas Deo immolabant Hæbræi, Boves, Vituli, Agni, Oves, erant Dii, ac Idola Ægyptiorum, undè ad ſimilitudinem bovis illius Ægyptii petierunt Hæbrei ab Aarone Vitulum in deſerto Exod. 32. ideòque paſtores ovium, & bubulcos fuiſſe abominationi Ægyptiis, legitur Gen. 46. 34. quia nimirùm, ajunt interpretes communiter, mactant, quæ ipſi colunt. Adeòque apud Ægyptios excreverat hæc ſuperſtitio adorandi Bruta, ut ex hoc Joſephus contra Appionem ratiocinetur: Orbem terrarum, ſi Ægyptiorum ſacra ſuſcepiſſet, brevi beſtiarum plenum, inanem hominum futurum. Et Cicero lib. 1. de natura Deorum dixerit, firmiores apud Ægyptios opiniones eſſe de beſtiis quibuſdam, quàm apud Romanos de ſanctiſſimis Templis, & Simulacris Deorum. Ab Ægyptiis propagata fuit Idololatria ad Perſas, Indos, & ad extremos terminos Sinarum teſte Kircherio in Prodromo c. 4. Certè hodiernæ etiam dictarum gentium conſuetudines, ac mores id indicant, cùm in India Sinis, Jappone, Tartaria, quin etiam in ipſa America, Solis, Lunæ, Syderum, Terræ, animalium omnis generis cultum non ſecùs, ac in Ægypto ab innumerabili tempore etiam nunc vigere noſtri deprehenderint.

XII. Mercurius Triſmegiſtus, qui Moſis tempore floruiſſe fertur, originem ſimulacrorum refert ad priſcos proavos ſuos, apud Auguſtinum 8. de Civit. Dei c. 24. Græci poſteà, cùm priùs ſine ſimulacris colerent numen, aliæque gentes, ſimulacra fecere, ipſique Romani, qui ut ſuprà dicebamus, multo tempore abſque ſimulacris fuere, tandem ſimulacra, in quibus Deos ſuos colerent, efformarunt. Scythæ etiam, priuſquam effigiata haberent ſimulacra, adorabant olim acinacem, Arabes lapidem, Perſæ fluvium, & ex aliis hominibus, qui erant antiquiores, ligna erigebant inſignia, & columnas ex lapidibus ponebant, ſeu titulos, in quibus Deos ſuos adorabant. Quare Deus Levit. 26. 1. æqualiter vetuit Judæis, facere Idola, ac titulos erigere, ſive inſignes lapides. *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*. Et numer. 33. 52. *confringite titulos, & ſtatuas comminui-*

uuite. Hinc apparet, Idololatriam ſua falſa numina coluiſſe primò ſine titulo, & ſimulacro externo, deindè cœpiſſe titulos, ac lapides in eorum proteſtationem erigere, in iiſque Deos adorare, tandem cùm perveniſſent artifices, qui ſimulacris homines, aut beſtias effigiarent, cœptum eſt adorare numina in ſimulacris, eòque magis crevit Idololatria; unde Clemens Alexandrinus in Protreptico ait: *Poſtquam autem ars floruit, auctus eſt error*. Hac ergò vaniſſima religione, quæ toto orbe ſerperat, Judaicus populus identidem maculatus eſt, nec ipſum deterrere ſat erant comminationes, ac pœnæ, quibus hujuſmodi fœdifragos mulctabat Deus, quorum exemplis refertæ ſunt ſacræ paginæ. Adveniente tamen Chriſto, ejuſque Evangelio Orbi annunciato, Idola ruere cœperunt, adeò ut Roma ipſa, quæ omnium ſuperſtitionum aſylum facta teſte Leone I. ſerm. 1. in Natali Apoſtol. *Omnium gentium ſerviebat erroribus, & magnam ſibi videbatur aſſumſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem*, veritatis diſcipula effecta, Idolis confractis, verum Deum cognoſcere cœperit, ac veræ Religionis caput evaſerit. His prænotatis ad rem veniamus.

CAPUT IV.

Religio Idololatrica, falſa Religio eſt.

§. I.

Dii Paganorum Dii non ſunt.

I. Aſſertio hæc ex dictis cap. 2. probata manet. Vera etenim Religio ea eſt, quæ vero Deo cultum exhibet; atqui ex probatis, verus Deus unus, imò ipſa unitas, eſt. Ergò vera Religio ea ſola eſt, quæ uni Deo cultum præſtat. Cùm ergó religio Paganorum, & Idololatrica non uni, ſed innumeris Diis cultum exhiberet; Indè fit, ut vera religio eſſe non poſſit. Ad eam exterminandam inſudarunt Patres, quorum aliquas rationes ſubjiciemus.

II. Ulteriùs ex D. Auguſtino lib. de vera Religione cap. 55. ſic probo. Idololatræ, quibus religio erat colere plures Deos, vel colebant opera, & artefacta hominum, vel beſtias, vel homines mortuos, vel dœmones, vel terram, & aquas, vel aerem & ignem, vel aſtra, vel viventia, puta arbores, vel homines, vel angelos: ſed nulli ex his cultus divinus tribuendus eſt, nec vera religio; ergò &c. Min. probat S. Auguſtinus citatus ſic.

Si eſſent colenda opera hominum, multò magis colendi eſſent artifices. qui ea fecerunt, quia meliores illis. Si colendæ eſſent beſtiæ, multò magis homines, quos tamen colere non debemus. Non ſunt colendi ut Dii homines mortui, quia ſi piè vixerunt, non tales, nempè divinos, à nobis petunt honores, ſed illum coli volunt, quo illuminante lætantur. *Honorandi ergò ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem*. Si autem malè vixerunt, ubicumque ſint, non ſunt colendi. Dœmones colendi non ſunt, quia hominum hoſtes de hominum pœnis triumphant. Terra, & aqua colenda non ſunt, quia iſtis lucidior, ac purior eſt aer, etiam caliginoſus. Nec etiam colendus eſt aer purior, ac ſerenior, quia luce abſente adumbratur, & aere purior eſt ignis noſtri ſplendor, ac fulgor: nec tamen ignem colere debemus, quoniam ipſum pro voluntate accendimus, & extinguimus. Corpora autem ætherea, atque cœleſtia neque colenda ſunt, quia licèt omnibus cæteris corporibus rectè præponantur, melior tamen eſt ipſis quæcumque vita. Vitam, qua arbores dicuntur vivere, colere non debemus, quoniam nullus ſenſus in ea eſt, ſicut nec in capillis, & oſſibus, quæ ſine ſenſu præciduntur, hac autem melior eſt vita ſentiens, quam tamen in beſtiis colere non debemus. Neque anima ipſa rationalis ut Deus colenda eſt, etſi perfecta, ac ſapiens ſit, quia omnis vita rationalis, ſi perfecta eſt, incommutabili veritati ſecum intrinſecus loquenti obtemperat, non obtemperans vitioſa ſit; quod autem alteri obtemperat Deus non eſt; quia non per ſe excellit, ſed per eum, cui obtemperat. Eadem ratione Angeli colendi non ſunt, quia nec à ſe beati ſunt, nec nos eos videndo beatos reddunt, ſed & ipſi & nos unum videndo Deum beati ſumus. Videatur S. Doctor.

§. II.

Quid Dii facti ab hominibus.

III. Evertenda ſecundò eſt Idololatria armis, quæ tractat Athanaſius orat. contra gentes à num. 9. Et primò ſic: Verus Deus debet à ſe ipſo eſſe Deus, & naturâ talis, non ab alio factus, aut in Deum aliorum, nimirùm hominum ſuffragio, atque arbitrio cooptatus. Atqui Gentilium Dii non naturâ tales ſunt, ſed hominum voluntate facti; Senatus enim Romanus, Imperatores omnes, quorum virtutes ſibi placebant, inter Deos eſſe decernebat, ac ut Deos coli, jubebat, cæteros autem inter homines relinquebat. Ergò verè Dii non erant; quales enim Dii,

Dii, qui ab hominibus divinitatem emendicabant? Quales effectores divinitatis, qui Deos faciendi poteſtatem jactarent, ipſi verò ſe homines eſſe, ac mortales non inficiarentur? Hi enim, qui Deos faciunt, potiùs Dii cenſendi eſſent, quàm quos ipſi faciunt Deos: ſi quidem res, quæ facit, eâ quæ fit, præſtantior eſſe debet, & qui aliquem judicat, ejus, qui judicatur, neceſſe eſt, ut ſit Dominus: Is item, qui aliquid donat, omninò id, quod habet, largitur. Quapropter ſi, quos ipſi voluerint, Deos eſſe decernebant, eos ſanè primùm Deos quoque eſſe, oportebat. Vel ſi homines erant, moriendo ſuum de his, quos Deos fecerant, ſuffragium falſum fuiſſe, apertè arguebant. Cùm ergò omnes Paganorum Dii, ii etiam qui apud Græcos celebrabantur, Juppiter, Neptunus, Apollo, Mercurius, & è fœminis Juno, Ceres, Pallas, Diana, Theſei edictis, quem Græcorum hiſtoriæ præcipuè commendant, divinitatem ſint conſecuti, quis veros fuiſſe Deos ſibi ſuadeat? Quo modo illi, qui id ſancivere mortui lugentur, hi autem, quos Deos ſtatuerunt, tanquàm Dii adorantur? Incredibilem certè repugnantiam, atque inſaniam!

IV. Verùm (proſequimur ex Athanaſio) utinam ſaltem in maribus ſtetiſſet Idololatria, neque fœminis divinum honorem detuliſſent: ſiquidem etiam mulieres, quas neque ad publica concilia admittere tutum eſt, divinis honoribus colunt, & venerantur, quales ſunt, quæ ut ſupra nominavimus, Theſei præſcripto inter numina ſunt relatæ, & apud Ægyptios Iſis puella, & adoleſcentula, atque apud alios Venus. Priſcis enim temporibus mos erat, poſt amiſſos, quos habuerant chariſſimos fratres, cognatos, uxores, viros, illos cogente luctus acerbitate picturâ exprimere, & ſacrificiis conſecrare, quos deindè poſteri, ſimulacra eorum videntes, ut Deos venerati ſunt. Verùm qua ratione? Quomodo enim Dii, quos eorum parentes luxere, ut qui Dii non eſſent? Si enim Deos illos eſſe perſuaſum habuiſſent, minimè ut perditos, & mortuos defleviſſent. Quomodo Dii, quos non tantùm non eſſe Deos, ſed nec exiſtere putabant? Si enim adhuc exiſtere putaſſent, illorum formam imagine non expreſſiſſent, ut hanc præ oculis habentes dolorem mitigarent, quem ex eo, quòd ampliùs non exiſterent, acceperant. Quid ergò ſtultiùs, quàm iſtos tanquam Deos precari, & veri Dei honore proſequi? Legantur Scripturæ ſap. 14. 12. ex quibus hæc cum Athanaſio deſumſimus.

§. III.

Quia eorum geſta Deo indigna.

V. EVertitur ſecundò ex eodem Athanaſio ſic. Si quis illorum, quos Deos prædicabant Gentiles, res geſtas velit perpendere, eos non ſolùm non eſſe Deos, ſed homines; imò hominum impiiſſimos fuiſſe reperiet. Quid enim, quæſo, turpiùs, quàm illi Jovis amores, & impudicitiæ, quas apud Poetas legere licet? Quid fœdius, quàm cùm audis, eum rapere Ganimedem, cùm voluptate victum mulieribus ſervire vides, illarumque causâ brutorum animantium quadrupedum, & volucrum formas, non ſine ſui periculo induere: ut Patris inſidias fugiat, latebras quærere, deindè Saturnum ſuum Patrem ab illo vinciri, & caſtrari? An ergò æquum eſt, illum cenſeri Deum, qui & flagitia commiſit, & tantorum ſcelerum reus eſt, quæ neque communes Romanorum leges, vel ipſis hominibus facere permittunt? Quis cognitis flagitiis, & ſtupris, quibus Semelem, Ledam, Alcmenam, Dianam, Latonam, Majam, Europam, Danaem, & Antropam vitiavit, vel quis perſpectâ in propriam ſororem impudicâ audaciâ, quam nimirùm ſimul, & ſororem, & uxorem habuit, illum non deſpiciat, ac morte dignum æſtimet? Qui ulteriùs, quos ex ſtupris procreaverat liberos, Bacchum, Herculem, Dioſcurem, Mercurium, Perſeum, & Soſpitam inter Deos retulit, divinitatis ſpecie ad ſuam pravitatem tegendam abuſus? Quid indignius, ac imbecillius, quàm cùm ipſum (Jovem) vides mortem filii ſui Sarpedonis graviter ferre, eique opitulari velle, nec poſſe? Quid miſerius, quàm cùm cernis, ei inſidias ab aliis, qui dicuntur Dii, fieri, Minervâ nempè, Junone, & Neptuno, opemque ferri à Thetide Muliere, & à Centimano Egeone? Hæc ſunt heroica facinora Jovis, quem ſummum inter Deos Pagani venerabantur. Mitto Martis cùm Venere adulterium, & utrique paratas à Vulcano inſidias, alioſque, quos vocant Deos, ad ſtupri ſpectaculum ab eodem Vulcano accerſitos adventantes coram; quis enim illorum impudicitiam contueri conſpiciens, riſum tenere queat, eoſque non valdè aſpernetur? Quis non rideat, ſi Herculem viderit præ ebrietate in Omphalem libidinosè inſanire? Mitto contentionem implacabilem, qua Dii illi Græcorum, ac Trojanorum causâ apud Ilium inter ſe pugnabant. Quis enim horum imbecillitatem non condemnet, qui nempè mutuâ inter ſe rixâ etiam homines irritaverint. Martem, ac

Digitized by Google

ac Venerem à Diomede vulnerari, Junonem, & Plutonem ab Hercule, Bacchum à Perſeo, & Minervam ab Arcade, Vulcanum verò è Cœlo projici, eoque caſu Claudum fieri: quis audiat, quin ſtatim hujuſmodi naturam Deorum ob flagitia deteſtetur, ac propter imbecillitatem non Deos, ſed homines, eoſque imbecilles, atque paſſibiles agnoſcat, magiſque eos, qui vulnerant, quàm qui vulnerantur jure merito admiretur. Hæc ex Athanaſio, quibus ſimilia exprobrabat Cyrillus Juliano in ſuis libris contra Julian. Lactantius l.1. Inſt. c.9.10.11. &c. Undè D. Auguſtinus l.7. de Civit. Dei c.27. ait, Deos ſelectiores *innotuiſſe magis per eorum crimina, quàm per eorum merita*, & eodem lib. cap.4. obſervat, famoſiores Deos criminibus eſſe inſigniores, cùm in aliis Diis minus famoſis vix crimina reperiantur. *Vix quiſquam reperitur Deorum non ſelectorum, qui aliquo crimine famam traxit infamem: vix autem ſelectorum quiſpiam, qui non in ſe notam contumeliæ inſignis acceperit.*

VI. Confugiunt hìc Pagani ad ingenium Poetarum contendentes, omnia ea probra, quæ de eorum Diis narrantur, figmenta eſſe Poetarum. Idem reſpondebat Julianus D.Cyrillo l.2. contra Julianum, dicens. *At qui Græci fabulas de Diis confinxerunt incredibiles, & portentoſas. Nam Saturnum filios devoraſſe dixerunt, deindè rursùs evomuiſſe. Mox injuſtas nuptias, Jovis nempe cùm matre congreſſum, ſuſceptiſque ex ea liberis, filiæ nupſiſſe, eam denique conſtupratam, alteri collocaſſe, ajunt. Ad hæc feruntur Bacchi laniatus & membrorum congluti nationes. Hujuſmodi res Græcorum fabulis produntur.*

VII. Ad hæc reponebat Athanaſius loco citato n.16. Si quæ Poetæ narrant commentitia, & falſa ſunt: falſa quoque erunt Jovis, Saturni, Junonis, Martis, aliorumque nomina, nec ullus omninò exiſtit Juppiter, vel Saturnus, vel Mars, ſed eos quaſi exiſtentes ad auditores decipiendos finxerunt Poetæ. Si ergò Poetæ res, quæ non exiſtant, fingunt, quare Deos illos velut exiſtentes colunt?

Dices, nomina quidem non fingi, ſed facta falsò illis adſcribi. At hoc nihilo tutius eſt. Nam ſi facta commenti ſunt, cur non & nomina? vel ſi in vulgandis nominibus veraces ſunt, cur non quoque in enarrandis factis veraces erunt? Dicam potiùs, Poetas fabulatos, ac commentos fuiſſe, quando illos vocarunt Deos: noverant enim, quæ Deos decet agere, neque unquam hominum notas Diis affinxiſſent, ſi eos revera Deos credidiſſent: actus quippe naturis congruere debent, ut & effectus authorem teſtetur, & ex natura actus poſſit cognoſci. Quemadmodum ergò ſi quis

ſi quis veraciter vellet de aqua, & igne diſputare, eorùmque effectus afferre, nunquam profectò diceret, aquam comburere, & ignem refrigerare; ita ſi Deos eſſe Jovem, cæteroſque alios, certum habuiſſent illorum Scriptores Poetæ, hujuſmodi actus illis non adſcripſiſſent, quibus eos non Deos, ſed homines, non ſapientes, ſed inhoneſtos, atque nequiſſimos fuiſſe, manifeſtum fieret.

VIII. At inquies, mentiti ſunt, tuque illos falſi arguis. Eſto. At quare mentiti ſunt, cùm eorum vitia retulerunt, & non potiùs cùm prodiderunt aliquas eorum virtutes? Quare de eorum fortitudine falſa dixiſſe non vis, nec pro fortitudine imbecillitatem, aut pro imbecillitate fortitudinem commentos eſſe? Siquidem, ut vos vultis, proprium Poetarum erat, in omnibus fingere, & mentiri. Atqui cùm de hominibus quidem ſcripſerunt, veritatem ſervavere; cùm autem de iis, quos Deos vocant, ſermonem habuerunt, mendaces eſſe non ſunt veriti. Ita planè, dicet aliquis, cùm impudica eorum facta narrant. At cùm eos laudant, cùm Jovem Patrem Deorum, ſupremumque, ac Olympium, & in Cœlis imperantem prædicant, illos nihil comminiſci, ſed vera dicere. Sed hoc vanum effugium jam precluſum eſt. Facta eos fuiſſe homines palàm demonſtrant, ſed laudes, quibus eos efferunt, hominum naturam longè ſuperant, utrumque horum ſecum pugnat; nam neque proprium eſt Cœleſtium iſta agere, neque hominibus ejuſmodi laudes debentur. Quid ergò? Dicam. Non aliud, niſi falſas quidem, & adulationis ergò, fictas fuiſſe laudes, facta autem vera eſſe. Nemo enim, qui aliquem laudare aggreditur, ejus vitam vituperat; ſed contra, quorum vita turpis eſt, ad ſubmovendam vituperationem, quæ inde ſequi ſolet, illas laudibus ſupra modum extollere mos eſt, ut & laudum magnitudine auditores decipiant, & illorum, quos laudant, nequitiam occultent. Itaque quemadmodùm, qui aliquem laudare, inſtituit, ſi nullam, vel in factis, vel in moribus laudis materiem repererit, cùm nihil niſi turpe in his occurrat, alio commendandi genere uti, cogitur, illique, quem laudat, ea, quæ propriis meritis majora ſunt, affingit. Ita cum egregios Poetas Deorum ſuorum turpitudinis puderet, nomen humanâ naturâ majus eis appoſuere, non intelligentes, ſe commentis, quæ in mortalium conditione minimè quadrant, humana illorum facta non obſcurare, vel abſcondere, ſed potiùs humanis illorum vitiis apertè demonſtrare, Dei notiones illis nequaquam congruere.

§. IV.

§. IV.

Quia eorum Sacra inhoneſta.

IX. Verùm de talium Deorum impudicis factis judicium ſuſpendamus. Si vera non erant flagitia, quæ de Diis commenti erant Poetæ: cur in eorum ſacris, ac ludis repræſentari ſinebant? Debuiſſent indigna hæc repræſentantes, ac Diis in eorum ſacris affingentes punire; cùm ergò id non fecerint, imò & talibus obſcænis ludis delectati ſint, indicium eſt, vel eos revera talia patraſſe, vel eos non eſſe Deos, qui approbarint ejuſmodi obſcænitates, à quibus homines etiam honeſti abhorrere, conſueverunt. Ita S. Auguſtinus lib.2. de Civit. Dei cap.8. rem hanc tractans ait. *At enim non traduntur iſta ſacris Deorum, ſed fabulis Poetarum. Nolo dicere, illa myſteria, quàm iſta theatrica eſſe turpiora: hoc dico, quod negantes convincit hiſtoria, eoſdem illos ludos, in quibus regnant figmenta Poetarum, non per imperitum obſequium ſacris Deorum ſuorum obtuliſſe Romanos: ſed per ipſos Deos, ut ſibi ſolemniter ederentur, & honori ſuo conſecrarentur, acerbè imperando, & quodam modo extorquendo feciſſe*, quod in primo libro (cap.32.) *brevi commemoratione perſtrinxi*, & eodem libro cap.29. *Quo pacto igitur Deos, qui talibus delectantur obſequiis, haberi putas in numero ſanctarum poteſtatum, cùm homines, per quos eadem aguntur obſequia, non putaſti habendos in numero qualiumcumque Civium Romanorum?* Adeo enim erant turpia ſacra, quæ Diis peragebantur, ut ii, per quos fiebant, infames eſſent, & Romani dedignarentur, eos numero Civium quocumque modo habere.

§. V.

Nec Dii ſunt, quia rerum aliquarum Inventores.

X. Ad hæc Pagani dicebant: quidquid ſit de vita, moribuſque, hos ut Deos veneramur, & colimus, quia nobis utiles fuere. „ Juppiter enim Plaſtices, ſive artis figlinæ author „ fuiſſe dicitur, Neptunus Nauticæ, Vulcanus fabrilis, Minerva „ textrinæ, Apollo muſicæ, Diana item venandi artem, veſtes „ ſive corporis ornatum Juno, Ceres agriculturam; aliique alias „ artes invenere, ut apud hiſtoricos legitur.

XI. Sed eos refellit Athanaſius citatus n.18. primò. Nam artes ex diligenti naturæ inveſtigatione, & magiſterio inventæ ſunt.

ſunt. „ Ergò ſi præfati in his artibus, quibus nàvarunt operam,
„ periti evaſerunt, non idcirco Dii, ſed potiùs homines exiſti-
„ mandi ſunt: nec enim artes ab illis ſunt profectæ: ſed ipſi in ar-
„ tibus naturam imitati ſunt, in quam intuentes, ejuſque perce-
„ pta cognitione, artes excogitaverint. Secundò, ſi ob inventas
„ artes Deos eos meritò nuncupandos eſſe contendant, reſtat,
„ ut & alii artium inventores eodem, quo illi, jure Dii appel-
„ lentur. Etenim literas Phænices invenere, Poeſim Heroi-
„ cam Homerus, Dialecticam Zeno Eleates, Rhetoricam Co-
„ rax Syracuſius, apum opera Ariſtæus, frumenti ſementem
„ Triptolemus, leges Lycurgus Spartiates, & Solon Athenien-
„ ſis, literarum ordinem, numerum, menſuraſque, & pon-
„ dera Palamedes: alii denique alias, & varias res hominum
„ vitæ perutiles, ut teſtantur Hiſtorici, protulerunt. Igitur ſi
„ ſcientia Deos facit, atque ideò Dii ſculpti ſunt, neceſſe omni-
„ nò erit, illos quoque,qui poſtea aliarum artium authores fuere,
„ inter Deos numerari, (ſicut & apud nos illum, qui typogra-
„ phicam artem, qui vitriariam, qui pulverem ſulphureum, qui-
„ que tormenta bellica, ac bombas primùm excogitarunt). Vel
„ fortè, ſi eos divinis honoribus dignos non judicant, ſed homi-
„ nes eſſe agnoſcunt, conſequens eſt, ut nec Juppiter, nec Juno,
„ nec alii Dii appellentur, ſed verè homines fuiſſe credantur.
Ita Athanas. Accedit falſum eſſe, eos dictarum artium reperto-
res fuiſſe, cùm multo tempore ante illos uſu receptæ, ac adin-
ventæ fuerint. Artem enim plaſticam quis homines docuit, niſi
Deus, dum hominem formavit de limo terræ? Geneſ. 2. 7. Nau-
ticam non Neptunus, ſed Noè inſpirante Domino primus inve-
nit, dum Arcam navis ad inſtar fabricavit, ut in ea reliquias hu-
mani generis à diluvio præſervaret Geneſ. 6. 14. Tubalcaïnum
ferrariæ artis inventorem fuiſſe traditur Geneſ. 4. 22. Tubalcain,
qui fuit Malleator, & Faber in cuncta opera æris, & ferri; Muſicæ
autem Jubal Gen. 4. 21. *qui fuit Pater canentium Citbarâ, & Or-
gano*. Lamechum, dum venationi operam daret, occidiſſe ex er-
rore Cainum, Hebræorum Traditio eſt ſuper illa verba Gen. 4. 23.
Lamechi, dicentis: *Occidi virum in vulnus meum*. Cainum etiam
fuiſſe Agricolam, legitur ibidem c. 42.; qui omnes cùm multis ſæ-
culis præiverint Deos à Paganis confictos, conſtat, neque hoc
titulo eis convenire divinitatem.

XII. Si dixeris cum Juliano apoſtata apud Cyrillum lib. 7.
contra Julianum, Deos, eſto non fuerint primi inventores, præ-
ſidere tamen ſingulos iis artibus, quibus patrocinantur: *Sanat
corpora noſtra Æſculapius, erudiunt muſæ noſtros animos cùm Æſcu-*
la-

lapio, & Apolline, & docto Mercurio. Mars autem, & Bellona ſocii, & adjutores ſunt in bello: Vulcanus, quæ ad artes ſpectant, adſignat, & dividit. Hæc autem omnia Pallas cùm Jove Virgo matre carens moderatur. Hæc Julianus.

XIII. Reſpondetur tamen à D. Cyrillo ſic. Conſtat igitur inter Deos, alios medicinam profiteri, alios eloquentiâ præcellere, alios cædes edocere &c. Denique, ut ſemel dicam, unuſquiſque eorum ei maximè idoneus eſt, ad quod naturâ comparatus dicitur. Ergò quùm unius officii fungendi vices ſingulis attributæ ſint, in cæteris erunt otioſi, & nihil valebunt. At quomodo tales eſſent Dii? Quis enim audeat, Deum dicere illum eſſe, qui bono ſit aliquo deſtitutus? cùm Deus potentiſſimus eſſe debeat, ac perfectiſſimè complectens omnia, quæ ſupremæ naturæ conveniunt? Si quilibet eorum verè Deus eſt, quare non quilibet potens eſt ſanare, erudire, juvare in bello, artibus præeſſe &c. omnia præſtare? Atqui, dices, peculiaris unicuique virtus eſt, ſuæque artis ſinguli proprium exhibent ſpecimen: ergò, inferam ego, nullus eorum verè Deus eſt, imò neque homo inter homines præſtantiſſimus. Plures enim inter homines plurium artium magiſtri præſtantiſſimi ſunt, & ipſis Græcorum Diis præſtantiores. Fieri enim poteſt, & ſæpè fit, ut quidam artem medicam non ignoret, & rerum bellicarum ſcientiâ, & eloquentiæ, cæterarumque artium laude commendetur. Ergò vel illi non erant Dii, ſi ad unam dumtaxat rem apti ſunt, & habiles, vel homo poteſt eſſe, & aliquandò eſt iis Diis præſtantior, cùm in homine uno omnes illorum dotes ſimul congeſtas videre liceat. Hæc ex Cyrillo.

§. VI.

Simulacra Dii non ſunt.

XIV. Evincitur tertiò Idololatrarum vanitas ſimulacra colentium. Quid enim in illis ſimulacris adorant? Fortè lapides, ac ligna, ex quibus conficta ſunt? Sed non advertunt, ſe res prorsùs ſimiles pedibus conculcare, quarum partes Deos ſuos nuncupant, & quæ paulò ante in omnes uſus aſſumebant? Si hæc eadem, dum ſculpta ſunt, venerantur, non cogitant, ſe non Deos, ſed cælatoris artem adorare? Certè quamdiù impolitus eſt lapis, & materia rudis, tamdiù iſta calcant, & ad ſuos ſæpè uſus etiam viliores adhibent: cùm verò fictor artem ſuam in illis exercuerit, & viri, vel mulieris forma materiam figurarit,

rit, tunc gratias agunt artifici, jamque ut Deos colunt, quos mercede à Cœlatore emerunt. Quin etiam fictor, quaſi oblitus, quæ ipſe fabricavit, propriis operibus ſupplicat, & quæ paulò ante ſcalpebat, & incidebat, hæc eadem perfecto opere Deos ſalutat. Atqui ſi non materia artem, ſed ars materiam ornavit, & Deum fecit, multò æquius erat ab illis coli artificem, quàm ea, quæ ipſe fecerat: tum quia ipſe artifex Diis illis artefactis tempore prior eſt; tum quia, ut voluit, ſic illi effecti ſunt. Nunc verò rejectâ æquitate, ſcientiâque, & arte poſthabitâ, ea adorant, quæ ſcientia, & arte effecta ſunt: cùmque ipſe homo eorum author moriatur, ea quæ ab illo facta ſunt, tanquam immortalia colunt, quibus utique niſi aſſiduam curam adhibuerint, ex ſuâ certè naturâ tempore interitura ſunt.

XV. Qui ſanè miſerandi non ſunt vel eâ de causâ, quòd ipſi videntes res, quæ non vident, adorent; ipſi audientes, rebus quæ non audiunt, ſupplicent: ipſi denique, cùm ſint homines animâ, & ratione ex ſuâ naturâ præditi, illos, qui nullo planè modo moventur, ſed inanimati ſunt, tanquam Deos honorent: & quod ſtupendum eſt, quos ipſi in ſua poteſtate habent, & cuſtodiunt, iis ut Dominis ſerviant. Horum ſtultitiam ennarrat David pſ.113.4. *Simulacra gentium argentum & aurum opera manuum hominum; os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient &c.* quos proindè Spiritus Sanctus per vocem Iſaiæ 44. 9. *Plaſtæ Idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis; ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. Quis formavit Deum, & ſculptile conflavit ad nihil utile? Ecce omnes participes ejus confundentur: fabri enim ſunt ex hominibus, convenient omnes, & ſtabunt, & pavebunt, & confundentur ſimul &c.* „ Hinc „ Athanaſius. Utinam enim ſaltem ſine figura Deos illis finxiſſet artifex, ne evidens propriæ ſtupiditatis argumentum haberent. Simplicium quidem animos adducere potuiſſent, „ ut ſenſum Idolis eſſe crederent, niſi ſigna ſenſuum, uti oculos, nares, aures, manus, & os immobilia haberent ad ſentiendum. Nunc autem habentes non habent, ſtantes non ſtant, & ſedentes non ſedent. Neque enim hæc agendi vim „ habent, ſed ut fictori placuit, ita manent, & jacent, nullumque divinitatis indicium exhibent, ſed inania prorsùs ſunt, „ ſolaque hominum arte exiſtunt. Hæc Athanaſ. laudatus n.15.

XVI. His rationibus convicti variè reſpondebant Æthnici apud Athanaſium. Primò, ſe non negare, hominum, ac belluarum figuras ſuos Deos eſſe, ſed ideò ita eſſe, ut Deus per has figu-

figuras ipſis det reſponſa, atque appareat: nec enim eum, qui oculis videri non poteſt, aliter poſſe cognoſci, quàm per hujuſmodi ſimulacra.

XVII. Verùm eos ſic Athanaſius perſtringit. Quonam modo Deus per hæc ſimulacra reſpondet, & cognoſcitur? An ob materiam, ex qua conſtant, an ob formam, quam habent? Si ob materiam, quis ergò formæ uſus? Et cur antequam hæc efficta eſſent, & tali formâ donata, per quamlibet materiam ſe videndum Deus non præbebat? Si ob lapidem, lignum, vel aurum loquitur illis Deus, cur Templa muniunt muris; ut in eo lapidem unum, lignum, aut auri partem includant, cùm univerſa terra hiſce rebus ſit plena? Si verò dicant, impoſitam illam formam, ſeu figuram divini adventus cauſam eſſe, cui ſervit materia auri, ligni, aliarumque rerum? Cur non potiùs per ipſa vera animalia, quorum effigies ſunt ſimulacra, Deus apparet? Dignior ſiquidem de Deo opinio haberetur, ſi per animalia viventia, ſive ratione prædita, ſive rationis expertia appareret, potiùs quàm in inanimis, ac immobilibus. Imò ſummam impietatem adversùs ſe ipſos committunt, qui cùm vera animalia, quadrupedes, aves, ſerpentes, ſeu ob feritatem, ſeu ob fœditatem fugiant, & abhorreant, horum tamen formas lapide, auro, ligno inſculptas Deos faciant. Convenientius ſanè erat, ipſa viventia, quàm eorum formas, coli. Si dicant, neutrum eorum, neque formam, neque materiam Dei adventus cauſam eſſe, ſed ſolam artem cùm ſcientia conjunctam divinum numen evocare. Contra eſt. Si propter ſcientiam, & artem Deus ad ſimulacra accedit, quis rursùs materiæ uſus, cùm ars, & ſcientia in hominibus reſideant? Si enim prorsùs propter artem, & ſcientiam apparet Deus, & idcircò ſimulacra tanquam Dii coluntur: ipſi profectò homines artis authores multò magis venerandi, & colendi erant, quòd ratione ſint prædíti, ſcientiamque & artem in ſe ipſis habeant.

XVIII. Reſpondebant ſecundò alii preſtantiores Philoſophi apud eundem Athanas. laudatum, altiora dicere rati: nimirùm hæc ſimulacra facta, & expreſſa fuiſſe ad divinos Angelos, & Poteſtates invocandum, & accerſendum, ut per hæc ſimulacra apparentes, Dei cognitionem ipſos docerent, eſſeque hominibus inſtar literarum, quarum lectione divinis Angelis per illa advenientibus Dei ſcientiam percipere poſſint.

XIX. Attamen ſi quis (reponit Athanaſius) ſi quis id reſponſi velit expendere, facilè reperiet, non minùs falſam eſſe iſtorum opinionem, quam ea, quæ ſupra à nobis refutata ſunt.

Si enim iſta fabricata ſunt, non ut ipſe Deus, ſed ut ipſi Angeli illic appareant, cur ſimulacra, per quæ Poteſtates invocatis, iiſdem, quas invocatis Poteſtatibus, pluris facitis? Cur vos, qui ſimulacra hæc Dei cognoſcendi gratiâ ſculpere dicitis, ipſius Dei honorem, & nomen his ipſis ſimulacris imponitis? Vos, qui divinam poteſtatem ſimulacrorum tenuitatem longe excellere fatemini, & id circò per ſimulacra non audetis, ipſum Deum, ſed ſolùm inferiores poteſtates invocare, quare prætermiſſis Poteſtatibus, Dei nomen, cujus preſentiam formidabatis, lapidibus, ac lignis impoſuiſtis, ea Deos vocare, diviniſque afficere honoribus, non verentes? Si, quia ad inſtar literarum ſunt ad Deum contemplandum, æquum certè non eſt, ea Deo anteferre, neque enim ſi quis ſcriptum Imperatoris nomen ipſi Imperatori prætulerit, id impunè facturus eſt. Certè nomen ſcriptum nihil aliud, quàm ſcribentis opus erit. Si ergò quia ſimulacra Dei præſentiam ſignificant, idcò ut Dei ſigna divinitate digna judicantur, artificem, qui ea pro ſua voluntate inſculpſit, Deum fieri, longè convenientius erat, utpotè qui illis potentior ſit, ac divinior, eaque ad ejus arbitrium fuerint edita, atque inſculpta.

XX. Aliter Hermes Ægyptius, dictus Triſmegiſtus, de Diis ſuis fabulatus eſt apud Auguſtinum lib. 8. de Civit. Dei cap. 23. Dicit enim, alios eſſe Deos à Summo Deo factos, alios ab hominibus, illos Spiritus vocat, hos ſtatuas eſſe dicit, quæ veluti corpora Deorum ſunt: his autem ineſſe quoſdam Spiritus invitatos, qui valeant, aliquid, ſivè ad nocendum, ſivè ad deſideria eorum nonnulla complenda, à quibus eis divini honores, & cultus obſequia deferuntur. Hos ergò Spiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata, & ſubdita ſimulacra: Hoc eſſe dicit Deos facere, eamque magnam, & mirabilem Deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem. Ita refert Auguſtinus.

XXI. Hoc tamen falſum eſſe, ex iiſdem Hermetis verbis S. Auguſtinus evincit. Subdit enim Hermes poſt deſcriptam ſuorum Deorum religionem, *futurum tempus eſt, quo appareat Ægyptios incaſſum pia mente divinitatem ſedula religione ſervaſſe, & omnis eorum ſancta veneratio in irritum caſura fruſtrabitur*. Quibus verbis videtur prædicere tempus, quo Chriſtiana religio omnem Idolorùm cultum erat ſubverſura. Quomodo enim vera erat religio, quæ alia religione erat evertenda, quo modo veri Dii, qui alii Deo ceſſuri erant, nec proprium cultum tueri poterant?

rant? Verum ergò eſt, quod Spiritus Sanctus Jerem. 16. 20. dicit: *Si faciet homo Deos, & ecce ipſi non ſunt Dii*; & Zach. 13. 2. *Erit in illo die, dicit Dominus, exterminabo nomina ſimulacrorum à Terra, & non jam erit eorum memoria*. Specialiter autem de Ægypto Iſaiæ 19.1. *Et movebuntur manufacta Ægypti à facie ejus, & cor eorum vincetur in eis*. Præſtat ergó iterùm audire S.Auguſtinum in pſalm. 96. ſuper illa verba: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*: ſic loquentem. *Nonne factum eſt? Nonne confuſi ſunt? Nonne quotidie confunduntur? Sculptilia enim ſunt manufacta Idola. Quare jam confunduntur omnes, qui adorant ſculptilia? quia viderunt omnes populi gloriam ejus &c.... Sed exiſtit neſcio quis diſputator, qui doctus ſibi videbatur, & ait: non ego illum lapidem colo, nec illud ſimulacrum, quod eſt ſine ſenſu: non ego illud colo, ſed adoro, quod video & ſervio ei, quem non video. Quis eſt iſte? Numen quoddam, inquit, inviſibile, quod præſidet illi ſimulacro. Hoc modo reddendo rationem de ſimulacris ſuis, diſerti ſibi videntur, quia non colunt Idola, & colunt Dæmonia; etenim fratres, ſicut dicit Apoſtolus: quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo vos, inquit, ſocios fieri dæmoniorum, nam ſcimus, quia nihil eſt Idolum.... Non ergò hinc ſe excuſent, quia quaſi Idolis inſenſatis dediti non ſunt, dæmoniis magis dediti ſunt, quod eſt periculoſius. Nam ſi tantùm Idola colerent, ſicut eos non adjuvarent, ita illis nihil nocerent; ſi autem adores, & ſervias dæmonibus, erunt Domini tui. Et qui erunt Domini tui? Invidi tui libertati tuæ neceſſe eſt invideant, ſemper te velint poſſidere, ſemper te talem facere, qualem poſſint ſecum trahere* &c. Non pigeat lectorem audire Auguſtinum proſequentem, qui etiam omnes Gentilium excuſationes futiles, ac vanas oſtendit in ſequentibus, & ſerm.2. in pſal.113. Verùm

XXII. Quia aliqui erant, qui dicebant, ſe non adorare Idola, ſed id, qnod per Idola ſignificatur, eos ita perſtringit Auguſtinus ſerm.197. edit. Monach. S. Mauri: *Et ne quiſquam eorum diceret, non ſimulacrum colo, ſed quod ſignificant ſimulacra, ſubjecit ſtatim* (Apoſtolus) & coluerunt, & ſervierunt potiùs creaturæ, quàm Creatori. *Intelligite prudentèr. Aut ſimulacrum enim colunt, aut creaturam. Qui ſimulacrum colit, convertit veritatem Dei in mendacium. Nam mare veritas eſt: Neptunus autem mendacium factum ab homine, converſa veritate Dei in mendacium, quia Deus fecit mare, homo autem ſimulacrum Neptuni. Sed ne dicant, non colo ſimulacrum, ſed ſolem colo, ideo dixit* „ coluerunt potiùs creaturam, quàm Creatorem „. Rursùs ex eodem Auguſtino: ſi verum eſt, eos non adorare ſtatuam Neptuni, ſed mare, quod illa indicant,

cant, non ſimulacrum ſolis, ſed ſolem ipſum: cur quæſo ſæpiſſimè ſtatuam Neptuni, aut ſolis adorant, terga vertentes mari, ac ſoli? Hoc certè non eſt adorare ſolem, ac mare, ſed ſtatuam, quia ſi quis, ut veſtem regiam adoraret, terga verteret Perſonæ ipſius Regis, hunc nullus rectè exiſtimaret adorare Regem, ſed unicè Veſtem, & pluris facere Veſtem, quàm Regem: *Homines* (inquit Auguſtinus in pſalm. 113.) *talibus ſuperſtitionibus obligati plerumque ad ipſum ſolem dorſum ponunt, preces fundunt ſtatuæ, quam ſolem vocant.*

§. VII.

Mundus Deus non eſt.

XXIII. AT fortè, inquit D. Athanaſius, qui inter Paganos ſapientiores videri volunt, his argumentis convicti manus dabunt. Verùm tutam, ac invictam ſibi illam opinionem autumabunt, qua adducuntur, ut mundum, mundíque partes colant, atque in eo gloriabuntur, quod non lapides, ligna, hominumque, & animantium formas venerentur, ſed Solem, Lunam, cunctumque cœleſtem Mundum, nec non terram, & univerſam aquarum naturam. Contendent ergò, neminem oſtendere poſſe, res illas naturâ non eſſe Deos, cùm omnibus manifeſtum ſit, ea neque inanima, neque ratione vacua, ſed etiam hominum naturâ ſuperiora eſſe, eo quòd ipſa in Cœlis, hi in terris habitent.

XXIV. Itaque hæc à nobis diſcuti, & examinari, par eſt Primò enim natura ipſa, quam ceù Deum adorant, contra ſui adoratores clamat, dum & ipſa adorat Deum, à quo facta eſt, & ordinata, à quo regitur, & ſtatuto ordine conſervatur: *Cœli* (ajebat pſaltes pſalm. 18.) *enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Sanè mutua illa partium univerſi colligatio, qua una ope alterius neceſſariò eget, eas non eſſe Deos, ſed Dei opera manifeſtè teſtatur. Si quis enim naturæ partes ſigillatim circumſpiciat, & ſingulas ſeorſim conſideret, ut ſolem ſolum, vel ſolam lunam, itemque terram, & aerem, nec non frigidam, & humidam naturam, nullam omninó iſtarum ſibi ſatis eſſe, ſed omnes mutua ope indigere, hocque mutuo auxilio conſiſtere inveniet. Sol enim unà cùm univerſo Cœlo circumfertur, eoque continetur, nec unquam extra proprium circulum egreditur. Luna verò, aliaque aſtra, quantum ex ſole pendeant, palam teſtantur. Terram quoque ſine pluviis fructus nullos

Digitized by Google

los edere, cernimus. Pluviæ ſine nubibus in terram non decidunt, nubes ſine aere non conſiſtunt: Aer non à ſe ſed ab ethere calorem, & lumen à ſole mutuatur. Fontes, & fluvii remotâ terrâ non conſtant, nec terra ſuâ vi, ſed aquarum natura ſuſtinetur, atque in medio univerſi conſtricta tenetur. Mare à ventis movetur, ac fertur, quòcumque vis illorum impulerit. Venti ex ardore, & calore orti vi aere conſiſtunt, & per eum ubique flant. Elementa, ſi ad temperiem non redigantur, non permanent, ſed unum aliud opprimit, calor redundante frigore extinguitur, frigus viciſſim vi caloris evaneſcit. Siccitas rursùs humore madeſit, & humor ſiccitate exhauritur. Qui igitur fieri poteſt, ut res illæ Dii fuerint, quæ mutua ope indigent? Vel quo pacto aliquid ab eis petere poſſumus, quæ mutuam ipſæ exigunt operam? Namque ſi omnium conſenſu conſtat, Deum nulla re indigere, ſed ſolum ſibi ſatis eſſe, ſeque ipſo plenum eſſe, omniaque in illo conſiſtere, imo ipſum omnibus dare, ut conſiſtant, quâ quæſo ratione ſolem, & lunam, aliaſque creatæ naturæ partes, quæ tales non ſunt, ſed mutuo auxilio opus habent, Deos appellare, æquum eſt?

At fortè reponent, ſingulas quidem univerſi partes mutuâ ope indigere, ſecùs tamen totum hujuſmodi ex partibus conſurgens: hoc enim ſemel poſitum ſibi ad omnia ſatis erit, & ſufficiet. Hocque erit verus Deus.

XXV. Hæc effutiunt falſi ſapientes, ut nempè etiam ex hac parte poſſint redargui. Nam primò, ſi totum ſolum Deus eſt, non autem partes ſingulæ, cur ſingulas partes diviſim ſumtas, nimirùm ſolem, lunam, veluti Deum adorant? Secundò, ſi partes ſingulæ Deus non ſunt, quia aliquo extraneo indigent, ut conſiſtant, cùm etiam totum indigeat partibus, ut conſiſtat, neque totum Deus erit. Tertiò ex Athanaſio laudato n.28. Si ſingulæ partes totum ſimul conjunctæ efficiunt; ergò totum ex ſingulis partibus conſtat, quæ ſingulæ totius partes ſunt, & conjunctæ totum ſunt. Atqui id Dei notionibus maximè eſt alienum, Deus enim totum non partes eſt, neque ex diverſis rebus conſtat, ſed ipſe conſtitutionis omnium rerum author eſt. Rursùs ſi Deus ex partibus conſtat, ſanè ſibi ipſi diſſimilis, atque ex diſſimilibus completus videbitur. Nam ſi ſol eſt, luna non eſt; ſi luna eſt, ſol non eſt. Ut enim oculus non eſt auris, nec auris manus, nec venter pectus, ſed ſingula illa propriam habent efficientiam, ex quibus diverſis unum corpus conſtituitur, quod quidem uſu conjunctas habet partes, ſed quæ tunc dividentur, cum natura, quæ illas copulavit, eaſdem Dei juſſu ſeparabit; ita ſi creatæ naturæ

par-

partes in unum corpus coagmentatas Deum appellant, neceſſariò ſequitur, eum in ſe ipſo ſui eſſe diſſimilem: imò præterea dividi, cùm partes ex natura ſua dividuæ ſint, & ulteriùs cauſam aliquam dari extra illud totum, cujus efficientiâ, ſicut illæ partes in unum coaluerunt corpus, ita & poſſint dividi, & ſeparari, ſicque illud totum deſtrui.

XXVI. Secundò alia ratione horum impietas convinci poterit. Ponere, Deum eſſe totum conſtans ex partibus univerſi eſt ponere Deum corporeum, utpotè conſtantem rebus, quas oculis videmus, & manibus contrectamus. Deus autem incorporeus eſt, nec videri, aut tangi naturâ poteſt. Item Deus, utpotè omnipotens, à nulla re ſuperari poteſt, ſed omnia vincit, & tanquam Dominus regit. At qui naturam creatam Deum faciunt, hujuſmodi prærogativâ Deum ſpoliant; cùm enim ſol ſubter terram eſt, quominùs ejus lumen videatur, terræ umbra impedit; lunam autem ſol ipſe lucis ſuæ fulgore per diem abſcondit; terræ fructus non rarògrando lædit: ignis verò aquâ inundante extinguitur &c. Si autem Dii eſſent, nequaquam ſe invicem vincerent, & abſconderent, ſed potiùs ſemper ſimul invicem eſſe, communeſque effectus unà producere, par eſſet. Oporteret ergò per dies & noctes ſolem ſimul, & lunam, cæteraque ſydera par lumen habere, idque omnibus lucere, ac res univerſas ab illis colluſtrari.

Quod ſi ob mutuam inter ſe oppoſitionem ſimul jungi nequeunt, quî fieri poteſt, ut quæ invicem pugnant, & ſimul conſiſtere nequeunt, Dii nominentur, vel eis divini honores tribuantur? Quæ item diſcordi inter ſe ſunt naturâ, quomodo aliis precantibus pacem præbere, concordiæque authores eſſe, queunt? qua fiducia poteſt quis precari ſolem, cujus effectum ſcit poſſe à terra impediri; rogare lunam, quam novit ſolis luce abſcondi poſſe; terram orare, ut illi det uberes fructus, quam videt ſæpiſſimè ſiccitate, grandine, aliiſque cauſis, quas ipſa evitare non poteſt, ne uberes fructus proferat, prohiberi?

§. VIII.

Ex diſcordia opinionum de Diis.

XXVII. Ex diſcordia etiam opinionum, quas Pagani de Diis habent, eos non eſſe Deos evincit Athanaſius laudatus n.23. Si enim, ut prædicant, ii Dii ſunt, cuinam, quæſo, illorum ſe addicet homo? Quis eorum potentior, nec enim iidem apud

apud omnes ſunt Dii, ſed quot ferè ſunt gentes, tot etiam Dii confinguntur, adeò ut ſingulæ civitates, ac vici Deos vicinorum neſciant, ſuoſque aliis anteponant, & hos ſolos Deos eſſe arbitrentur. Nam quoad Ægyptios pertinet, diverſæ, ac inter ſe pugnantes religiones civitatum eſſe, omnibus conſtat, vicinoſque contraria vicinis ſemper coluiſſe. Hinc Crocodillus, quem alii ut Deum colunt, apud vicinos execrationi eſt. Leo, quem alii ut Deum adorant, à finitimis inventus tanquam fera occiditur: Piſcis, quem alii inter numina referunt, ab aliis ſanè in cibum capitur. Hinc bella, ſeditiones, crebræque cædium occaſiones inter eos exortæ. Inde, qui apud aliquos putantur Dii, Deorum, quos alii colunt, victimæ ſunt & hoſtiæ, & viciſſim aliorum victimæ Dii aliorum ſunt. Ægyptii quippe bovem, & Apim, qui vitulus eſt, venerantur; at alii illos Jovi immolant. Lybiæ quoque populi ovem, ſeu arietem, quem Ammonem vocant, Deum habent, at idem ab aliis ut victima multis immolatur: IndiBacchum colunt, quem vinum enigmaticè appellant, quod ipſum aliis alii libant. Alii fluvios, & fontes, & maximè Ægyptii, aquam cæteris rebus præferunt, Deoſque agnoſcunt: alii nihilominùs, & iidem Ægyptii, ſuas, aliorumque ſordes aquis abluunt, & quod inde reliquum eſt cùm contemtu projiciunt. Denique univerſa Ægyptiorum Idololatria aliorum Diis ſit victima.

XXVIII. Quin etiam nonnulli eò impietatis devenere, ut ipſos quoque homines, quorum ſimulacra, & imagines ſunt, ſuis falſis Diis immolent, & tanquam hoſtias offerant. Nec advertunt miſeri, victimas, quas jugulant, Deorum, quos affingunt, archetypa, atque exemplaria eſſe, & præſtantiora deterioribus ſe immolare, dum animata inanimis, & ratione prædita motu, ac ſenſu carentibus ſacrificant. Scythæ, qui Tauri dicuntur, Deæ, quam Virginem Dianam appellant, naufragos, & quotquot ex Græcis cœperunt, in ſacrificium offerunt. Alii ex bello victores reverſi captivos in centurias diſtribuunt, ex quibus ſingulis unum ſeligunt, totque Marti immolant, quot ex qualibet centuria delegerunt. Ægyptii ſimiles victimas Junoni quondam immolabant. Phœnices quoque, & Cretenſes liberorum cædibus propitium ſibi Saturnum reddere putabant. Quin & priſci Romani Latialem, ut vocant, Jovem humanis hoſtiis colebant. Atque etiam nunc eâdem impietate reos eſſe eos, qui in Indiis, ac Sinis Idola colunt, hiſtorici, qui de eorum moribus, ac religione agunt, teſtantur. Videatur Lactantius lib. 1. inſtit. cap. 21.

XXIX. Accedunt his impuri, ac fœdi actus, quibus in Deorum ſacrificiis ſeſe exercebant; olim enim Phænicıæ mulieres in Idolorum Templis priùs proſtabant, ſuique meretricii quæſtus primordia Diis, qui illic colebantur, conſecrabant, ſuam Deam pro ſtupris propitiam reddi, benevolamque hoc pacto effici ratæ. Viri quoque propriam ementiti naturam in fœminas ſe converterunt, rem pergratam, & honorificam Matri Deorum ſe ita facturos, arbitrati. Omnes denique turpiſſimis vitiis mancipati, quò in deteriora ruerent, eò ſuis Diis gratiores reddi, exiſtimabant. Hæc omnia deſcribit Paulus Rom.1.26. *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum uſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali uſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes &c.* Hæc autem, & ſimilia agendo in ſuorum Deorum cultu, fatentur certè, Deos, quos ipſi colunt, hujuſmodi vitam duxiſſe. Scilicèt ex Jove puerorum corruptiones, atque adulteria, ex Venere meretriciam vitam, ex Rhea luxuriam, ex Marte cædes, ex aliis alii ſimilia didicere, quæ quidem cùm leges puniunt, tùm probi homines abhorrent. Num igitur Dii haberi digni ſunt, qui talia agunt? An non potiùs pro morum diverſitate, ac luxuriâ beſtiis deteriores ſunt habendi? Num qui illos colunt digni ſunt, qui homines exiſtimentur? Hæc ex Athanaſio.

§. IX.

Diverſitas ſexuum in Diis.

XXX. Demùm ridicula de ſuis Diis oſtenditur Paganorum opinio apud Lactantium lib.1. inſt. cap. 8., quòd credant, eos, qui ex maris, ac fœminæ coitu progeniti fuere, aliquid divinitatis habere potuiſſe. Cùm Sibylla Erythræa apud Theophil. ad Antolycum dicat: *Non poteſt ex viri ſemine, & matrice Deus formatus eſſe*. Et ſanè quid tam remotum à Deo, quàm id opus, quod ipſe ad propagandam ſobolem mortalibus tribuit, & quod ſine ſubſtantia corporali non poteſt eſſe? Diis ergò, ſi ſunt immortales, & æterni, quid opus eſt altero ſexu, cùm ſucceſſione non egeant, qui futuri ſunt ſemper? Nam profectò in hominibus, cæteriſque animalibus diverſitas ſexus, & generatio nullam habet aliam rationem, niſi ut omnia genera viventium, quoniam ſunt conditione mortalitatis obitura, mu-

tuâ

tuâ poſſint ſucceſſione ſervari; Deo autem, qui eſt ſempiternus, neque alter ſexus, neque ſucceſſio neceſſaria eſt. Dicet aliquis; ut habeat miniſtros, vel in quos ipſe poſſit dominari. Quid igitur opus eſt ſexu fœmineo, cùm Deus, qui eſt omnipotens, ſine uſu, & opera fœminæ poſſit homines procreare? Nam ſi quibuſdam minutis animalibus id præſtitit, cur exiſtimet aliquis, id Deum non poſſe? Rursùs ſi iis, quos Dii generant, ut miniſtris dominantur, ergò filii per Deos geniti Dii non ſunt, quia Deus nullius imperium pati poteſt. Patet ergò, tàm Deos generantes, quàm Deos genitos homines fuiſſe mortales, potentiſſimos quidem Reges, famâ ſuarum virtutum celebres, ac memoria beneficiorum caros, in Deos à poſteris conſecratos. Hæc ex Lactantio.

Idem tractant argumentum ex Chriſtianis Arnobius lib. 3. in principio, & ex Ethnicis Plinius lib. 2. cap. 7. Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem naſci, & alios eſſe grandævos, ſemperque canos, alios juvenes, atque pueros, atri coloris, aligeros, claudos, aut editos, & alternis diebus viventes, morienteſque, puerilium propè deliramentorum eſt. Idem ſentit Tullius lib. 1. de natura Deorum.

XXXI. Hoc ratiocinio procedit Lactantius ſuprà laudatus eodem libro cap. 16. Si enim Dii matrimonio juncti filios procreant, vel ergò iis naſcuntur quotidie filii novi, cùm non vincantur ab hominibus fœcunditate, & ſic innumerabilium Deorum plena ſunt omnia, nullo ſcilicèt moriente. *Cur ergò tam pauci coluntur, niſi fortè arbitremur, non generandi causâ, ſed tantummodò capiendæ voluptatis causâ duos eſſe ſexus Deorum, & ea exercere, quæ homunculos, & facere, & pati pudet. Cùm verò dicantur aliqui ex aliquibus nati, conſequens eſt, ut ſemper naſcantur, ſiquidem aliquandò ſunt nati. Vel ſi aliquando naſci deſierunt, ſcire nos convenit, cur, aut quando deſierint. Quid ergò eſt* (*non illepidè inquit Seneca in lib. de moralibus Philoſ.*) *quare apud Poetas fallaciſſimus Jupiter deſierit liberos tollere? Utrum ſexagenarius factus eſt? Et illi lex Papia fibulam impoſuit? An impetravit jus trium liberorum? An tandem illi venit in mentem: ab alio expectes, alteri quod feceris* (Publius Syrius in collect.) *& timet, ne quis ſibi faciat, quod ipſe Saturno?* Hæc Lactantius, qui duobus invictis ratiociniis ſequentibus concludit. Primó: *ſi duo ſunt ſexus Deorum ſequitur concubitus: & ſi coeunt, & domos habeant neceſſe eſt; nec enim carent virtute, aut pudore, ut hoc promiſcuè, aut in propatulo faciant, ſicut muta videmus facere animalia: Si domos habent, conſequens eſt, ut & urbes habeant. Si habent urbes, &*

 agros

agros igitur habebunt. Jam quis non videat, quæ ſequantur? Arare illos, & colere, quod quidem victus cauſâ fit. Ergò mortales ſunt. Quod argumentum retroverſum idem valet. Si enim agros non habent, ne urbes quidem, ſi urbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent: ergò & concubitu, ſi concubitus ab his abeſt; ergò & ſexus fœmineus. In Diis autem videmus, & fœminas eſſe: ergò Dii non ſunt. Secundò, *ex duobus ſexibus, alter fortior, alter infirmior eſt. Robuſtiores enim mares ſunt, fœminæ imbecilliores: imbecillitas autem non cadit in Deum; ergò nec fœmineus ſexus,* Cùm ergò in Diis fœminæ ſint, Dii non ſunt.

§. X.

Pro Paganis aliqua.

XXXII. CONtra ea, quæ diximus, fortè poſſet ſe tueri Paganus: Cur nos Chriſtiani de pluralitate Deorum arguitis, qui in veſtra Trinitate tres Perſonas, haſque divinas fatemini? Cur nos irridetis, quia ex Diis unum ex alio genitum, nimirùm ex Jove Palladem aſſerimus, qui inter Trinitatis perſonas unum dicitis Patrem generantem filium, huncque ſimul cùm Patre tertiam Perſonam, quæ Spiritus eſt, producentem aſſeritis?

XXXIII. Reſpondetur, nos equidem in S. Trinitate tres diſtinctas Perſonas venerari; has tamen fatemur eſſe *ſubſtantialitèr* unum Deum, non tres Deos, ut vel infantibus conſtat. Fatemur quoque, in Deo Patrem eſſe, ac Filium, Filium à Patre genitum; at non generatione carnali ex concubitu maris, & fœminæ, ut impiè Pagani de ſuis Diis commenti ſunt, ſed generatione intellectuali, qualiter ab intelligente procedit Verbum. Aſſerimus inſuper, hunc Filium, ſeu Verbum genitum, non eſſe Creaturam, diverſam à Patre, ac diſſimilem ſubſtantiam accipiens, ſed ejuſdem prorsùs naturæ, & conſubſtantiale Patri, qui eidem eandem divinam naturam modo planè ineffabili communicat, Spiritum autem Sanctum ex mutuo Patris, & Filii naturali amore in eadem divinitate procedere, dicimus, haſque tres divinas Perſonas ſemper ſibi mutuò coextitiſſe. Ita S. Cyrillus Juliano ſimilia objicienti tum lib.4. tum lib.8. his verbis: *Sed fortaſſe exiſtimat,* (Julianus) *nos cùm Sanctorum pugnare ſententiis, ac tres Deos confiteri, propterea quòd rectam fidem ſecuti, Deo & Patri coexſtere ſemper decernimus illum ex ipſo, & in ipſo, & proprium ejus unigenitum Deum Verbum, adeòque Spiritum*

tum Sanctum quoque, utpotè conſubſtantialem ipſi. Una ſiquidem divinitatis natura in tribus ſubſiſtentiis intelligitur, in Patre nimirùm, & Filio, & Spiritu Sancto: à nobis autem nullo modo ſecatur in naturarum diverſitatem, neque verò, quæ prius dicta ſunt, à ſe invicem in diverſum ſubſtantialitèr abeunt, ſed una, & eadem per Sanctam Trinitatem ratio tendit in unam divinitatem naturam colligens, tametſi unumquodque per propriam hypoſtaſim intelligatur ſubſiſtere. Quarè licèt unum aliquis Deum dicat, non tamen ſine proprio genimine Patrem uſquàm intelliget, neque verò ſine Spiritu, qui ſecundùm naturam ex ipſo procedit, qui & proprius eſt ejus. Quemadmodùm enim, qui dicit hominem, uſquequaque meminerit eorum, quæ ſubſtantialiter illi inſunt, quæ ſi adſint, hominem perficiunt, ſin autem abſint, neutiquam: eodem opinor modo, aliorum quoque nominum ſignificatio neceſſariam rebus infert obſervationem. Igitur qui Patrem dicit eſſe Deum, ſimul ſignificat cum ipſo, & proprium ejus, & ex ipſo, & in ipſo ſecundùm naturam Filium .... & ſi opifex ſemper eſt, nec in tempore id conſecutus eſt, ſimul utique eſt is, per quem omnia operatur, ſplendor gloriæ ipſius, & character ille ſubſtantiæ ... &c. Hæc Cyrillus.

XXXIV. Secundò reponent Pagani, ſe admiſiſſe quidem plures Deos, attamen ſupra iſtos cognoviſſe unum Deum, cujus cæteri Dii eſſent quaſi Virtutes. Ita Maximus Madaurenſis ad Sanctum Auguſtinum ep. nunc 16. aliàs 43. *Equidem unum eſſe Deum ſummum ſine initio, ſine prole naturæ, cui Patrem magnum, atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus neget, eſſe certiſſimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffuſas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium videlicèt ignoramus, nam Deus omnibus religionibus commune nomen eſt. Ita fit, ut dum ejus quaſi quædam membra carptim variis ſupplicationibus proſequimur, totum colere profectò videamur.* Idem Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 7. Unde Lactantius lib. 1. inſt. cap. 11. *Convicti de uno Deo, cùm id negare non poſſunt, ipſum ſe colere affirmant, verùm hoc ſibi placere, ut Juppiter nominetur.*

XXXV. Scio, emunctioris naris Gentiles vidiſſe, unum eſſe Deum, ſaltem principem. Verùm dum multiplicarunt alios Deos, Deum non ſicut Deum glorificaverunt; ſed commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & ſervierunt potiùs creaturæ, quàm Creatori, ut ait Paulus Rom. 1. 25., dum Virtutes illas à ſummo Deo per totum mundum diffuſas, quæ certè creaturæ Dei ſunt, tanquam Deos colebant. Inſuper ſibi ipſis repugnabant, dum eas vocabant Deos, & à Summo factas, ejuſque miniſtras eſſe, aſſerebant. Unde Maximus ſupracitatus epiſtolam

Jam ſuam ad Auguſtinum claudebat ſic: *Dii te ſervent, per quos & eorum, atque cunctorum mortalium communem patrem, univerſi mortales, quos terra ſuſtinet, mille modis concordi diſcordia veneramur, & colimus.* Quomodo ergò veri Dii eſſe poterant, qui cùm mortalibus communem Patrem habere dicuntur? Quomodo divinitatem habere poterant, qui à Deo facti dicebantur? Rursùs Plato apud D. Auguſtinum 13. de Civit. Dei c.16. Deos à ſummo Deo factos dicebat eſſe corporeos, imò colligatione animæ, & corporis naturâ ſuâ eſſe mortales, ac ſola voluntate ſummi Dei factos immortales. Quales autem Dii erant iſti, qui nedum ab alio facti erant, ſed inſuper corporei, ac natura mortales ab alterius gratioſa voluntate immortalitatem acceperant?

XXXVI. At inquies, Deos Paganorum fuiſſe, ſicut apud nos Catholicos bonos Angelos, ac Sanctos; hos enim veneramur, & colimus, non tanquam ſummum Deum, ſed tanquam ſummi Dei miniſtros, vel amicos. Sicut autem Pagani ab uno Deo unam rem, ab alio aliam, petebant, puta à Cerere fruges, à Baccho vinum: ita & nos ab uno ex Sanctis rem unam, ab alio aliam, petere ſolemus. Vel ergò Pagani ſaltem ſapientiores damnandi non ſunt, vel damnandi cùm ipſis nos Catholici erimus.

XXXVII. Similia ajebat Maximus ſupra relatus, cui Auguſtinus ep.17. olim 44. reſpondet. *Ad ſummam tamen ne te hoc lateat, & in ſacrilega convitia imprudentem trahat, ſcias, à Chriſtianis Catholicis, quorum in veſtro oppido etiam Eccleſia conſtituta eſt, nullum coli mortuorum, nihil denique ut numen adorari, quod ſit factum, & conditum à Deo, ſed unum ipſum Deum, qui fecit, & condidit omnia.* Veneramur ergò nos Catholici, & aliquem cultum præſtamus Angelis, ac Sanctis, eos invocamus, & adjutores poſcimus, at non tanquam Deos, ac numina colimus, quaſi ab iis aliquid expectantes, ſed ut per eorum merita, & interceſſiones, qui Dei amici ſunt, ab ipſo Deo id, quod petimus, reportemus. Hinc ſimilia objicienti Fauſto Manicheo (lib.20. contra Fauſtum c.4.) *Sacrificia eorum* (Deorum) *vertiſtis in agapes, Idola in martyres, quos votis ſimilibus colitis.* Reſpondit S. Auguſtinus ibi c.21. *Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum ſacrificemus, quamvis in memoriis martyrum conſtituamus altaria.* Et Cyrillus lib.6. contra Julianum id exprobrantem: *Sanctos porrò* (inquit) *martyres, neque Deos eſſe dicimus, neque divino cultu ſcilicet illos adorare ſolemus, ſed*

ſed affectus, & honoris, & infra: *nos autem, uti dixi, ſanctos martyres non dicimus fuiſſe Deos, ſed illos omni veneratione proſequi ſolemus, eorumque loculos veneramur &c.* Hinc patet maximum diſcrimen inter Paganorum Deos, ac Sanctos noſtros; nos enim Sanctos non dicimus Deos, nec eis divinum cultum præſtamus, nec dicimus, eſſe partes, ſeu membra Dei, ſed Dei ſervos, & creaturas, nec illis Templa ſicut Diis erigimus, neque ſacrificia offerimus, ſicut Pagani, ſed colimus, ac veneramur cultu honoris, non ſervitutis, non enim Sanctis, ſed uni Deo Sanctorum & noſtro ſervimus.

XXXVIII. Quod ſi ad aliquem eorum pro una potiùs neceſſitate, quàm ad alterum confugimus, hoc non ideo eſt, quia putemus unum præſidere uni rei, alterum alteri, ſed quia Deus, qui dividit omnia ſingulis, prout vult, rem aliquam potiùs ad unius Sancti petitionem, quàm alterius concedere, experti ſumus. Cæterùm omnes pro quacumque re generaliter apud Deum interceſſores cognoſcimus. Unde S. Auguſtinus epiſt. olim 137. nunc 78. oſtendens, in aliquibus martyrum memoriis quædam miracula fieri, quæ in aliis non fiunt, ait: *Sicut enim, quod Apoſtolus dicit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem ſpirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria, prout vult.* Verùm Pagani ex ſuis Diis ita unum præſidere uni rei putabant, ut alteram, quæ ſub præſidentia alterius numinis eſſet, dare non poſſet, ut advertit S. Auguſtinus lib. 6. de Civit. Dei cap. 1. propterea concludens: *Porrò ſi à Cerere vinum, à Libero panem, à Vulcano aquam, à Lymphis ignem petere, erroris eſt, quantò majoris deliramenti eſſe intelligi debet, ſi cuiquam iſtorum pro vita ſupplicetur æterna?*

XXXIX. Accedit, ſummam eſſe differentiam inter Deos Gentilium, & noſtros Sanctos. *Sacra enim* (inquit D. Cyrillus lib. 6. contra Julianum) *ipſi fecerunt hominibus, iiſque flagitioſis, & impudicis, omnique vitio laborantibus, qualis ſanè fuit celeberrimus ille Hercules, quem Jove & Alcmena prognatum dicunt, cui magnum eximiumque certamen attribuunt, quod nocte una quinquaginta virgines ſtupraverit &c.* Noſtri verò, quos colimus, Sancti fuere viri pietate, ac heroicis virtutibus inſignes, quorum aliqui pro veritate ſtrenuè certaverunt, ac ſinceritatem fidei eò uſque ſervarunt, ut animam ipſam propter Deum contemſerint, & virtutis adeò mirabilis ſe ipſos veluti quaſdam imagines vitæ hominum propoſuerint; quare concludit S. Cyrillus: *Nihil eſt abſurdi, imò neceſſe erat, eos, qui tam claris facinoribus excelluerunt,* or-

ornari perpetuis honoribus. Hæc ſatis ſit delibaſſe, plura enim diximus, cùm Sanctorum cultum, & Imaginum venerationem contra Proteſtantes aſſeruimus. Interim validum conficimus argumentum ex eo, quod ſapientiores inter Ethnicos, magiſque ad mores compoſiti, Deos, vel eos, quos tanquam numina colebant, deſpicerent, atque aſpernarentur. Antiſtenes Socratis familiaris, Diogeniſque præceptor (apud Clem. Alexandr. lib.2. ſtromat. pag. mihi 406.) *Ego*, inquit, *Venerem ſi acciperem, jaculis confoderem, quòd multas noſtras pulchras, ac bonas uxores corruperit: & naturæ vitium dicit Cupidinem, à quo cùm vincantur miſeri, morbum Deum appellant*. Et lib.7. Strom. pag. 711. Xenophanes advertens, homines ſecundùm propria genia, & formas ſibi Deos ſuos effingere, dicit, quod *Græci ſicut hominibus forma ſimiles, ita iiſdem quoque, quibus ipſi, animi perturbationibus Deos ponunt obnoxios, & quemadmodùm eorum formas ſibi ſimiles ſinguli deſcribunt... Ethiopes quidem nigros, & ſimos, Thraces autem fulvos & cæruleos: ita etiam animos aſſimilant iis, qui eos effingunt: Barbari quidem agreſtes & efferatis moribus; Græci autem manſuetiores, ſed in quos tamen cadunt motus & perturbationes*. Quis ergò non execretur tales Deos, quales ab illiſmet, qui eos colebant, deſcribuntur?

XL. Reponent Pagani, plura à Diis ſuis ſe fuiſſe conſecutos, ab iis accepiſſe oracula, ſeu reſponſa, Deorum ſimulacra fuiſſe locuta, ventura prædicendo, ac mirabilia multa patraſſe, quæ omnia argumentum fuerunt inſidentis in ipſis divinitatis.

Reſponderi poteſt primò negando, Idola unquàm voces humanis ſimiles revera edidiſſe, ſed ea, quæ tanquam oracula, aut Deorum reſponſa fatidici venditabant, nimium credulos capientes, aſtutiâ, & fraudibus ſacerdotum numinis intus loquentium accidiſſe, & plerùmque etiam ex forti imaginatione adſtantium, dum ventus ingrueret per rimas, aut humiditate, vel ſiccitate nimiâ, ligna illa crepitus ederent, ſuſpiria, & quaſdam quaſi voces audiri, exiſtimaſſe. Ita ſenſit Plutarchus, cui ſuffragatur Titus Livius, qui pro fabula reputat, Junonis ſimulacrum fuiſſe locutum, ac interroganti cuidam, num vellet Romam ire, auditum fuiſſe, reſpondere ſe velle. Ariſtoteles tribuit humori melanconico divinationes illas, quia, qui illo abundant, ingenio magis valeant, eò quòd acrimonia atræ bilis contrahat ſpiritus, ut obſcura difficiliaque melius perſpiciant. Sed communiùs creditum fuit, fraudibus humanis oracula conſtitiſſe. Fraudes has adumbravit Cœlius Calcagninus in ſuo de Oraculis libello. Dixeris etiam, vel illud ſuſpecta reddere oracula, quod

ferè

Digitized by Google

ferè ita eſſent ambigua, ut, ad eorum intelligentiam altero opus eſſe oraculo, videretur. Ita qui, ea omnia fictitia fuiſſe, arbitrati ſunt.

XLI. Verùm quia de Diis, ac eorum ſimulacris aliqua prodigioſa narrantur contigiſſe, quæque humanum viſa ſunt excellere, ſicut & prædictiones multorum, ad quæ nulla ratione hominis acumen pertigiſſet: atque hæc iis etiam præſtitere, qui oracula venerant exploratum, hominibus vafris, nec admodùm credulis, qui fraudes facilè detexiſſent. Ideò reſpondent ſecundò alii, cauſas talium mirabilium, & etiam oraculorum fatidicorum fuiſſe Dœmones. Ita Porphyrius lib. de Dœmonibus, & Jamblicus de Myſteriis ſect.3. c.18. 19. & 20. ubi oſtendit, divinationis cauſam eſſe vel Deum, vel Angelos, vel Dœmona, non vatem, aut animam humanam vi Phantaſiæ. Et Lactantius Firmianus lib.2. inſtit. poſtquam c.8. admiſit ut verum, ſimulacrum fortunæ non ſemel locutum, item Junonis Monetæ juveni illam interroganti, num Romam vellet ire, reſpondentis, ſe velle: deinde c.17. ubi agit de Dœmonibus, eorumque fallacibus inventis, atque portentis: *Offundunt*, inquit, *tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne Dominum, vel Patrem ſuum norint, & ut illiciant facilè, in Templis ſe occulunt, & ſacrificiis omnibus præſtò adſunt, eduntque ſæpè prodigia, quibus obſtupefacti homines fidem commodent ſimulacris divinitatis, ac numinis. Inde eſt, quod ab augure lapis novacula inciſus eſt, & quòd Juno Vejenſis, migrare ſe Romam velle, reſpondit &c.* Et Auguſtinus ipſe lib.4. de Civit. Dei c.19. loquens de Fortunæ muliebris ſimulacro, quod dicebatur fuiſſe locutum, ait, *quod ſi quidem verum ſit, mirari nos non oportet: non enim malignis Dœmonibus etiam ſic difficile eſt fallere.* Dœmonas etiam mirabilia poſſe facere, vel immutando Phantaſiam interiùs, & alios corporeos ſenſus, vel exteriùs aliquod corpus formando, variaſque figuras aſſumendo, docet D. Tho. 1.*p.* *q.*114. *a.*4. *ad ſecundum*, *q.*16. *de malo a.*9. *ad ſecundum*, & alibi. Et hoc pacto poterant, etiam aliqua vaticinari, cùm aliqua futura in ſuis cauſis prænoſcant, ea nimirùm, quæ ut in pluribus evenire contingit, ut docet idem S. Thom. 1.*p.* *q.*57. *a.*3.; quia tamen hæc non certò cognoſcunt, & multò minùs, ſi prorsùs contingentia ſint, ac libera, ut docet idem S.Doct. 1.*p.* *q.*14. *a.*13. & *q.*57. *a.*3. hinc erat, ut oracula verbis ambiguis conciperentur, obſcuris, ac perplexis, quò oracula crederentur malè intellecta, ſi eventus non reſponderet. Poteſt etiam dici, non eſſe abſurdum, credere, aliquâ divinâ diſpenſatione permiſſum aliquando fuiſſe, ut dum conſuleretur Dœmon, certa,

ac vera reſponſa haberentur, ſicut Saul conſulens Dœmonem per Pythoniſſam certum ſuæ mortis oraculum accepit. Non enim, ait D. Thom. 2. 2. *q. 172. a. 6. ad primum, Prophetæ Dæmonum ſemper loquuntur ex Dæmonum revelatione, ſed interdum ex inſpiratione divina, ſicut manifeſtè legitur de Balaam, cui dicitur Dominus eſſe locutus num. 22. licèt eſſet propheta Dæmonum, quia Deus utitur etiam malis ad utilitatem bonorum, unde per Prophetas Dæmonum aliqua vera prænunciat, tum ut credibilior fiat veritas, quæ etiam ex adverſariis teſtimonium habet; tum etiam quia, cùm homines talia credunt, per eorum dicta magis ad veritatem inducuntur; unde etiam Sybillæ multa vera prædixerunt de Chriſto. Sed etiam, quando Prophetæ Dæmonum à Dæmonibus inſtruuntur, aliqua vera prædicunt, quandoque quidem virtute propriæ naturæ, cujus eſt au‑thor Spiritus Sanctus, quandoque etiam revelatione bonorum Spirituum, ut patet per Auguſtinum 12. de Geneſ. ad literam c. 19.* Hæc D. Thomas, qui aliqua per bonos Angelos Dœmonibus revelari docuerat 1. p. q. 64. a. 1. & alibi.

XLII. At excipies: ſaltem virtute Dœmonum miracula patrari non poterant; leguntur autem multa à Diis Paganorum edita.. Apollonius Tyaneus multa egit mirabilia: coram Domitiano loquens evanuit ab oculis adſtantium: puellam Romæ defunctam revocavit ad vitam: cùm Templum ingreſſus eſſet, valvis repentè occluſis, nec uſquam unquam viſus eſt, ibique auditæ Virginum voces in hunc modum: veni, veni, in Cœlum veni: aliaque relata à Philoſtrato. De Veſpaſiano refert Tacitus hiſt. lib. 4. c. 81. cœcum, & manu ægrum ſanaſſe, de Hadriano cecæ mulieri viſum reſtituiſſe, Pannonium natum cœcum Hadrianum febricitantem contigiſſe, quo facto & Hadrianum febris reliquit, & cœcus viſum recepit. Narrat Spartianus, quòd Claudia VeſtalisNavem ingentem cingulo traxit, aliaque iterum Veſtalis aquam cribro pertuſo geſtavit, quæ omnia quid aliud ſunt, niſi prodigia ſola virtute, quæ verè divina ſit, factibilia?

XLIII. Reſpondeo, illa ac ſimilia non fuiſſe vera miracula, ſed ludificationes Dœmonum ſenſus hominum perſtringentium, vel non fuiſſe opera totam naturæ creatæ vim excedentia. Quod dicitur de Apollonio Tyaneo, qui tot præſtigiis miſerorum oculos faſcinavit, ut pro Deo habitus ſit à Hierocle comparatus Chriſto; unde Alexander Imperator Chriſti, & Apollonii imagines inter ſuorum Deorum ſimulacra collocavit, pari honore utrumque proſecutus: fuit inſignis Magus, ejuſque præſtigias recenſet, detegitque Euſebius, ſicut & Philoſtrati mendacia in libro, quem edidit contra Hieroclem, ubi oſtendit, omnia præ‑

di-

dicta, vel fabulas eſſe, vel ope Dœmonis fuiſſe facta; quòd enim à conſpectu Domitiani evanuerit, quodque diſparuerit, nec ampliùs viſus ſit, fabulam reputat, quamvis & hoc Dœmonum opera fieri potuiſſet. Quòd autem puellam à morte revocavit ad vitam, ipſi Philoſtrato videtur incredibile, ratiocinatur enim dubitando, num vitalis auræ ſcintilla intra puellam compreſſa medicos delituerit, quæ mox pluvia ingruente reviviſcens, atque excitata in vultu reſpirantis puellæ prodita ſit. Videri poteſt Euſebius lib. cit. contra Hjeroclem, omnia, quæ de Apollonio narrat Philoſtratus, vel fabuloſa eſſe, vel magicis preſtigiis conficta, ſolidis argumentis oſtendens; adeò ut Euphrates Philoſophus, aliique Apollonium magiæ accuſarint coram Domitiano.

De Veſpaſiano etiam refert Tacitus ipſe, homines ab eo ſanatos, cœcum ſcilicèt, & manu ægrum, non fuiſſe arte humana inſanabiles. *Medici variè diſſeruere: huic non exeſam vim luminis, & redituram, ſi pellerentur obſtantia: illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari.* Hæc Tacitus. Si ergò uterque poterat arte medica curari, quanto citiùs arte Dœmonis? De Hadriano Spartianus ipſe, qui factum narrat, ſubdit: *Quamvis Marius Maximus hæc per ſimulationem facta commemoret, ideſt per incantationes, & magica remedia ad morbum Hadriani levandum adbibita*, ut interpretatur Dio. Verùm Salmaſius (Hiſtor. auguſtæ in Spartian. not.) ita ſcribit: *Omnia, quæ hìc Spartianus narrat verè facta, ea Marius Maximus ſimulata, & ficta eſſe, commemorabat, & ad hoc tantum excogitata ab Antonino Pio* (quem Hadrianus adoptaverat) *ut Hadrianus in ſpem recuperandæ ſanitatis induceretur, qui ideò ſe occidere tentabat, quod eam recuperare poſſe deſperaret. Hoc ut probiberet Antoninus, & Hadrianum bono animo eſſe juberet, quaſi brevi convaliturum, hac illum arte, & ſimulatione aggreſſus eſt. Induxit mulierem quandam, quæ diceret, ſomno ſe monitam, ut inſinuaret Hadriano, ne ſe occideret, quòd eſſet benè valiturus, quod cùm non feciſſet, eſſe cæcatam. Juſſam tamen Hadriano hæc eadem dicere, & genua ejus oſculari, recepturam viſum, ſi ita feciſſet. Induxit & Pannonium quendam veterem cæcum, qui à febriente Hadriano tangeretur ad viſum recipiendum, quo facto & illam oculos recepiſſe, & ab Hadriano febrem diſceſſiſſe. Hæc ſunt, quæ per ſimulationem facta commemorabat Marius Maximus.*

De duabus autem Veſtalibus unâ cingulo trahente ingentem navem, alterâ aquam cribro geſtante, id arte, & ope Dœmonum factum aſſerit Lactantius lib. 2. inſt. c. 17. Verùm etſi da-

darem id, quod de duabus Veſtalibus narratur, fuiſſe verum miraculum divina virtute patratum, quid ex hoc pro Paganis? Miracula illa (ſi fuerunt vera) non fuerunt edita in teſtimonium veritatis religionis paganicæ, ſed innocentiæ, ac caſtitatis illarum Veſtalium immeritis calumniis oppreſſæ: quid ergò mirum, ſi Deus, cui adeò cara virginitas eſt, in teſtimonium illius etiam in fœminis paganis poſitæ, miraculum adhibuerit? Equidem ſicut uſus eſt Sybillis, ut teſtibus veritatis Chriſtianæ, quidni poterat uti illis fœminis ad teſtimonium virgineæ integritatis? Sanè ſi brutis interdum, causâ juſtâ accedente, etiam miraculosè opem tulit, cur non idem credi poteſt in fœminis illis, quæ & ſi religione ſeductæ, in caſtitate tamen ſervarunt fidem? *Operatur* (inquit D. Thom. 2. 2. q. 178. a. 2.) *ea miracula Deus ad hominum utilitatem, & hoc dupliciter. Uno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem, alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicujus, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo modo miracula poſſunt fieri per quemcumque, qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti invocat, quod etiam interdum per malos fit, & ſecundum hunc modum etiam mali poſſunt miracula facere... Secundo autem modo non fiunt miracula, niſi à Sanctis, ad quorum ſanctitatem demonſtrandam miracula fiunt, vel in vita eorum, vel etiam poſt mortem, ſivè per eos, ſivè per alios &c.* Cùm ergò in Veſtalibus illis, ea, quæ narrantur, prodigia facta fuerint ad veritatis aſſertæ, nimirùm virginitatis, confirmationem, & inſuper ad commendationem caſtitatis earum, non video, quin potuerint eſſe vera miracula divina virtute facta. Quapropter ad rem noſtram idem Angelicus q. *6.* de potentia a. 5. ad quintum loquens de Veſtali, aquam in vaſe perforato de Tiberi portante, nec tamen effuſam, ait, *non eſt remotum, quin ſit in commendatione caſtitatis, quod Deus verus per ſuos Angelos bonos hujuſmodi miraculum per retentionem aquæ feciſſet, quia ſi qua bona in Gentilibus fuerunt, à Deo fuerunt.*

CA-

CAPUT V.

De Idololatria Hebræorum.

§. I.

De Idololatria Vituli.

I. HEbræos fuiſſe in Idololatriam nimiùm pronos, teſtantur Scripturæ, quæ paſſim per Prophetas de hoc crimine illos reprehendunt. Morbum hunc in Ægypto, ubi ſervierunt, contraxere, eoque identidem laboravere poſiti in Terra Promiſſionis, pravo exemplo vicinarum gentium, quæ Idololatriæ vacabant, & quibuſcum frequenter converſabantur, permoti. Celeberrimus actus Idololatriæ in populo Hebræo fuit, qui narratur Exod. 32. ubi Moſe trahente moram in Sina coram Deo, Populus tædio affectus, ac moræ impatiens, petiit ab Aaron, ut ipſis faceret Deos, qui illum præcederent in itinere per deſertum, exiſtimans, fortè Moſem veluti à Deo raptum non ampliùs rediturum. Quibus Aaron nimiùm indulgens, ex inauribus, ac monilibus mulierum conflato Vitulo aureo, hunc illis clamantibus n. 4. *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: propoſuit adorandum: ſequitur enim v. 5. *quod cum vidiſſet Aaron, ædificavit altare coram eo, & præconis* voce clamavit dicens: *cras ſolemnitas Domini eſt. Surgenteſque mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas.* Quæremus ergò in adoratione hujus Vituli, quæ actus ingentis Idololatriæ fuit, & propterea à Deo ſeverè punita, quò directa fuerit illius populi intentio, ſeu quid intenderit adorare in Vitulo illo.

II. Occaſionem huic quæſito dedit Calvinus, qui tum in commentariis ad dictum Caput Exodi, tum in lib. 1. inſtit. c. 11. §. 9. & 10. aſſeruit, Hebræos in illo Vitulo ſibi repræſentaſſe, & coluiſſe verum Deum, concludens: *Nihilominus & Deum æternum Judæi unum, verumque Cœli, ac terræ Dominum ſub talibus ſimulacris perſuaſi erant ſe colere*, & hac ratione Idololatras fuiſſe, non quia falſum Deum colerent, ut Gentiles, ſed quia etſi verum Deum colere intenderent, illum tamen ſub imagine ſenſibili colere voluerunt. Et hoc hæreſiarca ille excogitavit, ut inde inferret, Idololatriam nos non effugere, qui licèt verum Deum colamus, illum tamen ſæpè colimus ſub imaginibus ſenſibilibus repræſentatum.

III. Cal-

Digitized by Google

III. Calvinum ſequuntur ejus gregales, quos inter Voſſius lib.1. de orig. & progreſſ. Idololatr. c.3. arbitrans, *Diſidæmoniam* nimirùm ſuperſtitionem numinis, & Idololatriam non ſolùm eſſe, cùm homo, alium colere Deum, in animum inducat, ſed etiam ſi cultum religioſum mandato Dei adverſantem vero Deo præſtet, ut ſi in creatura, tanquam ſymbolo divinum repræſentante numen, Deum verum adoret. Hanc, inquit, fuiſſe Idololatriam Iſraelitarum adorantium in Vitulo Deum, eandem fuiſſe Michæ in ſuo ſimulacro, de quo Judic.17. & Jeroboami in ſuis Vitulis, quos in Dan, & Bethel conſtituit, ut legere eſt 3. reg. 12. 28. At longè aliter fuiſſe Idololatras Achabum, alioſque, qui adorando Baal, Aſtaroth &c. falſa numina adorabant, & non ſolùm verum numen in imagine falſa, vel cultu irreligioſo. Ita Voſſius. Videndum eſt modò, an vera dicant hi Novatores.

IV. Dico: Iſraelitæ adorantes Vitulum fuerunt Idololatræ, non præcisè quia in illo Vitulo, ceu in ſymbolo, vel imagine, adoraverint verum Deum: ſed quia in illo intenderunt adorare, & colere falſum Deum, qualem adorabant Ægyptii. In prima parte hujus aſſerti dixi, Iſraelitas non præcisè fuiſſe Idololatras, quia in illo Vitulo adoraverint verum Deum; non diffiteor enim, Idololatriæ, ſeu ſuperſtitionis reum fore, qui ſub ſymbolo vetito, vel ſub imagine falſi numinis verum Deum adorare vellet, & ob id etiam damnandos, ut in ſpeciem Idololatras Iſraelitas, ſi ſub imagine Vituli inſtituta ad repræſentandum, & colendum falſum numen Ægyptiorum, intendiſſent adorare verum Deum, ſicut damnandus eſſet, tanquam ſuperſtitioſus, & vehementem Idololatriæ præſumptionem fundaret, qui ſub ſymbolo, aut effigie bovis, vel aliqua inuſitata, & ignota imagine, aut ritu paganico intenderet colere verum Deum, quia quod naturâ ſuâ malum eſt, vel uſu, & conſuetudine ordinatum ad falſi numinis, vel religionis conteſtationem, non poteſt intentione utentis cohoneſtari, dicente S. Auguſtino contra Mendacium c.7. *Ea, quæ conſtat eſſe peccata, nullo bono cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda ſunt*; qua ratione damnati à Clemente XI. ſunt ritus, & cæremoniæ, quas Neophiti Sinenſes exhibebant Confuſio, ac defunctis, etſi proteſtarentur, iis ſe colere, non Confuſium, aut defunctos, ſed verum Deum. Cùm ergò Hebræi adorando Vitulum exteriùs adorarent, quòd Ægyptii ſacrilegè adorabant, non juvaret illos bona intentio, nimirùm adorando in illo Vitulo verum Deum.

V. Cenſeo igitur (& hæc eſt ſecunda pars aſſerti) Hebræos fuiſſe

fuiſſe Idololatras, quia in illo Vitulo intenderunt colere, & adorare Apim, aut Serapin, quem Ægyptii adorabant, ut Deum in bove, aut vitulo. Et probo primò ex eorumdem Hebræorum petitione, qui accedentes ad Aaron Exod. 32. 1. dixerunt: *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant*. Stulta equidem cogitatio, volebant Deum ab homine factum, qui eos doceret viam per deſertum, quam illi neſciebant: quomodo enim illam ſcire poterant Dii, vel Deus, qui tunc erat naſciturus? Si autem intendiſſent petere purum ſymbolum veri Dei, quòd eos præcederet, non dixiſſent: *fac nobis Deos*, ſciebant enim, Deum Iſraelis non eſſe factum, ſed factorem omnium. Volebant ergò, ut Aaron ſibi faceret Deos, quos viderant in Ægypto, & quibus fortè multi eorum ſervierant, quòd evincitur ex facto. Aaron namque eorum mente percepta ſtatim conflavit eis vitulum, eumque illis propoſuit adorandum. Sed quare Vitulum? Cur non potiùs columnam ad modum nubis, vel ignis, ſub quibus ſymbolis eos præcedere verus Deus conſueverat? Quia ſciebat eos velle Deum, ſicut viderant apud Ægyptios, ut docet Hieronymus in cap. 4. Oſeæ, & in cap. 5. Amos; Ægyptii autem colebant bovem fœminam, ſeu vitulam Iſidi ſacram nomine Apis, ac Serapis. Unde vitulam potiùs quàm vitulum conflaſſe, veroſimile cenſent non pauci, colore nigram, quadratò in fronte candidam, ac maculatam in tergo, ut cenſet Herodotus, ſive in latere dextro, ut alii. Eum ergò Deum voluerunt, quem colebant Ægyptii, at hi in Vitulo non colebant verum Deum, ſed Bovem, Apim ſcilicet, aut Serapin; ergò hunc coluerunt, non verum Deum. Totum hoc confirmat factum Jeroboami, qui ex Ægypto redux, ut averteret populum à ſacrificando in domo Domini in Hieruſalem, fecit duos Vitulos aureos (more ſcilicet Ægyptio) dicens: ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti, ut legitur 3. reg. 12. 28. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan. Dicet ne Calvinus, Jeroboamum hos vitulos conflaſſe, ut populus in eis verum Deum adoraret? At contrarium dicit Scriptura ibi 32. ubi dicitur, Jeroboamum immolaſſe Vitulis, & cap. 14. 9. Uxor Jeroboam increpatur ab Ahia Propheta his verbis: *vade & dic Jeroboam... operatus es mala ſuper omnes, qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos, & conflatiles &c.* Dii autem alieni, & conflatiles non erant verus Deus; nec contrarium ſuſpicari licet: ſi enim Jeroboam nil aliud voluit adorari in Bethel, & Dan, quàm Deum verum, qui adorabatur in Templo Hieroſolymitano, quare ibi poſuit vitulos, & non poſuit Arcam ad formam illius, quæ Sedes Dei erat in Templo Hiero-
ſo-

ſolymitano? Quare non video, quomodo Calvinus, & Voſſius aſſerere queant, Hebræos non in alieni Dei cultu peccaſſe, ſed præcisè eo quòd contra Dei præceptum eum in idolo colere voluerint. Verùm etſi gratis darem Calvino, & Voſſio, Aaronem & Jeroboamum non intendiſſe, proponere Vitulos populo, ut in Vitulis adorarent Apim, ſeu aliud falſum numen, ſed ut in illo ſigno adorarent verum Deum, hoc enim erui poſſet ex illis verbis Aaronis Exodi 32. 5. clamantis: *Cras ſolemnitas Domini eſt*, non Vituli. Et de Jeroboamo etiam ejus mentem, ſaltem ut ſolum exteriùs prolatam, fuiſſe, ut Deum, quem adorabat populus in Templo Hieroſolymitano, ſedentem ſuper Cherubin, adoraret in vitulis, quos poſuerat in Dan, & Bethel, ne eundo in Hieruſalem cor populi averteretur ab eo ad Roboam. Quare Joſephus lib.8. antiq. Judaic. cap.3. inducit Jeroboamum ita loquentem populo: *Viri populares notum vobis exiſtimo, quod nullus locus Deo eſt vacuus, & quod is nullo certo loco includitur, ſed ubique vota exaudit, ubique cultores ſuos reſpicit. Quare non placet mihi, hoc tempore, vos Hieroſolymam urbem infenſam longo itinere proficiſci religionis ergò. Homo illud Templum ſtatuit, quemadmodum, & ego duas aureas vitulas conſecravi, alteram in Bethelis, alteram in Dana, ut pro locorum opportunitate ex propinquioribus oppidis ad eas confluentes, illic Deum ritè adoretis.* Hoc, inquam, etſi darem, nunquam tamen populum in illis vitulis adoraſſe verum Deum, ſed reverâ in vitulis more Ægyptiaco ſuam adorationem fixiſſe.

VI. Hoc ut demonſtrem, recolo, Boum cultum apud Ægyptios frequentiſſimum fuiſſe, etiam eo tempore, quo Judæi in Ægypto fuere. Quapropter Pharaoni dicenti Moyſi & Aaron: *Ite, ſacrificate Deo veſtro.* Reſpondit Moyſes Exodi 8. 25. *Non poteſt ita fieri: Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Quod ſi mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent.* Secundò obſervo, eorum animalium, quæ viva coluerant, imagines, & ſimulacra in ſuis Templis erexiſſe, & adoraſſe. Ita Pomponius Mela lib.1. c.9. *Colunt effigies multorum animalium, atque ipſamet animalia*, & Strabo lib.17. eorum Templa deſcribens, *ſimulacrum verò nullum, aut non ad hominis formam, ſed beſtiæ alicujus effictum.* Tertiò obſervo, Judæos pleroſque tempore ſervitutis Ægyptiacæ ſuperſtitionem Ægyptiorum ebibiſſe, eorumque Diis ſerviiſſe, indeque pronitatem ad Idololatriam contraxiſſe, quam reprehendunt Joſuè 24. 14. *Auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto.* Ezechiel 20. 7. 8. & cap. 23. 8. *Inſu-*

ſuper fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto, non reliquit. Quî ergò credi poteſt, Populum aſſuetum adorare bruta ut Deos, ideoque (ut ait Aaron Exod.32.22.) pronum ad malum, propoſito ſibi vitulo, hunc non adoraſſe, ſed Deum verum; eò vel maximè quia putabant, Deum verum abſente Moſe ab eis receſſiſſe, ideoque dixerunt: *fac nobis Deos, qui nos præcedant, huic enim Moyſi, qui nos eduxit de terra Ægypti, neſcimus, quid acciderit.* Ibid. n.23.

VII. Manifeſtiùs hoc apparet ex verbis ipſius Dei ad Moſem ibid. v.7.8. *Peccavit populus tuus..* (non ampliùs meus, cùm me deſeruerit, ut exponit Hieron. in cap.9. Daniel.) *feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hoſtias dixerunt: hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Rursùs ex verbis Moyſis Deuteron. 32. v.15. *Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo;* v.16. *Provocaverunt eum in Diis alienis;* v.17. *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo;* v.18. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui.* Quòd ſi non adoraſſent Vitulum, ſed in Vitulo verum Deum, quomodo dici poſſet, quòd immolarunt Vitulo; quòd immolarent Dœmoniis, & non Deo; quòd dereliquerint Deum; quòd obliti fuerint Dei; quód eum provocarint in Diis alienis?

VIII. Reſpondet Voſſius loco citato, Hebræos dici oblitos Dei, non quia à Deo receſſerint alium colendo Deum, ſed quia receſſerunt, & obliti ſunt ejus mandati, nimirùm eum colendi, ut oportet, ideſt non in ſigno aliquo ſenſibili. Duplicem, enim ait, eſſe oblivionem, unam, qua ſpecies omnino delentur ex animo, alteram, qua illæ non recoluntur, ut oportet, nempè animo circa alia magis intento: unde fit, ut quis contrarium agat ejus, quod acturus eſſet, ſi convenientèr recordaretur. Poſteriori ratione mulier obliviſcitur conjugis ſui, ſive fœderis conjugalis, quando illecebris pellecta ſeſe alteri proſtituit. Ac homo item dicitur oblitus Dei, & fœderis divini, cùm ſtultis cogitationibus indulgens alium colere Deum, vel in ſymbolo interdicto venerari præſumit. Hæc propriè non oblivio eſt, ſed quaſi oblivio, ſed homo ſe componit, quaſi oblitus: nihilominus in ſcripturis ipſa etiam numinis oblivio nuncupatur. Hæc Voſſius. Pulchra quidem doctrina accepta ex Bonaventura, & Richardo diſt.7. art.3. q.1. lib.1.

IX. Verùm hæc quid ad rem? Hebræos vituli adoratores naturalem Dei, ac beneficiorum ejus oblivionem, ac ſi ſpecies eorum ex ipſorum animis fuerint abolitæ, non fuiſſe paſſos, &

Digitized by Google

ego confiteor. Sed voluntaria oblivione memoriam contriviſſe beneficiorum Dei, ideſt beneficia Dei non recoluiſſe, ut oporteret, & ita ſe geſſiſſe, ac ſi eorumdem non recordarentur, ſicut mulier voluntariè obliviſcitur viri ſui, quando alteri ſeſe proſtituit, qua ratione negatur? Fatetur Voſſius, Hebræos dici oblitos Dei, quia ſtultis cogitationibus inhærentes Deum in ſymbolo interdicto venerari præſumſerunt. At cur non fatetur, eos oblitos Dei, quia Deum verum reliquerint, alteri falſo Deo adhærendo? Utrumque dicit Scriptura, & oblivionem, & oblivionis modum: *Oblitus es Domini creatoris tui*, ecce oblivionem; at quomodo? *Dereliquit Deum factorem ſuum*: *Receſſit à Deo ſalutari ſuo*. *Provocaverunt eum in Diis alienis*: *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo*: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti*. Ecce modum. Derelinquere Deum, recedere à Deo, provocare eum in Diis alienis, immolare Dœmoniis, & non Deo, non eſt præciſè Deum venerari in ſymbolo interdicto, hoc enim eſt quidem derelinquere, & recedere à mandato Dei, à vero cultu Dei, non autem à Deo: hoc non eſt provocare Deum in Diis alienis, hoc non eſt immolare dœmoniis, & non Deo.

X. Reponet Voſſius, hìc conſiderari debere non ſolùm ex propoſito humano, ſed etiam ex natura rei, & judicio divino. Atqui utcumque Jſraelitæ putarent, obſervantiam ſuam non in Vitulis, ſed in Deo ſiſti; Deo tamen prorsùs averſante hunc cultum, ac quaſi à ſe repellente, non potuit honos ille per Vitulos ad Deum transferri, ſed neceſſe fuit, eum in Vitulis terminari, ideoque juſtè potuerunt increpari, quòd Deum dereliquerint, quòd dœmoniis, & non Deo immolarint &c.

XI. Sed contra. Quòd enim Deus averſatus ſit illum cultum, & quaſi à ſe repulerit, non facit, ut cultus ille fuerit idololatricus propriè, nec quod tali cultu dici potuerint Deum in Diis alienis provocaſſe, & immolaſſe dœmoniis, & non Deo; quia actus penſandus eſt ex objecto, ac fine ex intentione operantis præfixo; objectum autem illius cultus non fuiſſet reverentia Idolo, ſed Deo; finis etiam præfixus fuiſſet Deus, quia Judæi illo actu, licèt modo indebito, intendiſſent Deum verum colere, neque ab ipſo recedere adorando alium: quî ergò Deus potuiſſet illos arguere, quòd in Diis alienis illum provocaverint, quòd dœmoniis, & non ipſi immolaverint? Sanè ſi omnis cultus à Deo rejectus, eſſet reverâ exhibitus alteri, quàm Deo, dici poſſet, eoſdem Jſraelitas peccantes in ſolemnitatibus, eaſque indebitè celebrantes, quas propterea Deus à ſe repulit, (*Calendas & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Iſaiæ* 1. 14.) in iis pro-

provocaſſe Deum in Diis alienis, & in earum ſacrificiis immolaſſe dæmoniis, & non Deo; quin imò omni actu malo, utpotè à Deo rejecto, & in creatura ſiſtente, hominem fieri idololatram, dicique poſſe, eum non Deo, ſed dæmoniis litare. Cùm ergò per Moyſem pronunciaverit Deus, adoratores Vituli ſacrificaſſe dæmoniis, & non Deo, provocaſſe Deum in Diis alienis, dicendum eſt, eos non ſolùm veneratos fuiſſe Deum modo indebito, quæ eſt ſpecies ſuperſtitionis ab Idololatria diſtincta, ſed honorem Deo debitum alteri à Deo contuliſſe. Videatur D. Thom. 2.2. q.93. a.1. & 2.

XII. Probo ſecundò aſſertum ex pſalm.105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile* (ergò non Deum verum) *& mutaverunt gloriam ſuam* (Deum, qui erat gloria populi illius) *in ſimilitudinem Vituli comedentis fœnum. Obliti ſunt Deum &c.* Sed quid clarius teſtimonio Pauli 1. Cor.10.7. *Neque Idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt: ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Si ergò fuerunt Idololatræ, adoraverunt Vitulum, non Deum in Vitulo. Hinc Hieronymus in cap.5. Amos: *Ex eo tempore, quo aurum in caput Vituli transformarunt dicentes: iſti ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti, omnia quæ fecerunt, non Deo, ſed Idolis feciſſe, monſtrantur*: adducens ulteriùs verba Stephani act. 7.41. *Et Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtias ſimulacro: & lætabantur in operibus manuum ſuarum.* Si ergò hoſtias obtulerunt ſimulacro, igitur eas non obtulerunt Deo. Hujus veritatis teſtis eſt etiam D. Auguſtinus enarrat. in pſalm.73. *Inde & Vitulus ille, quem adoravit populus infidelis apoſtata, quærens Deos Ægyptiorum, dimittens eum, qui liberavit de ſervitute Ægyptiorum.* Teſtis S. Baſilius Seleucienſ. orat.6. *Vitulum in deſerto, ſicut in Ægypto adorabant.* In Ægypto autem non adorabant Vitulum, ut ſignum veri Dei, ſed adorabant Vitulum ut Deum eo modo, quo illum adorabant Ægyptii. Unde Philo Judæus lib. de temulentia p.197. *Prævaricari auſus eſt, ut corpus Deum ſibi fingeret, & Typhum Ægyptio more coleret, cujus ſignum erat juvencus aureus: circa quem choreas ducendo inſani carmen concinunt.* Et lib.3. de vita Moſis: *Obliti veri Dei cœperunt, æmulari figmenta Ægyptia, facto juvenco aureo ad imitationem animalis ejus regionis ſacratiſſimi, cui prophana ſacra faciebant, & choreas agebant inconditas.* Et lib. de ſpecialibus legibus p.614. *unius veri Dei cultu exploſo, & conſecrato juvenco aureo ad exemplar Typhi Ægyptiaci, vacabant prophanis ſacrificiis, & feſtis nefariis, inconcinniſque choreis.* Hæc Philo, in hoc ſolùm errans,

quòd putet, Vitulum illum fuiſſe *Typhoni* ſacrum, cum tamen *Oſiridis* ſymbolum fuiſſe, certum ſit: cujus in honorem Apidem, & Mnevin ſacros boves ab Ægyptiis fuiſſe cultos, teſtantur Diodorus Siculus, & Strabo lib.17. Pomponius Mela lib.1. cap.9. Plutarchus in Iſide &c.

XIII. Sed audiantur Calvinus, & Voſſius. Dicunt, non eſſe credibile, Iſraelitas recèns egreſſos ex Ægypto, atque Dei prodigia in gratiam eorum edita adhuc ſub oculis habentes, eorum fuiſſe oblitos, ſed ſolùm quæſiviſſe ſymbolum Dei veri, quòd eos viſibiliter præcederet. Ita Calvinus lib.1. inſtit. cap.13. §.8. *Deum quidem eſſe noverant, cujus experti virtutem erant in tot miraculis: ſed propinquum ſibi eſſe, non confidebant, niſi oculis cernerent corporeum vultus ejus ſymbolum. A præeunte ergò imagine volebant cognoſcere, Deum itineris ſui eſſe ducem*. Calvino ſubſcribit Voſſius. Quare ſecundùm iſtos, quùm Iſraelitæ dixerunt Aaroni: *fac nobis Deos, ſeu Deum, qui nos præcedant*: fuit idem, ac dicere fac nobis ſymbolum, quo dignoſcamus, Deum nos præcedere. Et cùm dixerunt *hi ſunt Dii tui Iſrael*, qui te eduxerunt de terra Ægypti, reſpexerunt ad verum Deum; quia falſi Dii eos non eduxerant, hinc Aaron id audiens exclamavit: *Cras ſolemnitas Domini eſt*. Eò vel maximè, quia hebraicè *Dii tui* idem eſt, ac *Elohim tui*: & ſatis conſtat, nomen Elohim tribui uni Deo Iſraelis. Ita Voſſius.

XIV. Sed infœliciter: clamant enim contra hujuſmodi interpretationes Scripturæ & PP. textibus ſupra laudatis. Incredibile equidem videtur, populum tot beneficiis cumulatum inſurrexiſſe in ſuum benefactorem, dum eſſent beneficia adhuc recentia. Attamen verum eſt. *Incraſſatus eſt dilectus* (ait Moyſes Deuteron. 32. 15.) *& recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo*. Beneficia, quæ Deo vero accepta referre debuerant, corrupti mente Diis Ægyptiorum tribuerunt, ideoque formato vitulo dixerunt: *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Ita S.Athanaſius (in illud quicumque dixerit verbum modó in epiſt.4. ad Serapionem) qui poſtquam arguit Hebræos, qui Dei operâ à Chriſto patrata dixerunt, eſſe opera Beelzebub, ſubdit: *Verùm non inſolens eſt iſthæc eorum inſania. Si quidem horum Patres eadem mente præditi, in eremo, cùm nuper ex Ægypto egreſſi eſſent, vitulo à ſe conflato Dei erga ſe beneficia referentes, dicebant: hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Ob hanc itaque blaſphemiam protinùs ex iis, qui talia auſi fuerant, initio non pauci, ſed plurimi occiſi ſunt*. Neque officit: quòd *Dii*

tui

tui, reſpondeat Hebraico *Elohim*. Unde enim probat Voſſius, nomen Elohim ſoli vero Deo tribui? Euſebius (Præparat. Evangel. lib. 11. cap. 6. de recta nominum apud Hebr. impoſitione) *quod à nobis* (inquit) *Dei nomine exprimitur, id ipſum* (Hebræi) *Elohim dicere conſueverunt ab El, ut videtur, quod apud illos robur, poteſtatemque ſignificat: ut Dei nomen apud ipſos ab ejus poteſtate, ac robore derivetur*. Falsò igitur putantes Hebræi, illius falſi numinis poteſtate ſe eductos ex Ægypto, dixerunt de Vitulo: *Hi ſunt Dii, Elohim tui*. Pravâ ergò voluntate decepti obliti practicè ſunt Dei ſui, ac ita ſe geſſerunt, ac ſi ab illo beneficia ſe accepiſſe non recordarentur, eadem falſo numini referendo.

XV. Hæc pro veritate dixi. Cæterùm etſi darem Calvino, & Voſſio hoc falſum, nimirùm, Hebræos peccaſſe, quòd verum Deum adoraverint in Vitulo, non dabo tamen id, quod inferunt, peccare ſcilicet, ac Idololatras eſſe omnes, qui Deum in imaginibus venerantur, etiam Chriſtianos. Nam primò Hebræis datum fuerat præceptum de non facienda ſimilitudine ulla, quod præceptum utpote poſitivum illos obligabat, non autem obligat modò Chriſtianos. Secundò quia Hebræi ſymbolum Dei, quæſiverunt in ſimulacro paganico, & licèt in eo adorare intenderint verum Deum, quia tamen illum adorarunt ritu Gentili, eorum cultus fuit reprobatus à Deo. Chriſtiani in ſignum Dei aſſumunt eas ſimilitudines, ac formas, ſub queis Deus ipſe apparuit Prophetis. Tertiò Hebræi, ut Calvinus ipſe fatetur, reſtringebant Dei præſentiam ad ſignum, ſeu ſymbolum, nec propinquum ſibi eſſe credebant Deum, niſi oculis cernerent corporeum ejus ſymbolum; ideòque cùm moram trahente Moyſe in monte, non ampliùs viderent columnam nubis, & ignis, quæ eos conſueverant præcedere, crediderunt, ſe à Deo derelictos. At Catholici non hac laborant inſaniâ: Deum ubique præſentem norunt, ſibi ſemper adeſſe credunt, quamvis per imagines magis excitentur ad ejus præſentiam conſiderandam, ſicut Hebræis data fuerat Arca, ut in ea ſpecialem Dei præſentiam conciperent, ac venerarentur, & columna nubis per diem, atque ignis per noctem ſpecialem Dei præſentiam atteſtabatur. Peccarunt ergò, non quia per ſignum exteriùs figurari præſentiam Dei crediderunt, ſed quia taliter Dei præſentiam collocarunt in ſigno ſenſibili, ut ſine iſto Deum non crediderint ipſis eſſe præſentem, reſtringentes Dei præſentiam ad ſignum ſenſibile. Hinc autem ſequitur, vetitum quidem eſſe in imaginibus credere reſtrictam Dei præſentiam, non autem vetitum uſum Imaginum ad exci-
tan-

tandam conſiderationem præſentiæ Dei, eamque venerandam; Sicut eſtò vetitum ſit, credere in Templo ſic concluſam Dei præſentiam, ut alibi non ſit, non tamen vetitum, habere Templa, atque Templum locum credere, cui ſpecialiter Deus adſit preces exaudiendo; nec propter abuſum aliquorum circa Templa tollenda ideo Templa ſunt, ut Calvinus ipſe fatetur lib.4. inſtit. cap.1. §.5., damnans proinde Xerſem, quòd *Magorum conſilio omnia ſuſtulerit Templa, quòd abſurdum putaret, Deos quibus omnia patere debent, parietibus, & tegulis includi*. Eâdem ergò ratione non ſunt tollendæ imagines Dei, quia hoc non *eſt figere Deum terrenis mediis, ſed potiùs vehiculis quibuſdam nos ſurſum efferre ad Deum in cœleſti gloria contuendum*. Sed de his uberiùs cùm de ſacris Imaginibus, ac earum veneratione tractavimus.

§. II.

Politheî apud Hebræos.

XVI. PRæter Politheiſmum Paganorum non defuerunt Polithei, tum apud Hebræos, tum etiam apud Chriſtianos. De primis curſim agemus in præſenti §., eos purè recenſendo, cùm refutata ex dictis maneat eorum inſania. Hi fuerunt Ranatitæ, Muſcaronitæ, Muſoritæ, Puteoritæ, Fortunatitæ, Theophetitæ, Molochitæ, Remphanitæ, & alii.

XVII. Ranatitæ Philaſtrio teſte de hæreſ. cap.11. dicebantur, qui Ranas colebant: cùm enim Moſis imperio infeſtatos ab illis Ægyptios viderent, exiſtimarunt, hac vanâ obſervantiâ iram ſe poſſe placare divinam.

XVIII. Muſcaronitæ, ſic dicti à Muſca, & Accaron, Philaſtrio teſte cap.13., erant apud eoſdem Judæos hi, qui in Civitate Accaron Muſcas adorabant, ſeu potiùs Beelzebub dæmoniorum Principem, qui erat Deus Accaron, dictus propterea Muſcarum Deus, quia fœdo Muſcæ colebatur Sacrificio: ad hunc miſit Ochozias nuntios eum conſulturus, num de ſua infirmitate, qua laborabat, convaleſceret. Verùm divino monitu Elias ob id ei mortem prænunciavit hiſce verbis 4. reg. 1.3. *Nunquid non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem de lecto, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris*. Hunc indicabant Phariſæi, quum per contumeliam opera Chriſti aſcribebant Beelzebub, dicentes Lucæ 11. 15. *in Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, quos acutiſſimè redarguit Chriſtus.

XIX. Mu-

XIX. Muſoritæ eodem Philaſtrio teſte cap. 12. erant apud Judæos adoratores murium. Hujus abominationis origo fuit hæc. Cùm Philiſtiim Arcam Dei bello captam in Idolio Dagon repoſuiſſent, ut legitur 1. reg. 5. 6., aggravata eſt manus Dei ſuper illos, atque inter alias plagas, ebullierunt villæ, & agri in medio regionis eorum, & nati ſunt mures. Quod videntes, de ſuorum Sacerdotum conſilio remittentes Arcam, quinque muribus aureis juxta numerum Provinciarum Philiſtiim eam donarunt. Qui mures maximo in honore á quibuſdam Judæis habiti, & tanquam numina culti fuere, propterea Muſoritæ vocatis.

XX. Puteoritæ eodem Philaſtrio authore c.20. fuere Judæi Puteos colentes, quos in altum fodiebant, indeque aquam haurientes ſalutarem appellabant, in ea quidpiam ſalutis reponentes. Proinde objurgati per Jeremiam cap. 2. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*. Cui arriſit Chriſtus Joann. 4. cùm promittens mulieri Samaritanæ aquam, & reſpondente illa: neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt, repoſuit: *Omnis, qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum* (fortè enim puteus ille erat unus ex ſuperſtitioſis) *qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei* (nimirùm baſptiſmatis) *non ſitiet in æternum*.

XXI. Fortunatitæ teſte Philaſtrio cap. 15. erant inter Judæos, qui fortunam, ſeu Reginam cœli colebant, putantes, ut tradit Alexander ab Alexandr. Genial. dierum lib. 1., eos, qui illam religioſè colerent, magnis incrementis augendos, qui veró minimo cultu eam proſequerentur, aut etiam deſpectui haberent, plurimis malis eſſe affligendos. Per Reginam Cœli putat S. Hieronymus ab iis intelligi Lunam, eò quòd præ cæteris aſtris hæc inferiora regat; Vel militiam Cœli, puta ſolem, lunam, aliaque ſydera; ſicque accipi debet, quòd dicitur 2. paralip. 33. 3., quòd Manaſſes adoravit militiam Dei; planetæ enim, & aſtra in cœlo tanquam milites Dei ordinata acie incedunt, pugnant, vibrantque fulmina in hoſtes, cùm opus fuerit. Fortunatitas increpat Jeremias cap.7. 17. dicens: *Mulieres conſpergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ Cœli*, & cap.44. 18. iterùm increpiti reſponderunt. *Ex eo autem tempore, quo ceſſavimus ſacrificare Reginæ Cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus; & gladio, & fame conſumti ſumus*.

XXII. Tophethitæ Philaſtrio teſte cap. 19. ex Judæis ii erant Idololatræ, qui filios, filiaſque ſuas in holocauſtum vivas offerebant in Tophet, ideſt in luco, ſeu ſylvâ Idolo Moloch celeberrimâ, in valle filiorum Ennon poſita, pſallentibus interim

rim Sacerdotibus altiſſima voce, tubiſque, & tympanis (unde ortum loci nomen Tophet, quod eſt tympanum) perſtrepentibus, ne miſerorum puerorum ejulatus audiretur à parentibus, vel affinibus, quibus perſuadebant, infantes hac via à Diis ad æthera rapi; contra quos ore Domini clamant Prophetæ, David pſ.105. 37. *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis*: Iſaias cap. 30., Ezechiel cap. 16., eiſque mala comminatur Hieremias cap.7. *Ædificaverunt excelſa Tophet, quæ eſt in valle filii Ennon, ut incenderent filios ſuos, & filias ſuas igni, quæ non præcepi, nec cogitavi in corde meo; ideo ecce dies venient dicit Dominus, & non dicetur ampliùs Tophet, & vallis filii Ennon, ſed vallis interfectionis, & ſepelientur in Tophet, eo quod non ſit locus &c.* Quòd impletum eſſe, ait Hieronymus in dictum caput, ab anno nono Sedeciæ Regis uſque ad annum duodecimum, obſidente Nabuchodonoſor Rege Babylonis Hieruſalem.

XXIII. Molochitæ, & Remphanitæ apud eoſdem erant, qui Moloch, & Rempham Idola colebant, numina Ammonitarum, iiſdem filios, ac filias ſuas initiantes contra præceptum Domini Levit.18. & 20.; objurgati propterea per Hieremiam cap.32., & Amos cap. 5. Moloch illis erat idem, quod Conſiliarius, & Rempham idem, quod ſydus illud, quod luciferum vocant, quodque dicitur Venus unus ex ſeptem planetis, de quo S. Stephanus art.7.42. *Convertit autem Deus, & tradidit ſervire militiæ cœli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum: nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis 40. in deſerto domus Iſrael? Et ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis adorare eas.* Hæ inter alias ſunt ſpecies Idololatrarum apud Judæos inſanientes, quos ſatis fuerit recenſuiſſe, quùm ex ſupra dictis contra Idololatras Paganos rationibus maneant refutatæ.

CAPUT VI.

De Polytheis apud Chriſtianos.

§. I.

Recenſentur Polythei.

NOn defuere ex Chriſtianis infecti maculâ Polytheiſmi. Hi ſunt Carpocratiani, Gnoſtici, Cerdoniani, Valentiniani, Marcionitæ, Appellitæ, Manichei, Severiani, Albanenſes, Albigenſes. Omnes hi, aliique Dei unitatem diſcerpſere.

I. Car-

I. Carpocratiani à Carpocrate genere Alexandrino, qui ſecundo ſeculo Hadriano Imperatore, & Xiſto Pontifice erupit, dicti ſunt. Hic homo nequiſſimus, omnemque libidinis uſum licitum docens, inter alia teſte S. Auguſtino lib. de hæreſibus cap.7. *Negabat à Deo factum, ſed à neſcio quibus virtutibus, mundum.* Ejus diſcipuli imagines Chriſti proponebant cum imaginibus Philoſophorum, Platonis, Homeri, & Pythagoræ, ac aliorum, & (refert D. Auguſtinus) *Sectæ ipſius fuiſſe traditur quædam Marcellina, quæ colebat Imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo.*

II. Gnoſtici, ut ait D. Auguſtinus ibi cap.6., qui ſic appellari voluerunt propter excellentiam ſcientiæ, ut hoc ſpecioſo nomine turpitudines, ac obſcænitates, quas uſu habebant, velarent, vel à Nicolaitis, vel à Baſilide, vel à Carpocrate orti putantur. Hi inter cætera multa de Deo, ejuſque natura fabulati ſunt. Principes 369. ceu minores Deos invehebant, cuique cœlo inſidentes, in octavo collocantes Chriſtum unâ cùm Barbelone, ſeu univerſorum parente, ita ex S. Epiphanio hæreſ.26., quos arguit S.Irenæus lib.1. contra hæreſes cap.33. & 34., & S. Auguſtinus addit: *dicuntur quoque bonum Deum, & malum Deum habere in ſuis dogmatibus*, quam inſaniam adoptaſſe poſtea Manichæos, infra dicemus.

III. Cerdoniani Cerdonem habuere parentem. Hic ex Syria Romam profectus eodem ſecundo ſeculo ſub Higino Papa, ut ex S.Irenæo apud Euſebium lib.4. cap.10. Hiſtor., errorem ſuum retractavit, ſed illum reſumens excommunicatus fuit. Hic circa Dei unitatem erravit teſte S. Auguſt. lib. de Hereſ. cap. 21. *quia duo principia ſibi adverſantia dogmatizavit; Deumque legis, ac Prophetarum non eſſe Patrem Chriſti, nec bonum Deum eſſe, ſed juſtum, Patrem verò Chriſti bonum... Quidam verò in duobus principiis ſuis duos Deos ita eum dixiſſe, perhibent, ut unus eorum eſſet bonus, alter autem malus.* Hæc D. Auguſtinus.

IV. Valentiniani Valentinum ducem nacti ſunt, qui ambitione Epiſcopatus, cujus repulſam paſſus eſt, errorem ſuum confinxit eodem ſeculo ſecundo ſub Antonino Pio, & Higino Papa. Nulla hæreſis fuit tot fabulis referta, quot ſcatet Valentiniana, de qua D. Auguſtinus hæreſ. cap.11. Poſuit ergò, ſeu meliùs finxit Valentinus 30. Deos, quos vocavit Eonas: horum quindecim maſculi, & totidem fœminæ, in varias veluti ſtirpes dividuntur, quarum omnium caput ſit unus Deus inviſibilis, ſempiternus, ingenitus, & incomprehenſibilis, quem *Proarchen Propatora, & Bython*, ſeu primum Principium, primum Patrem,

& profunditatem vocabat, cui conjugis loco ſociabat Ennæam, ſeu cogitationem, quam etiam Sigen, i. Silentium, & Charin, i. Gratiam nuncupabat. Hæc ſuſcepto à Bitho ſemine gravida genuit Nun, i. mentem Unigenitum, & Patrem, ac principium omnium, & unâ cùm eo Alethiam, i. Veritatem. Hæc fuit primigenia Quaternitas radix omnium. Ex mente, & veritate proceſſiſſe dicebat verbum, & vitam: ex verbo, & vita hominem, & Eccleſiam prodiiſſe. Et hæc erat Ogdoades Valentiniana. Rursùs ex verbo, & vita decadem Eonum ortam ſomniabat, ſcilicèt profundum, & mixtionem. Senii expertem, & unionem; Per ſe naſcentem, & voluptatem; Immobilem & concretionem; Unigenitum & beatum; Ex homine, & Eccleſia duodecim alios Eonas progenitos eſſe finxit, ſcilicèt Paracletum, & fidem; Paternum & ſpem; Maternum & dilectionem; intellectum & prudentiam; Eccleſiaſticum & beatitudinem; voluntarium & ſapientiam. Addebat Salvatorem 30. annos vixiſſe, ut hoc 30. Eonum myſterium indicaret; eoſdem in parabola operariorum, qui ad vineam Patris-familias miſſi ſunt, ſignificatos. Etenim alii circa horam primam, alii circa tertiam, alii circa ſextam, nonam, ac undecimam vocati ſunt, qui omnes in unum collecti numerum tricenarium efficiunt. Mirabile ſanè, mentem hominis tot deliria concipere potuiſſe: at mirabilius, ea apud aliquos, & non paucos fidem obtinuiſſe.

V. Marcionitæ parentem habuere Marcionem patriâ Ponticum Epiſcopi Catholici filium ex Stoicorum ſchola. Ejectus ob Stuprum ab Eccleſia per parentem ſuum, Romam fugiens Aniceto Pontifice, atque in communionem Romanæ Ecleſiæ ſubripere fruſtra conatus, Cerdoni ſe ſe adjunxit, illumque audivit impietatis Magiſtrum. Error palmaris, quem de Deo habuit fuit iſte. Duos Deos admiſit, unum bonum, alterum malum, cui mundi hujus adſpectabilis fabricam tribuit. Hæc ex S. Irenæo lib. 1. cap. 29. Tertulliano lib. 1. contra Marcionem c. 21. S. Auguſtino de hæreſibus cap. 22. dicente: *Marcion quoque, à quo Marcionitæ appellati ſunt, Cerdonis ſecutus eſt dogmata de duobus principiis: quamvis Epiphanius eum tria dicat aſſeruiſſe principia, bonum, juſtum, pravum: ſed Euſebius Sinerum quendam, non Marcionem trium principiorum, atque naturarum ſcribit authorem.*

VI. Apellitæ ab Apelle Marcionis diſcipulo, qui ſecundo ſeculo ſub Antonino Pio, & Teleſphoro Papa vixit, nomen, & errorem ſortiti ſunt. De his ſcribit S. Auguſtinus de hæreſ. c. 23. *Apellitæ ſunt, quorum Appelles eſt Princeps, qui duos quidem Deos introducit, unum bonum, alterum malum; non tamen in duo-*

bus diverſis, atque inter ſe adverſis principiis; ſed unum eſſe principium, Deum ſcilicet bonum, & ab illo factum alterum, qui cùm malignus eſſet, inventus eſt in ſua malignitate mundum feciſſe. Hæc S. Auguſtinus.

VII. Manichæi à Manete appellationem ſumſere. Fuit hic genere Perſa, qui à quadam muliere emptus in ſervum, deindè manu miſſus, ac adoptatus, demùm ab ea omnium bonorum hæres conſcriptus fuit. *Cubricus* primum illi nomen erat, ſed ne ſervitutis nomen ei probroſum eſſet, *Manes* appellari voluit, quæ vox Perſis idem eſt, ac allocutio. Verùm cùm hoc nomen malè apud Græcos ſonaret, quaſi ab inſania, & furore derivatum, ipſum diſcipuli ejus poſteà *Manichæum*, quaſi Manna fundentem, appellavere, S. Auguſtino teſte lib. de Hæreſibus c.46. Errorem ſuum ſpargendi hæc illi occaſio fuit. Inter bona à muliere adoptante ipſi relicta, fuere quædam ſcripta Scythiani cujuſdam genere Saraceni, quæ ad manus Terbinthi diſcipuli pervenientia, tandem apud illam mulierem, in cujus domo habitaverat, eo miserè extincto, remanſerunt. Hiſce in libris præformatum reperit Manicheus errorem, quem evulgando poſtea fecit ſuum tertio ſeculo ſub Aureliano Imperatore, & Felice I. Pontifice, quo multos ſibi comparavit diſcipulos, multa de Chriſtiana religione excripta ſectæ ſuæ immiſcens. Hujus ergò palmaris error fuit. Admittebat duo principia ſuprema inter ſe adverſa, & pariter æterna: quorum unum bonorum, alterum malorum numen eſſet, duaſque naturas, & ſubſtantias, bonam, & malam; malam dicebat eſſe materiam, ideoque carnem, quia ex materia, à malo principio eſſe procreatam, aſſerebat, qua ratione negabat, Chriſtum in vera carne fuiſſe, ſed ſolùm ſimulata, & apparente. Generationem execrabatur, aliaque impia, de quibus agunt Patres, Auguſtinus citatus, Theodoretus lib. 1. hæret. fabul. cap. 26. S. Epiphanius hæreſ. 66. & alii.

VIII. Severiani à Severo quodam Tatiani diſcipulo Eonum quorumdam fabulam à Valentino mutuati ſunt. Ex Tatiano etiam Encratitæ, qui ad Tatiani magiſtri ſui dogmata addiderunt plura rerum principia, inter quæ diabolum poſuere. Vixere ſecundo ſeculo.

IX. Albanenſes, qui octavo ſeculo emerſerunt ſub Conſtantino VI. Imperatore, & Leone III. Pontifice, cùm Gnoſticis, Apelle, Manichæo, Carpocrate, Cerdone, & Severo duo rerum principia conſtituerunt, unum bonum, alterum malum, à bono omnia bona, à malo omnia mala profluxiſſe, dicebant. Eadem ratione duo Scripturæ Teſtamenta à duobus Diis illis

proceſſiſſe, blaterabant; vetus quidem reſpuentes, quòd à malo principio factum crederent, & contrariò malum; novum autem acceptantes, quòd à bono Deo, & Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti conditum exiſtimarent.

X. Albigenſes 13. ſeculo in Galliis exorti ſunt. De Deo eadem, ac Manichæi, & Albanenſes blaſphemabant. Duos conſtituebant Creatores, inviſibilium ſcilicèt, quem vocabant benignum Deum, & viſibilium, quem malignum Deum nuncupabant. Novum Teſtamentum benigno Deo, vetus maligno attribuentes, illud acceptantes, repudiantes iſtud, præter quaſdam authoritates, quæ de veteri novo Teſtamento inſertæ ſunt, has enim ob reverentiam novi recipere, dignum exiſtimabant. Veteris Teſtamenti Deum mendacem aſſerebant, quia protoplaſtis dixit: *Quacumque die comederitis de ligno, morte moriemini*, cùm tamen poſt comeſtionem mortui non ſint. Homicidam quoque ipſum nominabant; tum quia Sodomitas, & Gomorrhæos incineravit, & aquis diluvii mundum delevit; tum quia Pharaonem, & Ægyptios mari obruit. Deum bonum curare animas dumtaxat, Deum malum omnia curare corpora. Hæc & alia refert Petrus Vallium Cernai in ſuâ, quam Innocentio III. nuncupavit, Albigenſium Hiſtoriâ cap. 2.

Hi ſunt præcipui hoſtes, qui ex Chriſtianis Dei unitatem ſuſtulere, qui ex dictis ſupra pro ſtabilienda Dei unitate abundè poſſunt confutari, aliqua tamen addenda exiſtimo.

§. II.

Deus veteris Teſtamenti alius non eſt à Deo novi Teſtamenti.

XI. PRobo primò ex S. Irenæo contra Marcionem l. 3. c. 63. dividere Deum in duos, alterum bonum, alterum non bonum, eſt Deum interimere; Deus enim, qui non eſt bonus, Deus non eſt, quia Deus non eſt, cui bonitas deeſt. Si dicas; Deum non bonum, eſſe tamen juſtum: Contra; Deus juſtus, qui bonus non eſt, Deus non eſt, ſicut Deus bonus, qui juſtus non ſit, Deus non erit: juſtitia enim ſupponit judicium, judicium autem ſapientiam; ſicut Deus, quia ſapiens non eſſet, non eſſet Deus, ita nec Deus eſſet ille, qui bonus eſſet, & non juſtus.

XII. Secundò probatur contra Manichæos, & Albigenſes. Primum, & maximum Præceptum Dei veteris Teſtamenti, nimirùm

rùm, diligere Deum, & proximum, eſt etiam præceptum à Deo novi Teſtamenti; ergò unus & idem eſt Legis, & Evangelii conditor; eſtò enim particularia præcepta dederit apta utriſque, & hominibus veteris Teſtamenti, & novi, unde alii ritus, ſacrificia, & judicia in Veteri, ac in Novo, quia alius ſtatus in uno, ac in altero; Præcepta tamen eminentiora, & ſumma, ſine quibus ſalvari non poteſt, in utroque eadem ſuaſit; ergò in utroque idem fuit Deus. Ita Irenæus lib.4. cap.26. cui addo: Deus veteris Teſtamenti præcepit homini, ut ipſum toto corde diligeret; ergò non erat Deus malus, quia malum non eſt objectum dilectionis, ſed fugæ. Fugiſſent ergò homines à Deo malo, & quidem juſtè, unde injuſtum fuiſſet præceptum, illum etſi malum amandi.

XIII. Tertiò probatur ex Tertulliano lib.1. adverſus Marcionem cap.8. ſic. Si Deus novi Teſtamenti eſt novus, ac diverſus a Deo veteris Teſtamenti, verus Deus non eſt, verus enim Deus æternus eſt. Quis enim Deus novus, niſi falſus? Inſuper verus Deus, quia æternus, nec vetus, nec novus eſſe poteſt; Deus enim, ſi eſt vetus, non erit: ſi eſt novus, non fuit; novitas enim initium teſtificatur, vetuſtas finem comminatur.

Verùm quia reſpondebant, Deum novi Teſtamenti novum eſſe, quia novitèr cognitum, urget Tertullianus cap. 9. Si Deus verus fuit, ignorari non potuit, & quia magnus, & quia benignus. Secundò Deus, qui ignoratur, Deus incertus eſt, quod enim quæritur, quamdiù ignoratur, incertum eſt, quamdiù quæritur, & poteſt non eſſe, quamdiù incertum eſt. Tertiò quomodo ignorabatur Deus bonus? Deus univerſi conditor, hominis plaſmator, nonne erat Deus bonus? Hunc quomodo poterant homines ignorare, ſi ejus opus ſunt? Cùm in repentinis Deum invocabant, ipſi ſe commendabant, ejus auxilium depoſcebant, Deum certè cognoſcebant: At non Deum malum, ab hoc enim ſolùm timere poterant pœnam, ergò Deum bonum, ac benignum, Deum ſcilicet novi Teſtamenti.

Quartò ex eodem Tertulliano cap.11. Deus jure creationis omnium Dominus eſſe debet. Ergò Deus novi Teſtamenti, vel univerſum creavit, & ſic erit idem Deus, qui & veteris, quem omnium Creatorem deſcribit Moſes, vel ſi nihil creavit, non erit Deus, omnia non ejus erunt, ſed ipſi extranea. Rursùs ſi Univerſitas Creatoris eſt, quid reſtat huic alteri Deo? Cùm plena, & occupata ſint omnia ſuo authore, planè alteri divinitati nihil vacabit.

Deindè ſi Deus novi Teſtamenti nihil condidit, ex duplici

ra-

ratione hoc eſſe neceſſe eſt: aut quia noluerit condere, aut quia non potuerit. Non potuiſſe, Deo indignum eſt, noluiſſe verò, quo fundamento dicitur? Si maximè bonus, cur bonitatem ſuam noluit effundere, cùm alter Deus, etſi malus, tanta fecerit? Inſigniora, & ſuperiora opera condere debuiſſet, ut ex honeſtioribus potior, ac generoſior cognoſceretur Creatore.

XIV. Dices, opus Dei boni fuiſſe excellens, liberationem nimirùm hominis à lapſu, quod à malo Deo permiſſum erat. Sed contra. Vel Deus iſte, ut aſſeritur bonus, potuit impedire hunc lapſum hominis, vel non potuit. Si non potuit, qualis eſt iſte Deus, qui non potuit impedire opus ab alio Deo permiſſum. Si potuit, & non impedivit, quia noluit, quomodo bonus, qui potens tantum malum impedire non impedivit. Rursùs ſi noluit impedire, ne homo laberetur, quare ipſum non erexit ſtatim poſt lapſum? Quare non exercuit ſtatim ſuam bonitatem, ſi bonus eſt? *Quid enim tam malignum, quàm nolle prodeſſe cùm poſſis. Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum morâ præſidii, & periculum extendat dilatione remedii, quo pretioſiùs, aut famoſiùs curet*. Hæc Tertullianus cap.22. &c.

XV. Neque valeret dicere, rationem hanc urgere etiam contra noſtrum verum Deum, qui nec ſtatim, ſed poſt multa ſecula hominem erexit à lapſu: Nam diſpar eſt ratio; Deus enim noſter eſt quidem bonus, ſed etiam juſtus. Juſtitia autem exigebat, ut homo voluntate ſua lapſus, in ſuo lapſu remaneret, ut in pœna. At Deus Marcionis, Manichæorum, & Albigenſium erat totus naturâ bonus, nec alio modo ſeſe effundere poterat, quàm benefaciendo; undè ſi potuit benefacere ſtatim, & noluit: undè erit naturâ bonus?

XVI. Probatur alia ratione ejuſdem Tertulliani cap.23. Bonitas ipſius Dei irrationalis eſſet, ac injuſta. Irrationalis quidem, quòd primò non ſuum, ſed hominem ab alio Deo creatum, & conſequenter ab eo alienum adjuvit. *Nego* (inquit Tertullianus) *rationalem Dei Marcionis bonitatem, jam hoc primò, quòd in ſalutem proceſſerit hominis alieni*. Si dixeris, quòd cùm Deus iſte non haberet hominem proprium, voluntaria bonitate ſeſe effudit in alienum, & inimicum. Contra eſt. Non habere proprium exiguæ virtutis eſt. *Porrò exigua, quæ ſuum non habuit, quomodo in alienum redundavit?* Injuſta etiam; *Quid enim injuſtius, quàm ita alieno benefacere ſervo, ut Domino eripiatur, ut alii vindicetur, ut adverſùs caput Domini ſubornetur? Talis aſſertor etiam damnaretur in ſeculo, ne dum plagiator*. Sic Tertullianus. Non aliter ſe haberet Deus Marcionis irrumpens in alienum mun-

mundum, eripiens alteri Deo hominem, Domino famulum ab ipſo conditum, ſub ejus jure, ac juſtitia poſitum.

XVII. Ulteriùs ex eodem Tertulliano cap. 24. & 26. Iſte Deus non eſſet perfectè bonus, ſi ſolam animam ſalvaret, non autem hominis carnem. Imò non eſſet Deus, ſi non eſſet juſtus, & vindex. Nec proindè timendus, ſi ita bonus, ut non eſſet judex, ac ſeverus, atque adeò ſub illo ſecurè, ac impunè peccari poſſet. Quia verò reſpondebant, Deum quidem malum eſſe timendum, ſed Deum bonum eſſe diligendum. Contra urget Tertullian. *Stultè, quem Dominum appellas, negas timendum? Cùm hoc nomen poteſtatis ſit etiam timendæ. At quomodo diliges, niſi timeas non diligere?*

XVIII. S. Epiphanius, unum, eundemque Deum eſſe veteris, ac novi Teſtamenti, oſtendit hæreſ. 42. ex ipſis novi Teſtamenti libris, quos accipiebant Marcionitæ, ſcilicèt Evangelio Lucæ, & Epiſtolis Paulinis, in quibus multa præcepta Dei antiqui approbantur, ejuſque Prophetæ recipiuntur. Deus verus præcipit per Moſem, ut leproſi oſtenderent ſe Sacerdoti. Hoc idem approbat Deus novus Lucæ 5. dicente Chriſto: *Vade oſtende te Sacerdoti, ſicut præcepit Moſes.* Deus antiquus dedit legem Decalogi. Ad hanc provocat Deus novus per verba Chriſti Lucæ 10. 26. *In lege quid ſcriptum eſt?* Ubi cùm legis peritus verba legis protuliſſet, reſpondit Chriſtus: *Rectè dixiſti, hoc fac, & vives.* Deus antiquus miſit Prophetas, eiſque, quid dicerent, inſpiravit. Hos approbat Deus novus, eorum dicta ſæpè adducebat Chriſtus. Cùm Chriſto in Monte loquuti ſunt Moyſes, & Elias Lucæ 9. Ad timendum Deum antiquum hortatur Deus novus per Chriſtum Lucæ 12. *Timete eum, qui habet poteſtatem mittendi animam in gehennam.* Hæc S. Epiphanius: *Velim* (inquit) *Marcion, quid de eo ſentias, qui poteſtatem habere dicitur; ſi enim, Patrem illum eſſe, dixeris, eundemque, quem tu bonum Deum prædicas, Judicem eſſe confiteris, qui pro meritis ſuis unumquemque compenſet. Aut ſi alium quempiam eſſe judicas, conditorem ſcilicet, quem tu propriè Judicem conſtituis. Cedo, quis ei poteſtatem commiſerit? Hanc enim ſi habet ipſe per ſe, magnus utique eſt, & poteſtate præditus. Quod ſi judicandi penes eum facultas eſt, erit & ſervandi. Qui enim juriſdictionem exercere poteſt, poteſt & abſolvere. Præterea ſi cùm judex in gehennam præcipites immittit animas, bonus ille Deus, qui tantam animarum curam gerit, non eas liberat, haberi bonus, qui poterit? Aut enim ille fortior eſt, nec ex ejus manibus extorquere poteſt, aut ut facultas ſuppetat, deeſt tamen liberandi voluntas. Ubinam igitur illa bonitas eſt?*

XIX. De-

XIX. Demùm contra Manichæos oſtendit S. Auguſtinus lib. de natura boni cap. 1., nullam naturam eſſe malam. Omnis natura bona eſt. Ergò eſt à ſummo bono, ergò non eſt aliquod principium ſupremum, à quo ſint naturæ malæ. Sed omnis natura proximius, vel remotius participans eſt de ſummo bono, & quaſi per gradus ab eo deſcendit! Cùm omnis natura, vel ſpiritus, vel corpus ſit, hinc vel ſpiritus, vel corpus ſit, bonum erit.

Rursùs lib. 1. contra adverſ. leg. & prophet. cap. 5. probat, nullam eſſe naturam malam, quia malum nihil aliud eſt, quàm privatio boni, privatio autem non eſt in re mala, ergò nulla eſt natura ſubſiſtens, quæ ſit mala, & in malum Deum velut authorem refundatur. *Sed ipſa quoque vitia (inquit) teſtimonium perhibent bonitati naturarum. Quod enim malum eſt per vitium, profectò bonum eſt per naturam. Vitium quippe contra naturam eſt, quia naturæ nocet, nec noceret, niſi bonum ejus minueret, non eſt ergò malum, niſi privatio boni. Ac per hoc nuſquam eſt, niſi in re aliqua bona. Ac per hoc bona ſine malis eſſe poſſunt, ſicut ipſe Deus, & quædam ſuperiora cæleſtia: mala verò ſine bonis eſſe non poſſunt. Si enim nihil nocent, mala non ſunt, ſi autem nocent bonum minuunt, etſi totum conſumunt, nihil naturæ remanebit, cui noceatur? Ac ex hoc nec malum erit, à quo noceatur . . . quando natura defuerit, cujus bonum nocendo minuatur*. Hæc Auguſtinus.

§. III.

Solvuntur ea, quæ in ſpeciem favent Hæreticis.

XX. Primò obiiciebant Marcionitæ. Si Deus bonus, & præſcius futuri eſſet, cur hominem in peccatum labi paſſus eſt, & tantum malum ab eo non avertit, cùm poſſet.

Reſpondeo, Deum creaſſe hominem libertate pollentem, ſivè ad bonum, ſivè ad malum, undè ſi lapſus fuit, ſua voluntate libera lapſus eſt. Poterat quidem Deus hominem, ne laberetur, tenere, ſed id non præſtitit, non quia non bonus, ſed quia non debuit. Ita Tertullianus lib. 2. contra Marc. cap. 5. 6. & 7. Deus ex quo ſummè bonus, non poteſt quidem peccata efficere, aut ea velle, poteſt tamen permittere. Undè S. Auguſtinus 14. de Civit. Dei cap. 27. *Quis enim audeat, credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre; atque ita, & quantum mali eorum ſuperbia, & quantum boni ſua gratia valeret, oſtendere*. Et ſerm. 26. alias 11. de verbis Apoſt. *Hoc modo ergò oſtendere voluit*

luit Deus homini, quid valeret liberum arbitrium ſine Deo.

XXI. Dices. Si homo factus fuit ad imaginem Dei, & ejus anima ſpiritus Dei eſt, ſi malus fiat homo, cur malus non erit Deus? Valeret hoc, ſi homo fieret malus per ea, quæ accepit à Deo, aut regitur ab ipſo, & non potiùs deſerendo Deum, & ab ejus regula recedendo. Homo quidem eſt ad imaginem Dei, ſed non perfecta imago Dei, *aliud enim eſt eſſe ſecundum veritatem* (ait Tertullianus lib.2. contra Marcionem c.9.) *aliud ipſam veritatem eſſe. Sic & afflatus, cùm imago ſit ſpiritus, non poteſt ita imaginem comparare, ut quia Spiritus, ideſt Deus, ſine delicto eſt, ideò & afflatus, ideſt imago, non debuerit admiſiſſe delictum.* Ita planè S. Auguſtinus lib.1. contra adverſ. legis & prophet. cap. 14. qui de anima humana ſic ait. *Nec in homine pars Dei reſtitit Deo, quia ſi hominis anima pars Dei eſſet, nec à ſe ipſa, nec ab aliquo decipi, nec ad aliquid malè faciendum, ſivè patiendum ulla neceſſitate compelli, nec in meliùs, aut deteriùs mutari, omnino potuiſſet.*

Loquens autem de ſpiritu hominis, ait: *Flatus autem ille Dei, qui hominem animavit, factus eſt ab ipſo, non de ipſo; quia nec hominis flatus hominis pars eſt, nec homo eum facit de ſe ipſo, ſed ex aerio halitu ſumto, & effuſo.* Quibus peſtringit eos, qui putabant animam, & flatum, qui eſt in homine, eſſe portionem ſubſtantiæ Dei. Aliter etiam eſt imago Dei Filius Dei, aliter homo. Filius Dei *eſt imago perfecta perfectè implens illud, cujus imago eſt, & ideò dicitur imago, & nunquam ad imaginem. Homo verò & dicitur imago, & propter imperfectionem ſimilitudinis dicitur ad imaginem. Et quia ſimilitudo perfecta Dei non poteſt eſſe, niſi in identitate naturæ, imago Dei eſt in Filio ſuo primogenito, ſicut imago Regis eſt in filio ſuo connaturali. In homine autem ſicut in aliena natura, ſicut imago Regis in nummo argenteo, ut patet per Auguſtinum in lib. de Decem Chordis c.9.* Sic D. Thom. *1.* p. q. *93.* a.1. ad ſecundum; undè ſicut in nummo poteſt imago Regis obliterari, ſic & in homine imago Dei, quin Deo aliquid deficiat. Neque Deus quamvis præſcius futuri lapſus, eum impedire debuerat, quia ut ait Auguſt. lib.1. con. adverſar. legis & prophet. cap.14. *Deus nec ignarus fuit, hominem peccaturum, ſed ſimul etiam quid juſti, & boni fuerat, & de peccante facturus, ſumma utique divinitate præſcivit.*

XXII. Secundò obiiciebant. Deus à primordio ſeverus fuit, ergò non naturâ bonus. Reſpondeo, Deum prius erga hominem exercuiſſe effundendo in eum divitias ſuæ bonitatis, quo oſtendit, ſe eſſe naturâ bonum: quod ſi poſtea exercuit ſuam ſeverita-

tem in hominem, hoc non fuit ex naturâ Dei, ſed ex delicto hominis ad eam Deum provocante. *Prior* (ait Tertullianus l.2. contra Marcionem cap.11.) *bonitas Dei ſecundum naturam, ſeveritas poſterior ſecundùm cauſam*. In ſeveritate tamen adhuc bonus, quia juſtus. *Juſtitia enim tutela eſt bonitatis, quia bonitas, niſi juſtitiâ regatur, non erit bonitas; nihil enim bonum, quod injuſtum: bonum autem omne, quod juſtum*.

XXIII. Tertiò obiiciebant. Ipſe Creator ſe pronunciat conditorem malorum Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. Et Iſaiæ 45. *Ego Dominus creans malum*.

Reſpondeo, Deum ſe pronunciare creatorem malorum pœnæ, & ſupplicii, non culpæ, ac delicti, quin imò mala culpæ per mala pœnæ curat avertere. Malorum culpæ author Diabolus eſt, malorum pœnæ Deus creator. Ita Tertullianus citatus cap.14., & S. Auguſtinus lib. contra Adimantum cap.16. Ita ergò *Deus malum facit*, quod non *ipſi Deo malum eſt, ſed eis, in quos vindicat.... Quamvis enim malum ſit gehenna damnato; Juſtitia tamen Dei bona, & ipſe fructus eſt ex arbore bona*.

XXIV. Obiiciebant quartò. Sævus eſt, qui viſitat iniquitates Patrum in filios; at is erat Deus conditor Exod.20.5. *Ego ſum Deus Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios*. &c. Ergò &c.

Reſpondeo primó, hoc verum eſſe, ſi filii imitentur iniquitates parentum, ſecus verò, ſi non imitentur. Sic D. Hieron. Comm. in cap.18. Ezech. Sic Tertull. cap.14., & S. Auguſtinus contra Adimantum cap. 7.; undè Ezech. 18. ubi de impio, & pœna ejus multa præmiſit, ait, *quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata Patris ſui, quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis.... hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita vivet...* Reſponderi etiam poteſt, ibi ſermonem eſſe de temporali punitione. Cum enim filius ſit aliquid Patris, ſævum non eſt, ſed juſtum, ut patres etiam in filiis puniantur temporaliter, ut hoc timore parentes magis deterreantur à delictis, quæ ſciunt etiam in ſua poſteritate fore punienda, ita Tertullianus ibi cap.15. Addit S. Hieron. loco laudato: *Solent in hoc loco Hæretici, qui vetus non recipiunt inſtrumentum, contra Creatorem dicere: Quàm bonus, & juſtus Deus legis, & prophetarum, qui quieſcens, & ſilens ad peccata patrum, reddit his, qui non peccaverunt, imò quanta in eo crudelitas, ut iram ſuam uſque ad tertiam, & quartam extendat generationem! Quibus nos reſpondebimus, & in hac Dei Creatoris clementiam demonſtrari; non enim truculentiæ eſt, & ſeveritatis, iram tenere uſque ad tertiam, & quartam generationem, ſed ſignum miſericordiæ pœnam differre peccati, quando enim dicit* Dominus mi-

miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, *&* *infert*, reddens iniquitatem patrum ſuper filios, & filios filiorum *hac indicat, quod tantæ miſericordiæ ſit, ut non ſtatim puniat, ſed differat ſententiam puniendi. Sin autem vindicta peccantium differtur in tertiam, & quartam generationem, cùm juſtis, ſanctiſque quid ampliùs facit?* Hæc Hieronymus.

XXV. Obiiciebant quintò. Quomodo bonus Deus, qui talionis legem induxit, qui multos cibos vetuit, qui tot ſacrificiorum, atque oblationum onere prægravavit? talis autem fuit Deus veteris Teſtamenti.

Reſpondeo ad ſingula: primò legem talionis, qua jubebatur, ut oculus redderetur pro oculo, dens pro dente, latam fuiſſe, non ut exercendæ injuriæ licentiam daret, ſed ut violentiam paris pœnæ metu coerceret. Ita Tertullianus lib.2. contra Marcion. 18. Rursùs non ad fovendum furorem, ſed ponendum limitem furori, ne ſcilicet offenſus non rependeret pœnam culpa graviorem: ita S. Auguſtinus lib. contra Adimant. cap.8. & l.19. contra Fauſtum cap.25. *Oculum* (inquit) *pro oculo, dentem pro dente, non fomes, ſed limes furoris eſt, non ut id, quod ſopitum erat, hinc accenderetur, ſed ne id, quod ardebat, ultra extenderetur.* Populus enim ille rudis graviorem pro offenſa vindictam ſumſiſſet. Ad frænandum ergò furorem, præſcriptum fuit, ne ultra offenſam eſſet vindicta, donec Evangelio adveniente totalis offenſæ condonatio perfectiori populo ſuaderetur. Hinc S. Auguſtinus lib. contra Adimantum citato: *Duorum teſtamentorum differentia demonſtratur, ſed amborum tamen ab uno Deo conſtitutorum.* Sicut enim Pater aliqua permittit puero, quæ non permittit adulto, ſic idem Deus aliqua toleravit in populo Judaico, quæ non toleravit in Chriſtiano.

Eadem ratione repudium uxoris Judæis permiſit, Chriſtianis interdixit, ut ipſe Chriſtus Matth.19. teſtatur, & S. Auguſtinus lib.19. contra Fauſtum cap.29.

Quoad verò certorum ciborum interdictionem, etiam bonum ſe eſſe Deum, oſtendit, hæc enim exercendæ continentiæ causâ præcepta erat, & ut hujus beneficio ad cæteras virtutes populus ille formaretur, ut ait Tertullianus. Tum etiam quia, S. Auguſtino teſte, certi cibi interdicebantur, non quòd naturâ eſſent immundi, ſed ad myſticam ſignificationem. Quòd enim in veteri lege animalia, quæ non ruminant, immunda vocentur, hoc non naturâ, ſed ſignificatione dicitur, quia ſignificant eos, *qui cùm libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his omninò non cogitant.* Sic lib.6. contra Fauſt. c.7.

XXVI. Multitudo autem ſacrificiorum fuit à Deo imperata propter bonum hominum, ut eos hiſce ſacrificiis illigatos ab Idololatria, ad quam propenſi erant, coerceret, ita Tertullianus lib.2. contra Marcionem cap.18. & 19., & Gregorius Nazianz. orat.42. Neque dicatur, ſacrificia illa fuiſſe mala, quia ſimillima ſacrificiis, quæ falſis numinibus offerebantur. Nam reſpondet S. Auguſtinus lib.20. contra Fauſtum cap.21. *Tantum intereſt inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænunciantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales virgines fuerunt, ſic non ideo reprehendenda ſacrificia Patrum, quia ſunt & ſacrificia Gentium, quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quamvis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voveatur, atque reddatur. Sic inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum multum diſtat, eo ipſo quod hoc ſolum diſtat, quæ cui ſint immolata & oblata: illa ſcilicet ſuperbæ impietati Dæmoniorum, idipſum ſibi ob hoc arrogantium, quo haberentur Dii, quia divinus honor eſt ſacrificium. Illa verò uni Deo, ut ei offerretur ſimilitudo promittens veritatem ſacrificii, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in paſſione Corporis, & Sanguinis Chriſti.*

XXVII. Sed dices. Si ergò eſt idem Deus veteris Teſtamenti, ac novi; cur ſacrificia, oblationes, cæteræque obſervantiæ, quæ præceptæ erant in vetere, ſunt abrogatæ, & prohibitæ in novo? Hoc certè probat, non eſſe eundem Deum utriuſque; aliàs ſibi contradiceret.

Reſpondet S. Auguſtinus lib.19. contra Fauſtum cap.18. In veteri Lege alia fuiſſe moralia, alia cæremonialia, quæ adhibebantur in figuram illius, qui venturus erat, nempè Chriſtus. Prima æquè obſervantur in novo, ac in veteri, & talis eſt Decalogus, ad quem ſæpè provocabat Chriſtus ipſe. Secunda vero cùm jam ſint impleta, cur ampliùs obſervari debent? *Illa* (inquit S. Doctor) *ſunt præcepta morum: illa Sacramenta ſunt promiſſorum: hæc implentur per adjuvantem gratiam, illa per redditam veritatem, utraque per Chriſtum &c. Denique iſta, quæ in rectè vivente conſcientia conſervantur, fide per dilectionem operante complentur: illa verò, quæ in promittente ſignificatione verſata ſunt, rebus redditis tranſierunt.*

Nec ideo ſecum pugnat Creator, dum vario in ſtatu varia tradidit præcepta, ait S.Auguſtinus lib.32. contra Fauſtum c.14. *Sicut æger non debet reprehendere medicinalem doctrinam, ſi aliud illi hodie præceperit; aliud cras: prohibens etiam, quod ante præceperat, ſic enim ſe habet ſanandi ejus corporis ratio: ita genus humanum,*

num ab Adam uſque ad finem ſeculi, quamdiù corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, ægrum atque ſaucium, non debet divinam reprehendere medicinam, ſi in quibuſdam hoc idem, in quibuſdam verò aliud priùs, aliud poſteriùs obſervandum præcepit; præſertim quia ſe aliud præcepturam eſſe promiſit.

XXVIII. Obiiciebant ſextò 2.Cor.4. dicit Paulus. *In quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium*. Et Chriſtus Joann.12. 31. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. Dantur ergò duo Dii, alius Deus hujus ſeculi, ac Princeps hujus mundi, qui ſpiritalis cæcitatis author ſit, & malorum; alius bonorum omnium fons.

Reſpondeo, S. Irenæum lib.3. adverſus hæreſes cap,7. ſentire, in iis Pauli verbis, ut in aliis, hyperbaton eſſe, ſeu vocis tranſpoſitionem, ac debere ſic conjungi: *Deus excæcavit mentes infidelium hujus ſeculi*: quam expoſitionem probat etiam S. Auguſtinus lib.21. contra Fauſtum cap.2. Nec ideo tamen Deum eſſe malum, quia excæcatio illa pœna eſt, *nec hoc facit malitia, ſed juſtitia*. Hoc idem ſentit S. Joan. Chryſoſt. homil.8. in ſecundam ad Cor. dicens: *Quid autem eſt Deus ſeculi hujus? Marcionitæ dicunt, de Opifice juſto ſolùm, & non bono, hæc dicta eſſe: narrant enim, eſſe Deum quendam juſtum, & non bonum. Manichæi verò dicunt, Diabolum hic dici, volentes valdè abſurdè hinc creaturis alium opificem introducere præter eum, qui eſt. Solet enim Scriptura vocare Deum, non à dignitate ejus, qui ſic appellatur, ſed ab infinitate ſubditorum, ut quando mammona Dominum dicit & ventrem Deum, at non ob hoc ſimpliciter, vel venter Deus, vel mammona Dominus, ſed illorum, qui ſibi ſe ſubjiciunt. Cæterùm nos dicimus, quod neque de diabolo hoc dictum ſit, ſed de univerſorum Deo, & ſic legendum; quod incredulorum ſeculi hujus excæcavit Deus ſenſus, futurum enim ſeculum non habet incredulos, ſed præſens dumtaxat. Quod ſi & aliter quis legerit: Deus ſeculi hujus; neque hoc reprehenſionem habet: non enim hoc oſtendit, ipſum hujus dumtaxat ſeculi ſolum eſſe Deum. Nam & Deus cæli dicitur, & non eſt ſolius cæli Deus &c. Quomodo igitur excæcavit? Nunquid efficacia ſua ad hoc impellens? Abſit. Sed permittens, & concedens*. Hæc Chryſoſtomus.

XXIX. Verùm S. Auguſtinus abſque ullo ſcrupulo concedit, his verbis *Deus hujus ſeculi* non intelligi Deum Creatorem, ſed Diabolum, qui mentes infidelium malis ſuaſionibus, & tentationibus excæcat. Videatur lib. 21. contra Fauſtum cap.9. & lib.1. contra adverſ. legis & prophet.cap.7., cui adhærent S.Cyrillus initio lib.1. contra Julianum, & ante omnes Tertullianus

nus lib.5. contra Marcionem cap.11., & demum S. Thomas in cap.4. 2. ad cor. lect.1. & 1. p. q.65. a.1. ubi ait: *Dicitur autem diabolus Deus hujus ſeculi, non creatione, ſed quia ſeculariter viventes ei ſerviunt, eo modo loquendi, quo Apoſtolus loquitur ad Philipp. 3. Quorum Deus venter eſt.* Eodem etiam modo à Chriſto dictus fuit Diabolus Princeps hujus mundi, quia homines illi dederant ſupra ſe ipſos principatum, eum colendo ut Deum, vel illi vitiis ſerviendo, qui tamen per ipſum Chriſtum erat ejiciendus foras. Ita intelligit S. Chryſoſtomus homil.6. in Joann. & S. Auguſtinus lib. de agone Chriſtian. cap.1. *Princeps* (inquit) *hujus mundi miſſus eſt foras: non quia extra mundum miſſus eſt, quomodo quidam hæretici putant: ſed foras ab animis eorum, qui cohærent Verbo Dei, & non diligunt mundum, cujus ille Princeps eſt, quia dominatur eis, qui diligunt temporalia bona, quæ hoc mundo viſibili continentur: non quia ipſe Dominus eſt hujus mundi, ſed Princeps cupiditatum earum, quibus concupiſcitur omne, quod tranſit.*

XXX. Obiiciebant ſeptimò. Bonus Deus non præcipit fornicationem, non mandat rapinam, & fraudem; atqui Deus veteris Teſtamenti præcipit fornicationem Oſeæ prophetæ 1. 2. *Vade ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum.* Mandavit fraudem, & rapinam Exodi 11., dum juſſit, ut peterent ab Ægyptiis vaſa aurea, & argentea, & ea raperent: approbavit etiam mendacium, quia Exod.1. benè fecit obſtetricibus, quia mentitæ fuerunt Pharaoni, ergò &c.

Reſpondeo ad primum cùm S. Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum, qui pro Manichæis idem opponebat cap.80., non præcepiſſe Deum Oſeæ, ut cùm muliere illa fornicaretur, ſed ut eam, quæ fornicata prius erat, ad meliorem frugem commutatam duceret uxorem, & hoc ad ſacramentum, nimirùm ad vocationem Gentilium ſignificandam. Videatur idem S. Doctor cap.89. Dici etiam poteſt cùm S. Thoma 1.2. q.94. a.5. ad 2. & q.100. a.8. ad 3., quod Oſeas *accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non eſt fornicatus, nec mæchatus, quia acceſſit ad eam, quæ ſua erat ſecundùm mandatum divinum, qui eſt author inſtitutionis matrimonii.*

Quod autem Hebræi ab Ægyptiis petierint vaſa aurea, & ſecum abſtulerint, furtum, aut rapina non fuit, neque fraus. Primò quia, ut ait D. Thom. locis citatis, furtum eſt acceptio rei alienæ, & non ſuæ, qui autem accipit ex mandato Dei, qui Dominus eſt omnium, non accipit rem alienam, ſed jam ſuam. Secundò cùm Tertulliano lib.2. contra Marcionem c.20.

Non

non fuiſſe rapinam, ſed mercedem laborum. *Repoſcunt* (inquit Tertull.) *Ægyptii de Hebræis vaſa aurea, & argentea. Contra Hebræi mutuas petitiones inſtituunt, allegantes, ſibi mercedes reſtitui oportere illius operariæ ſervitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus, & villis ædificatis.* Ex quo concludit, actum utrimque per legatos, & tandem Ægyptios pretioſæ illi ſuppellectili renunciaſſe. Ita ferè S. Auguſtinus lib.22. contra Fauſtum c.71. concludens, *quia homines peregrinos labore gratuito injuſtè, ac vehementer afflixerunt. Digni ergò erant & iſti, quibus talia juberentur, & illi, qui talia paterentur.* Quamvis hoc exiſtimet fuiſſe permiſſionem potiùs, quàm mandatum.

Ad id, quod additur de obſtetricibus, reſpondet S. Tho. 2.2. q.110.a.3. ad 2., quòd obſtetrices non ſunt remuneratæ pro mendacio, ſed pro timore Dei, & benevolentiâ, ex qua proceſſit mendacium, unde ſignanter dicitur Exod.1. Et quia timuerunt obſtetrices Deum (i. non interficiendo maſculos Hebræorum, ut eis præceperat rex Ægypti) ædificavit illis domos. Mendacium autem ſecutum non fuit cauſa remunerationis.

XXXI. Obiiciebant octavò. Deus Judæorum ſibi erat contrarius. Prohibuit operari Sabbato, deinde juſſit Arcam circumferri Sabbato. Vetuit fieri ſimulacra, deinde Moyſi juſſit, ut faceret effigies Cherubim, ac ſerpentis. Erat inconſtans, quia obnoxius pœnitentiæ. Gen.6. *pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra.* 1. Reg. 15. 11. *Pœnitet me, quod conſtituerim Regem Saul.* Jeremiæ 26. 19. *& pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adverſus eos.* Erat etiam ignorans, ut patet ex illis verbis, quibus quærens Adam dicebat: *Adam, Adam ubi es?* Gen.3.9. & ad Cain: *Ubi eſt Abel frater tuus?* Et de Sodomitis Gen.18.28. *deſcendam, & videbo, utrum clamorem opere compleverint.*

XXXII. Reſpondendum eſt ad hæc omnia. Ad primum reſpondeo, prohibuiſſe Deum die Sabbati opera ſervilia, non autem opera religionis, & caritatis, ſic reſpondet Irenæus lib.4. adverſus hæreſ. cap.19. Tertull. lib.2. contra Marcion. cap.21. Concordat S. Auguſtinus lib. contra Adimantum cap.22. afferens exemplum Chriſti, qui hominem ſanavit die Sabbati. *Dominus in Evangelio* (Matth.12.10.) *ubi hominis manum aridam ſanavit die Sabbati, divinum opus fecit, non humanum, nec ab otio receſſit, qui juſſit, & factum eſt. Et ideo non eſt ſimile hoc factum ligna colligenti, quod facere cùm inventus eſſet homo die Sabbati, juſſu Dei lapidatus eſt* Numer.15.35.

XXXIII. Quod ſimulacra ſpectat, reſpondet Tertull. lib.2. con-

contra Marcionem cap.22., Deum illa vetuiſſe, ut Idololatriam cohiberet, ſubjicit enim, *& non adorabitis ea*. Cherubim autem & ſerpentem fieri juſſit, non ad adorandum, ſed illa in ornamentum, iſtum in remedium. Quare cùm comperiſſet Ezechias, Hebræos abuti illo ſerpente ad adorandum, illum confregit 4. Reg. 18. 4. & laudatus eſt.

XXXIV. Neque quod dicatur, Deum pœnituiſſe, arguitur inconſtantiæ. Alio enim ſenſu Deum dicitur pœnitere, alio homines, illum metaphoricè, iſtos propriè. Ita Tertullian. lib.2. contra Marc. cap. 24., cui conſonat S. Auguſtinus lib.1. contra adverſ. leg. & prophet. cap.20. *Non enim* (inquit) *ſicut hominem pœnitet Deum, ſed ſicut Deum: quemadmodum non ſicut homo iraſcitur, nec ſicut homo miſeretur, nec ſicut homo zelat. Sed omnia ſicut Deus. Pœnitentia Dei non eſt poſt errorem: ira Dei non habet perturbati animi ardorem. Miſericordia Dei non habet compatientis miſerum cor, unde in latina lingua nomen accipit: zelus Dei non habet mentis livorem; ſed pœnitentia Dei dicitur rerum in ejus poteſtate conſtitutarum hominibus improviſa mutatio: ira Dei eſt vindicta peccati; miſericordia Dei eſt bonitas opitulandi: zelus Dei eſt providentia, qua non ſinit eos, quos ſubditos habet, impunè amare, quod prohibet &c.* quæ explicat D. Thom. 1.p. q.19. a.7. ad 2. dicens. *Illud verbum Domini* (pœnituit) *metaphoricè intelligendum ſecundùm ſimilitudinem noſtram. Cùm enim nos pœnitet, deſtruimus, quod fecimus.... Sic igitur Deus pœnituiſſe dicitur ſecundùm ſimilitudinem operationis, in quantum hominem, quem fecerat, per diluvium à facie terræ delevit,* ſic pœnituiſſe dicitur, conſtituiſſe Saul Regem; quia ipſum amovit à regno.

XXXV. Illæ autem voces divinæ *Adam ubi es?* non indicant, quod Deus neſciret, ubi Adam eſſet, & ideo ipſum quæritando clamaret. *Nec enim* (ait Tertullianus lib.2. contra Marcionem cap.25.) *ſimplici modo, ideſt interrogatorio ſono legendum eſt: Adam ubi es? Sed impreſſo, & incuſſo, & imputativo: Adam ubi es? Ideſt in perditione es, jam hic non es: ut increpandi, & dolendi exitus vox ſit. Igitur interrogabat Deus quaſi incertus, ut & hic liberi arbitrii probans hominem, in cauſa aut negationis, aut confeſſionis, daret ei locum ſpontè confitendi delictum, & hoc nomine relevandi*. Idem dici poteſt de Cain. Undè Auguſtinus in pſ.118. ſerm.9. *Quando enim dixit Deus: Adam ubi es? Non, ubi eſſet, ignorabat, ſed ſuperbum increpabat: & ubi tunc eſſet, ideſt ad quam miſeriam perveniſſet, non ſcire cupiebat, ſed interrogando increpans admonebat*. Et lib.13. de Civit. Dei cap.15. addit, *quando timore dementi ſeſe abſcondenti homini dixit, Adam ubi es? non uti-*

utique ignorando quærens, ſed increpando admonens, ut adtenderet, ubi eſſet, in quo non eſſet Deus.

XXXVI. *Verba autem hæc: Deſcendens ego videbo* (ait idem Auguſtinus lib. 1. quæſt. in Geneſ. q. 39.) *ſi non dubitantis, quid duorum potiùs eventurum ſit, ſed iraſcentis, & minantis, accipiamus, nulla quæſtio eſt. More quippè humano Deus in Scripturis ad homines loquitur .... Solemus etiam ſic minaciter loqui: videamus, ſi hoc tibi facio, aut videamus, ſi non illi fecero: & ſi non potuero tibi facere: vel ſciam, ideſt hoc ipſum experibor, utrum non poſſim; quod cùm minando, non ignorando dicitur, irati apparet affectus; ſed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis, & uſitatus eſt, ut humanæ infirmitati congruat, cui Deus coaptat locutionem ſuam.* Hæc S. Auguſtinus.

Quantum verò ad Cain reſpondet idem S. Auguſtin. lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. *Interrogabat Deus Cain, non tanquam ignarus eum, à quo diſcat, ſed tanquam Judex reum, quem puniat.*

CAPUT VII.

De Religione Judæorum.

§. I.

Religio Judæorum olìm vera fuit Religio.

I. Aſſertio hæc ex uſquemodo dictis eruitur; ea enim eſt vera Religio, quæ exhibet cultum vero Deo, & hunc exhibet modo, ac ritu ab ipſo vero Deo præſcripto. Atqui Judæorum Religio olim exhibebat cultum vero Deo, quia ex probatis Deus Hebræorum erat verus Deus, imò idem ac Deus Chriſtianorum; modus autem, & ritus, quo eum colebant, erant ab ipſo Deo præſcripti per Moſen, ut legitur in lib. Exodi, Numerorum, Levitici, aut Deuteronomii: erat ergò vera Religio.

Urgeo hoc ex doctrina S. Thom. 1. 2. q. 98. a. 2. Ejuſdem eſt ordinare ad finem, & ad finem præparare, ac diſponere, cujus eſt perducere ad finem; ſed Religio Hebræorum diſponebat, ac præparabat homines ad finem, ad quem perducit Chriſtiana, quæ, ut videbimus, vera Religio eſt, & à vero, & unico bono Deo; ergò etiam religio Judaica. Min. probatur. Finis, ad quem perducendi erant homines, erat Chriſtus, per quem liberandi erant à communi noxa, atque aditu in regnum cœleſte,

 qui

qui eis præcluſus fuerat,donandi;atqui religio,& lexHebræorum dupliciter ordinabat homines ad Chriſtum: *Uno modo teſtimonium Chriſto perbibendo*, quòd præſtabat per ſuos prophetas, *unde Chriſtus ipſe Lucæ ult. dicebat*: *Oportet, impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, in pſalmis, & in prophetis de me.* Et Jo:5. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit*: *Alio modo per modum cujuſdam diſpoſitionis, dum retrahens homines à cultu Idololatriæ, concludebat eos ſub cultu unius Dei, à quo ſalvandum erat humanum genus per Chriſtum, unde Apoſtolus dicit ad Galat.3. Priùſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamu·, concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat*: Ergò &c.; non enim Diabolus, aut alius contrarius Deus potuiſſet religionem inſtituere, ac pro ea legem ferre, per quam homines adducerentur ad verum Deum, & Chriſtum, *per quem Diabolus erat ejiciendus ſecundùm illud Matth.12. Si Sathanas Sathanam ejicit, diviſum eſt regnum ejus*; aut alter Deus erat ſuo cultu privandus; hinc S.Auguſtinus lib.22. contra Fauſtum cap.17. cap.24., lib.7. de Civit. Dei cap. 32. & alibi oſtendit, omnia ſacra, ritus, cæremoniaſque legis veteris, nec non dicta, geſta, & vitam Patriarcharum, & Prophetarum fuiſſe continuam prophetiam Chriſti, & legis Evangelicæ.

II. Si autem dicas, etiam apud Paganos fuiſſe Sibyllas, alioſque, qui aliqua de Chriſto prænunciarint; & tamen hinc non evinci, eorum Religionem fuiſſe veram.

Reſpondet S. Auguſtinus lib.13. contra Fauſtum cap. 15. hoc quidem valere ad eorum vanitatem revincendam, & veritatem religionis Chriſtianæ confirmandam, *cùm illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos Idola, & Dæmonia colenda partim docere, auſi ſunt, partim probibere, auſi non ſunt*: non tamen valere ad eorum Religionem approbandam, ſicut ad Religionem Hebræorum approbandam valent: apud Hebræos enim repudiato, ac damnato Idolorum, ac Dæmoniorum cultu *unus colebatur Deus, qui fecit cælum, & terram, prophetico ſanè ritu, hoc eſt ſignificativo futurorum, qui ritus aboliretur, cùm illa veniſſent, quæ per eum ſignificabantur eſſe ventura .... Quamobrem quantum diſtat inter prædicationem Angelorum, & confeſſionem Dæmoniorum, tantum inter autboritatem prophetarum, & curioſitatem ſacrilegorum.*

III. Hinc cùm eodem ſancto Auguſtino aliud conficitur argumentum pro veritate religionis Hebræorum, ex quo ille, quem colebant Hebræi, erat verus Deus, ſic: Nullus ex vatibus Paganorum contra Deum Hebræorum auſus eſt loqui, ſed alii Deum Iſrael putabant eſſe Jovem, alii Saturnum &c. Contra ve-

verò Deos Paganorum Deus Iſrael per prophetas ſuos multa prænunciavit, quæ Gentiles ipſi viderunt completa, nempè everſionem Idolorum, & doluerunt; ergo ſignum eſt, Deum authorem religionis Hebræorum fuiſſe verum Deum. *Ipſi omnino* (ait S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſt. cap. 20.) *ipſi urgendi ſunt, ut proferant à vatibus Deorum ſuorum contra Deum Hebræorum aliquid prophetatum: ſicut nos tot, & tanta de libris prophetarum noſtrorum contra Deos eorum, & juſſa obſervamus, & prædicta recitamus, & facta monſtramus.* Cùm ergò Deus, qui tot mala comminatus eſt Idolis, & eorum cultoribus, iis, qui religionem Judaicam profitebantur, & ejus mandata obſervabant, multa promiſerit bona, & maximè ex ipſis proditurum Chriſtum, ut de facto prodiit; dicendum, religionem illam fuiſſe ſuo tempore bonam, ac veram.

§. II.

Solvuntur oppoſita.

IV. Dices: ſi Religio Hebræorum fuit bona, & à vero Deo, cur non ſemper duravit; cùm Eccleſiaſtis 3. 14. ſcriptum ſit: *Didici, quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in perpetuum?* Si omnia, quæ facit Deus bona ſunt, cur Religio Judaica fuit reprobata, dicente Paulo Hebr. 7. 18. *Reprobatio fit præcedentis mandati &c.*

V. Reſpondeo cùm S. Thoma 1. 2. q. 98. a. 2. ad 2. *quòd opera Dei perſeverant in æternum, quæ ſic Deus fecit, ut in æternum perſeverent, & hæc ſunt ea, quæ ſunt perfecta. Lex autem vetus reprobatur tempore perfectionis gratiæ, non tanquam mala, ſed tanquam infirma, & inutilis pro iſto tempore.* Undè cùm dixiſſet: *Reprobatio fit præcedentis mandati*: ſubdit: *Propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

VI. Sed inſtas: ſi Religio Judaica non fuit perfecta: ergò non fuit à Deo, quia Deuteron. 32. 4. *Dei perfecta ſunt opera.*

Reſpondet D. Thom. citatus ad primum, *quòd nihil prohibet, aliquid non eſſe perfectum ſimpliciter, quod tamen eſt perfectum ſecundum tempus; ſicut dicitur aliquis puer perfectus, non ſimpliciter, ſed ſecundum temporis conditionem: ita etiam præcepta, quæ pueris dantur, ſunt quidem perfecta ſecundum conditionem eorum, quibus dantur, etſi non ſint perfecta ſimplicitèr. Et talia fuerunt præcepta legis: unde Apoſtolus dicit ad Galatas 3. 24. Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto.*

Hoc autem explicaverat S. D. q. citat. a.1. ubi ait: *Dicendum, quòd abſque omni dubio lex vetus bona fuit; ſicut enim doctrina oſtenditur eſſe vera ex hoc, quòd conſonat rationi, ita etiam lex aliqua oſtenditur eſſe bona ex hoc, quod conſonat rationi rectæ. Lex autem vetus rationi conſonabat, quia concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi adverſatur, ut patet in illo mandato: Non concupiſces rem proximi tui, quod ponitur Exod.20.17. Ipſa etiam omnia peccata probibebat, quæ ſunt contra rationem. Unde manifeſtum eſt, quod bona erat: & bæc eſt ratio Apoſtoli Rom.7.22. Condelector, inquit, legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Et iterum: *Conſentio legi, quoniam bona eſt.*

Sed notandum eſt, quod bonum diverſos gradus babet ... eſt enim aliquod bonum perfectum, & aliquod bonum imperfectum. Perfecta quidem bonitas eſt in his, quæ ad finem ordinantur, quando aliquid eſt tale, quod per ſe eſt ſufficiens inducere ad finem. Imperfectum autem bonum eſt, quod operatur aliquid ad boc, quod perveniatur ad finem: non tamen ſufficit ad boc, quod ad finem perducat; ſicut medicina perfectè bona eſt, quæ hominem ſanat; imperfecta autem eſt, quæ hominem adjuvat, ſed tamen ſanare non poteſt.

Eſt autem ſciendum, quod eſt alius finis legis humanæ, & alius legis divinæ. Legis enim humanæ finis eſt temporalis tranquillitas civitatis: ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus, quantum ad illa mala, quæ poſſunt perturbare pacificum ſtatum civitatis. Finis autem legis divinæ eſt perducere hominem ad finem fælicitatis æternæ, qui quidem finis impeditur per quodcumque peccatum, & non ſolùm per actus exteriores, ſed etiam interiores. Et ideo illud, quod ſufficit ad perfectionem legis humanæ, ut ſcilicet peccata cohibeat, & pœnam apponat, non ſufficit ad perfectionem legis divinæ, ſed oportet, quòd hominem totaliter faciat idoneum ad participationem fælicitatis æternæ, quod quidem fieri non poteſt, niſi per gratiam Spiritus Sancti, per quam diffunditur caritas in cordibus noſtris, quæ legem adimplet. Gratia enim Dei eſt vita æterna, *ut dicitur Roman.6.23. Hanc autem gratiam lex vetus conferre non poterat, reſervabatur enim boc Chriſto Joann.1.17. Lex per Moyſem data eſt: gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt. Et inde eſt, quod lex vetus bona quidem eſt, ſed imperfecta, ſecundum illud Hebræor. 7. 19. Nibil ad perfectum adduxit lex.* Hæc D. Thomas.

VII. Quare, qui in veteri lege juſtificabantur, & ſalvabantur, id non ex pura legis veteris obſervantiâ conſequebantur, ſed ex adjuncta fide in liberatorem Chriſtum, quem illis lex tota figurabat, ac promittebat. Ideoque omni tempore juſtificatio, & ſa-

& ſalus habita fuit per Chriſtum. In lege naturæ, & Moſaica per fidem Chriſti venturi gratia dabatur, unde Abraham fide juſtificatus fuit: *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam* Geneſ.15.8. & hac fide oſtendit Paulus toto cap.11. ad Hebræos, omnes antiquos ſanctos viros, ac mulieres operatos fuiſſe, ac juſtificatos, non tamen vitæ æternæ repromiſſionem accepiſſe, niſi adveniente Chriſto, unde concludit v.39. & 46. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem; Deo pro nobis meliùs aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*. In nova autem lege per fidem Chriſti, qui jam venit, & ſalutem in medio terræ operatus eſt, juſtificamur.

VIII. Sed ulteriùs dices: Religio bona, ac vera debet habere præcepta bona; atqui talia non fuere præcepta legis Hebræorum: ergò &c. Mi. probatur 1. dicitur Ezechiel 20. v. 25. *Dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*. Secundò lex vetus fuit potiùs mortifera, & nociva, dicente Paulo Rom.7. v.8. *Sine lege peccatum mortuum erat, ego autem vivebam ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum revixit, ego autem mortuus ſum*, & Rom.5. v.20. *Lex ſubintravit, ut abundaret delictum*. Tertiò quomodo erat bona lex vetus, ſi erat jugum importabile, ut ait Petrus act.15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?*

IX. Reſpondetur cùm D.Thom. loco citato a.1. ad primum, ibi ſermonem eſſe *de præceptis cæremonialibus legis veteris, quæ dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines à peccato mundarentur, cùm tamen per illa ſe peccatores oſtenderent; unde ſignanter additur: & judicia, in quibus non vivent, ideſt per quæ vitam gratiæ obtinere non poſſunt*. Vel dici poteſt, Deum tunc locutum Judæis, propter eorum peccata diſperſis in gentibus, *quibus dedit præcepta non bona, hoc eſt dimiſit eos cogitationibus, ac deſideriis ſuis, ut facerent, quæ non conveniunt*. Vel præcepta non bona, *ut ſcilicet Dei præcepta bona vitio ſuo non bona facerent, dum Idolis exhiberent, quæ Deus ſibi præceperat exhibenda*: ita S. Hieronymus in cap.20. Ezechiel. varias explicationes ſupra præfatum textum adſignans.

X. Ad ſecundum reſpondetur cùm S. D. cit. ad 2. quod lex dicta fuit mortifera, non effectivè, quaſi illa per ſe dederit mortem, ſed occaſionalitèr, quia cùm non daret gratiam, per quam *homines implere poſſent, quod mandabat, vel vitare, quod vetabat*, indè homines occaſionem ſumſerunt peccandi, unde *occaſio iſta non erat data, ſed ſumta ab hominibus: unde & Apoſtolus ibid.*

ibid. dicit: Occaſione accepta peccatum per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit. Ex hac etiam ratione dicitur, quod lex ſubintravit, ut abundaret delictum, ut ly ut teneatur conſecutivè, non cauſalitèr; in quantum ſcilicèt homines accipientes occaſionem à lege, abundantiùs peccaverunt: tum quia gravius fuit peccatum poſt legis prohibitionem: tum etiam quia concupiſcentia crevit. Magis enim concupiſcimus, quod nobis prohibetur.

XI. At dices, ſi lex vetus fuit occaſio peccati, cur data fuit à Deo? Ad ſapientem enim legiſlatorem pertinet, non ſolùm auferre mala, ſed etiam occaſiones malorum. Ulteriùs ſi lex illa non dabat gratiam, unde poſſent homines implere, quod mandabat, erat homini impoſſibile eam obſervare, ergò erat occaſio peccati, non accepta per hominem, ſed data à Deo.

XII. Reſpondetur cùm eodem S. Thoma loco laudato art.2. ad 3. quòd *ſicut... Deus aliquando permittit, aliquos cadere in peccatum, ut exindè humilientur: ita etiam voluit talem legem dare, quam ſuis viribus homines implere non poſſent; ut ſic dum homines præſumentes de ſe peccatores ſe invenirent, humiliati recurrerent ad auxilium gratiæ.* Hinc licèt lex vetus nec daret per ſe ipſam gratiam &c., nec ſufficeret ad ſalutem, *tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cùm lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres, ſicut etiam nos juſtificamur, & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.* Ita D. Thom. ibi ad 4. unde D. Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap.19. *Lex ergò data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleretur.* Neque enim vitio ſuo *nom implebatur lex, ſed vitio prudentiæ carnis, quòd vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.*

Eodem modo reſpondeo ad tertium cùm eodem S.Tho. ar.1. ad 3., quòd *jugum legis ſervari non poterat ſine gratia adjuvante, quam lex non dabat: dicitur enim Rom.9. Non eſt volentis, neque currentis, ſcilicet velle, & currere in præceptis Dei, ſed miſerentis Dei. Unde in pſalm. 118. dicitur: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum, ſcilicet per donum gratiæ, & caritatis.*

* * * * * *

§.III.

Digitized by Google

§. III.

Num omnes homines tenerentur ſervare legem veterem.

XIII. Reſpondet S. Thomas 1.2. q.98. art.5. *Quod lex vetus manifeſtabat præcepta legis naturæ, & ſuperaddebat quædam præcepta propria. Quantùm igitur ad illa, quæ lex vetus continebat de lege naturæ, omnes tenebantur ad obſervantiam veteris legis, non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ:* ad hanc enim omnes homines teneri, oſtendit S. Thom. 1.2. q.94. art.4. *Sed quantùm ad illa, quæ lex vetus ſuperaddebat, non tenebantur aliqui ad obſervantiam veteris legis, niſi ſolus populus Judæorum. Cujus ratio eſt, quia lex vetus data fuit populo Judæorum, ut quandam prærogativam ſanctitatis obtineret ob reverentiam Chriſti, qui ex illo populo naſciturus erat. Quæcumque autem ſtatuuntur ad ſpecialem aliquorum ſanctificationem, non obligant niſi illos: ſicut ad quædam obligantur Clerici, qui mancipantur divino miniſterio, ad quæ Laici non obligantur: ſimiliter & Religioſi ad quædam perfectionis opera obligantur ex ſua profeſſione, ad quæ ſeculares non obligantur, & ſimiliter ad quædam ſpecialia obligabatur populus ille, ad quæ alii populi non obligabantur: unde dicitur Deuteron.* 18. Perfectus eris, & abſque macula coram Domino Deo tuo. *Et propter hoc etiam quadam profeſſione utebantur, ut patet Deuteron. 26.* Profiteor hodie coram Domino Deo tuo. Hæc D. Thomas.

XIV. Hinc aliæ gentes ſalvari poterant abſque legis veteris obſervantia quantùm ad ea, quæ legi naturæ ſuperaddebat, dummodo obſervarent legem naturæ, & fidem in Chriſtum profiterentur: factam enim aliquibus Gentilibus revelationem de Chriſto, patet per ea, quæ prædixerunt; nam Job, qui Gentilis erat, cap. 19. dicit: *Scio, quod Redemptor meus vivit*: Sibylla etiam prænunciavit quædam de Chriſto, ut Auguſtinus dicit *lib. 13. contra Fauſtum cap. 15.* Invenitur etiam in hiſtoriis Romanorum (apud Baron. ad ann. 780.) quòd tempore Conſtantini Auguſti, & Irene matris ejus inventum fuit quoddam ſepulchrum, in quo jacebat homo auream laminam habens in pectore, in qua ſcriptum erat: *Chriſtus naſcetur ex Virgine, & ego credo in eum. O ſol, ſub Irene, & Conſtantini temporibus iterum me videbis.* Si qui tamen ſalvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris: quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum

dum modos ſibi placitos, & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus revelaſſet. Hæc D. Thom. 2. 2. *q.2. art.7. ad 3.*

XV. Neque hinc deducas, deterioris conditionis fuiſſe Judæos Gentilibus, quia hi ſalvari poterant abſque onere legis; illi autem jugum importabile legis Moſaicæ ferre debebant, ſi ſalutem conſequi optabant. Non inquam; nam hinc ſolum ſequitur, populum Judaicum, quò majoribus obligationibus adſtrictum, fuiſſe Deo magis conjunctum: homo autem quantò magis Deo conjungitur, tantò efficitur melioris conditionis, & ideo quantò populus Judaicus erat adſtrictus magis ad divinum cultum, dignior aliis populis erat. Unde dicitur Deuter. 4. *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem?* Et ſimiliter etiam quantùm ad hoc ſunt melioris conditionis Clerici, quàm Laici; & Religioſi, quàm ſeculares. Ita S. Thom. 1.2. *q.98. art.5. ad 2.*

XVI. Gentiles autem etſi abſque obſervantia Moſaicæ legis cùm fide in Chriſtum ſive explicita, ſive implicita ſalvari poſſent, ut dictum eſt, tranſire tamen poterant ad legem Judaicam, & admittebantur, ut patet Exodi 12. & ſic perfectiùs atque ſecuriùs ſalutem conſequebantur ſub obſervantiis legis, quàm ſub ſola lege naturali: ſicut etiam nunc Laici tranſeunt ad Clericatum, & ſeculares ad Religionem, quamvis abſque hoc poſſint ſalvari. Hæc ex D. Thom.1.2. *q.98. art.5. ad 3.*

XVII. Ex hactenùs dictis apparet ratio, cur lex Moſaica data fuerit ſoli populo Judaico, quem ſolum obligabat, lex autem, & religio Chriſtiana data fuerit omnibus hominibus, & & omnes obliget. Religio enim, ac lex Moſaica data fuit, non ut per ejus obſervantiam interiùs ſanctificaretur homo, & ad ſalutem æternam perveniret, hanc enim promittebat quidem, ſed ſe ſolâ non dabat. Lata ergò fuit ad teſtificandum, populum illum, cui ferebatur, eſſe illum, cui factæ fuerant promiſſiones de Meſſia venturo, & ad eum ab aliis gentibus diſtinguendum: ideoque lata fuit ſoli populo Judaico, deſcendente ab Abraham, cui facta fuerat promiſſio, ut nimirùm *compleret Verbum ſuum Dominus, quòd ſub juramento pollicitus eſt Patribus tuis Abraham, Iſaac, & Jacob,* ut legitur Deuter.*9.5.* Quæ autem promiſſio eis ſit facta, oſtendit Apoſtolus ad Gal.*3.* v.*16.* dicens: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus: non dicit ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Deus igitur & legem (concludit D. Thomas citatus art.4. quæſt. 98.) & alia beneficia ſpecialia illi populo exhibuit propter promiſſio-

ſionem eorum Patribus factam, ut ex eis Chriſtus naſceretur.

XVIII. At religio Chriſtiana, ſeu lex Evangelii lata eſt hominibus ad ſalutem æternam conſequendam, importat enim pro fundamento fidem in Chriſtum, ſine qua nullus poteſt, aut unquam potuit ſalvari, dicente D. Petro act.4. 12. *Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: & ideo omnes homines obligat, qui ſalvari volunt, ad eam amplectendam; idcircò Chriſtus Apoſtolos ſuos ad Evangelium promulgandum mittens: *Euntes ergò* (inquit Matth.28. 19.) *docete omnes gentes*. Et Marci 16. 15.16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, & hoc omni tempore, etiam in lege naturæ, ac moſaica ita neceſſarium fuit, ut nullus unquam ſine hac fide ſaltem implicita, nec ex Judæis, nec ex Gentibus ſalvatus fuerit.

XIX. Hinc infertur, religionem Chriſtianam cœpiſſe ab initio mundi, ſemperque fuiſſe eandem fidem, licèt pro circumſtantia temporum homines eam ſub diverſis ſignis, cæremoniis, ſacrificiis, ac legibus profeſſi fuerint, ac proteſtati; propterea S. Auguſtinus Ep. nunc 102. olim 49. ad Deogratias q.2. quæ eſt de tempore religionis Chriſtianæ, ait: *Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & ſecundum ejus præcepta piè & juſtè vixerunt, quandòlibet, & ubilibet fuerint, per eum procul dubio ſalvi facti ſunt*. Sicut *enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit*: Sic *credebant in eum antiqui & apud Patrem manentem, & in carne venturum; nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur, quod tunc futurum prænunciabatur, ideo fides ipſa variata, vel ſalus ipſa diverſa eſt. Nec quia una, eademque res* aliis, atque aliis ſacris, ac *Sacramentis, vel prædicatur, aut prophetatur, ideo alias, atque alias res, vel alias, atque alias ſalutes oportet intelligi.... Proindè aliis tunc nominibus, & ſignis, aliis autem nunc, & priùs occultiùs, poſteà manifeſtiùs, & priùs à paucioribus, poſtea à pluribus, una tamen, eademque religio vera ſignificatur, & obſervatur*. Et ibidem q.3. *Mutatio quippè non Dei, non ipſius religionis, ſed ſacrificiorum, & ſacramentorum impudenter nunc videretur prædicata, niſi fuiſſet ante prædicta. Quemadmodum enim unus, idemque homo, ſi mane Deo aliud offerat, aliud veſpere pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, nec religionem, ſicut nec ſalutem, qui alio modo mane, alio veſpere ſalutat: ita in univerſo tractu ſeculorum, cum*

Digitized by Google

aliud oblatum eſt ab antiquis Sanctis, aliud ab eis, qui nunc ſunt, offertur, non humana præſumtione, ſed auctoritate divina, temporibus congrua ſacra myſteria celebrantur, non Deus, aut religio commutatur. Hæc Auguſtinus, quibus adeo apertis nihil addendum cenſeo.

CAPUT VIII.

Religio Judæorum deſiit eſſe vera religio.

UT hoc evincatur, priùs probari debet, eum, quem Judæi ſperabant venturum, i. Meſſiam, jam veniſſe, & hunc fuiſſe Jeſum Nazarenum, hoc enim poſito religio Judaica, ſicut eorum fides concluditur falſa, quia credit eſſe venturum eum, qui non ampliùs venturus eſt, ſed jam venit, & proindè omnia eorum ſacra, cæremonias, quæ erant inſtituta ad figurandum id, quod fiendum erat, jam à ſua vera ſignificatione deciſiſſe, cùm jam factum ſit. Id ergò, quod ſummâ perfidiâ negant Judæi, ipſis per ſequentes paragraphos oſtendendum erit.

§. I.

Meſſias venit ex Danielis cap. 9.

I. DAniel ergò (cui ſummæ pietatis teſtimonium Ezechiel perhibuit cap. 14. 14. & cap. 28. 3. Imo & Joſephus lib. 10. antiq. Judaic. in fine) neque nos decipere voluit, neque ab Angelo Gabriele deceptus eſt. Is autem dictante Angelo cap. 9. conſcriptum reliquit, poſt promulgatum edictum de inſtauranda urbe Hieroſolymorum non elapſuros annos quingentos, quin adeſſet Meſsìas. Atqui in hunc diem elapſi ſunt ab illo tempore pluſquam bis mille anni: nec adeſt is, quem Judæi expectant; nec alium quemquam nominare poſſunt, in quem id tempus quadret: ergò &c. Ut probetur maj. ſtatuenda ſunt verba oraculi. Oraverat Daniel Dominum cap. 9., ut reſpiciens averteret mala, ac deſolationem, quam ſuper populum peccata induxerant. Cùmque adhuc loqueretur, oraret, & confiteretur peccata ſua, & peccata populi ſui Iſrael, narrat, id ei accidiſſe: *Et ecce* (inquit) *vir Gabriel, quem videram in viſione à principio . . . & docuit me, & locutus eſt mibi, dixitque: Daniel nunc egreſſus ſum, ut docerem te, & intelligeres . . . Tu ergò animadverte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta Hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum*

pulum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergò, & animadverte. Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Hieruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temperam. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et Civitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cùm Duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & in Templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio.

II. Hujuſce intricatiſſimi Oraculi, qui veteres, & recentiores torſit interpretes, eoſque in varias interpretationes diſtraxit, pro viribus literam explico. *Ab exitu ſermonis* &c. ideſt à tempore, quo exiturum erat edictum de reædificanda Hieroſolyma, uſque ad Chriſti mortem, effluxuræ ſunt hebdomades 70., & in medio hebdomadis ſeptuageſimæ occidendus erit Chriſtus, qui negabitur à populo Judæorum, cùm debuiſſet illum recipere. Et propterea non erit ampliùs ejus populus. Ceſſabit prophetia, hoſtia, & ſacrificium; & in pœnam Populus, i. Romanus, cùm Duce venturo, i. Tito, diſſipabit Hieroſolymam, & Templum, quod vertetur in abominationem gentium, & deſolatio perſeverabit uſque in finem, i. erit perpetua.

Diſputant hìc interpretes, de quibus hebdomadibus loquatur Daniel, & à quo tempore debeat inchoari earum computus, ſive quo anno exierit edictum hoc de reædificandis Hieroſolymis.

III. Quoad primum ſciendum, hebdomades apud Hebræos regulariter fuiſſe, vel dierum, vel annorum, hebdomadâ dierum complectente ſeptem dies, prout nobis etiam in uſu eſt, hebdomadâ verò annorum complectente ſeptem annos; hebdomades enim Decenniorum, aut Jubilæorum, aut ſeculorum vix erant in uſu. Danielem ergò de hebdomadibus, non dierum, ſed annorum fuiſſe locutum, cenſent omnes interpretes Chriſtiani, & ex Rabbinis Rabbi Abarbanel. R. Aben Eſra, aliique Thalmudici interpretes. Sic Levitici 25.8. *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum*, ideſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem. Tales annorum hebdomades uſurpatæ fuerunt etiam ab aliis. Macrobius lib.1. in ſomnium

Digitized by Google

Scipionis cap.6. *Poſt ter ſeptenos annos .... Quarta annorum hebdomas*, i. quarta hominis ætas; & infra: *Sed à ſexta uſque ad ſeptimam ſeptimanam* (ab anno 42. uſque ad 49.) *fit quædam diminutio, ſed occulta &c.* Et Varro apud Aulum Gellium Noct. Atticarum lib.3.c.10. ſe duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum eſſe refert, ideſt ſe octogenarium fermè eſſe. Addo, in ſacris litteris, maximè propheticis, dies plerumque pro annis uſurpari, ſic Apocalypſis 12. 5. dicitur, mulierem fugiſſe in ſolitudinem, *ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta*, ubi dies ponuntur pro annis, & Geneſ. 29. 27. Labanus ait Jacob: *Imple hebdomadam dierum hujus*: i. annorum, ſubjicitur enim *pro qua ſerviturus es mihi ſeptem aliis annis*. Perſpicuum ergò multò magis eſt, hebdomades indefinitè pronunciatas à Daniele eſſe hebdomades annorum, quæ collectæ efficiunt numerum quadrigentorum, & nonaginta annorum.

IV. At de initio harum Hebdomadum non una omnium ſententia eſt, ſed incredibilis potiùs conflictus. Certum quidem eſt, exordium illarum ſumendum eſſe ab anno, quo exiit edictum de reparandis Hieroſolymis, verùm quia ſub variis temporibus hujuſmodi exiere ſermones, ideò alii ſumendum exordium cenſent à Cyro 1.Eſdræ cap.1., alii à Dario Hyſtaſpis filio 1. Eſdræ cap.6. ,alii ab Artaxerſe Longimano, (quòd manum longiorem alterâ haberet) vel anno ejus ſeptimo, ut legitur 1. Eſdræ cap.7., vel anno ejus vigeſimo 2. Eſdræ cap.2. S. Hieronymus jam tunc ſuo ſeculo octo recenſebat opiniones. Benedictus Pererius quindecim. Undè meritò Iſaacus Voſſius Chronolog.ſacr. ait, nullam Chronologiæ partem uſque adeò ingenia vexaſſe, quàm ea, quæ agit de annis Perſarum, ac de Danielis Hebdomadibus. Nos in Tractatu de Incarnatione q.2. §.4. eam, ut probabiliorem elegimus, quæ initium dictarum Hebdomadum affigit anno vigeſimo Artaxerſis Longimani. Hæc tamen opinionum diverſitas nullatenus lædit Oraculi præfati vim ad convincendos Judæos de adventu Meſsiæ.

V. Quare contra illos ita diſcurro. A quocumque anno, vel tempore ſumſerint exordium hebdomades illæ 70. prænunciatæ à Daniele, certum eſt Oraculum, in medio hebdomadis ſeptuageſimæ occidendum eſſe Chriſtum, ceſſaturam hoſtiam, & ſacrificium, populum cùm Duce venturo diſſipaturum Templum, in eo ponendam abominationem, duraturam uſque in finem: atqui hebdomades illæ jam diu expletæ ſunt; ſi enim ſumantur pro hebdomadibus annorum, conficiunt annos 490., ſi pro hebdomadibus dierum, dies 490., qui dies, ſivè anni certè

tè jam fluxere, cùm à tempore illius ſermonis jam bis mille anni tranſierint, ergò jam Meſsìas venit. Inſuper apud Hebræos jamdiu ceſſavit hoſtia, & ſacrificium, populus ille non eſt ampliùs populus Dei, dirutum Templum eſt, ac deſolatio adhuc perſeverat. Quid ergò magis deſideratur, ut Oraculum illud dicatur impletum? Videatur D. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum cap. 44. ex hoc Vaticinio cæcitatem Judaicam perſtringens.

VI. Damnanda propterea eſt audacia, ne dicam temeritas Joannis Marshami, & Harduini, qui tam inſigne pro Chriſto Vaticinium Chriſtianis conantur penitùs eripere, dicentes 70. Danielis hebdomades longè ante Chriſti adventum fuiſſe impletas in Antiocho Epiphane, à quo Hieroſolymitanum Templum pollutum eſt.

Qui tamen multis modis redarguuntur, primo: hoc aſſerunt contra omnes SS. Patres, qui hoc vaticinio ſemper uſi ſunt ad probandum contra Hebræos Chriſti Meſsìæ adventum, quare Theodoretus in ſuorum Commentar. præfat. ait: *Multò apertius, quàm alii omnes magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti* (Daniel) *prædixit* adventum, *neque ſolùm ea, quæ facturus eſſet, ante commemoravit; ſed etiam tempus præſignificavit, numerumque adſcripſit annorum, qui uſque ad illius adventum interceſſerunt*. Imò id aſſerunt ex Rabbinis magiſter hebræus Nehumias (teſte Grotio lib. 5. de verit. Relig. Chriſt. §. 14.), qui annis quinquaginta Chriſtum præceſſit, apertè enim tum dixit, non poſſe ultra eos quinquaginta annos protrahi tempus Meſsìæ ab Daniele ſignificatum. Et Rabbi Joſue (teſte Joanne Clerico in Grot. ibi), qui excidium Templi vidit, Meſsìæ tempus adveniſſe dicebat, ut teſtatur Rabbi Jacob in Caphthot.

VII. Secundò hujuſmodi excogitatio arguit falſitatis Chriſtum ipſum, qui Matth. 24. loquitur de abominatione deſolationis in Templo, prædicta a Daniele Propheta in hoc vaticinio, tanquam de re futura, dicens Judæis: *Cùm ergò videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto; qui legit intelligat*: Quibus apertè Chriſtus oſtendit, abominationem deſolationis à Daniele prænunciatam, nedum factam, ſed propediem executioni mandandam; nimirum tempore Titi Imperatoris, qui Hieroſolymam, & Templum vaſtavit.

VIII. Tertiò: deſolatio, qualiter à Daniele deſcribitur, non poteſt trahi ad tempora Antiochi Epiphanis. Primo quia illa prædicta fuit duratura uſque ad conſummationem, & finem, vi-

Digitized by Google

videlicet ſeculorum. Antiochinæ autem deſolationis abominatio, ut legitur 1. Machab. cap.4., tribus dumtaxat annis duravit, nam Judas Machabæus triennio poſt Templum repurgavit, Judæi altare erexerunt, interiores Templi partes repararunt, ſacrificia obtulere. Antiochus igitur Epiphanes non poſuit finem Hieroſolymis, non Templo, non hoſtiis, ac ſacrificio, ut prædixerat Daniel, ſed ordinem interrupit, deindè reſtitutum. Secundo: tempori Antiochi Epiphanis non conſentiunt hebdomades Danielis, nam vel ſumuntur pro hebdomadibus dierum, & ſic cùm 70. hebdomades dierum conficiant dies 490., clapſæ eſſent multó antè tempora Antiochi; vel ſumuntur pro hebdomadibus annorum, & ſic dictæ 70. hebdomades tempore Antiochi non poterant eſſe completæ, cùm conficiant annos 490., ab initio autem dictarum hebdomadum, undecumque ſumatur, uſque ad Antiochi Epiphanis ætatem effluxere anni ad ſummum 364. ſecundum Spondani, & 367. ſecundum Uſſerii Chronologiam.

IX. Daniel in hoc vaticinio claris notis indicat Chriſtum, quem juſtitiam ſempiternam appellat, unctum Sanctum Sanctorum, qui in medio hebdomadis 70. occidetur, poſt quem finem accipiet peccatum, omnes figuræ complebuntur, & populus, qui eum negaturus eſt, non erit ampliùs populus Dei, ſed reprobabitur. Nil autem horum ſub Antiocho Epiphane contigiſſe, nemo non videt.

X. Prædixerat quidem Daniel etiam perſecutionem, & Templi prophanationem faciendam ab Antiocho, ſed hoc præſtitit non illo capite 9., undè ſumtum eſt Oraculum noſtrum; ſed capite 8. & 11., ut Sanctus Hieronymus in Commentariis advertit. Et hinc fortè æquivocatio Marſhami, & Harduini originem, ſeu occaſionem nacta eſt.

XI. Non minori etiam cenſurâ notandus eſt aliquorum veterum error, qui teſte S. Auguſtino Epiſt.199. aliàs 80. ad Heſychium autumarunt, Danieliticam de 70. Hebdomadibus prophetiam complendam eſſe non in primo, ſed in ſecundo adventu. Qui error, ut ait S. Doctor, adverſatur expoſitoribus eloquiorum divinorum, qui hanc prophetiam eſſe completam demonſtrant, non ſola computatione temporum, ſed rebus etiam ipſis. Neque enim in fine ſeculi ungendus, aut occidendus eſt Chriſtus, deindè cùm deſolatio, quæ prædicitur, ſit duratura uſque ad conſummationem, & finem, clarum eſt, eam fuiſſe peragendam ante finem ſeculorum.

XII. Stupenda tamen Judæorum recentiorum cæcitas, ac per-

pertinacia hujus Oraculi veritatem tentat eludere. Dicit, Chriſtum Ducem fuiſſe Cyrum, aut Jeſum Joſedech Sacerdotem; aut Zorobabelem, vel Agrippam Juniorem. Nec enim ſemper nomine Chriſti venit Meſsias. Cyrus Iſaiæ 45. 1. *Chriſtus* appellatur: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes*. Et alii *Chriſti* vocantur pſalm. 104. 15. *Nolite tangere Chriſtos meos &c.*

XIII. Reſpondetur tamen, nullum ex iis indicari poſſe Oraculo Danielis nomine Chriſti. Tùm quia Chriſtus non vocatur in Scripturis, qui unctus non fuerit, vel corporali oleo, quo Reges & Sacerdotes ungebantur, ut Aaron, & Saul, aut ſpirituali, nimirùm Spiritu Sancto, quo ungebantur Prophetæ. Corporali autem oleo deſiere ungi Reges, ac Sacerdotes, qui poſt ſolutam captivitatem Judæis præfuere. Ita contra Judæos Raymundus Martini in Pugione fidei, p. 2. c. 3. §. 29. qui ex libro Sanhedrin, vel potiùs Macot Hieroſolymitano, & ex Midraſum, i. gloſſa cantici, oſtendit, quinque rebus Sanctuarium ultimum fuiſſe à primo diminutum, nimirùm Igne, Arca, Urim, & Tummim, i. rationali judicii, oleo unctionis, & Spiritu Sancto. Tum etiam quia Chriſtus à Daniele prænunciatus erat Sanctus Sanctorum, occidendus, aliaſque habiturus conditiones, quas non habuere ſupracitati.

XIV. Quod autem Cyrus appelletur Chriſtus ab Eſaia, hoc ideò eſt, quia ibi Propheta ſumſit Cyrum tanquam typum Meſsiæ, quia Cyrus fuit à Deo electus, ut liberaret populum à captivitate, in quo Meſsiæ typus fuit, à quo humanum genus liberandum erat à captivitate Dæmonis; quare illo in loco Eſaias à Cyro Chriſto typico ad verum Chriſtum, i. Meſsiam, aſſurgens in has voces erumpit: *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant Juſtum.* &c. Quare laudatus Martini §. 30. ait, *Deum non hic quidem* Cyrum, *ſed verum Meſſiam fuiſſe allocutum, prout dicitur in Talmud in libro Megilla diſtinctione, quæ incipit Megilla Nikrath. Quid eſt, quod ſcriptum eſt Eſai. 45. v. 1. Hoc dixit Dominus Meſsiæ ſuo* &c. Nunquid Cyrus *Meſsias eſt? Sed Deus ſanctus & benedictus dicit Meſsiæ: opponens ego te Cyro, quem fortificavi in dextera ſua*. &c. R. Salomon *quoque hunc locum Iſaiæ exponendo ait: Magiſtri noſtri dixerunt: dixit Deus Regi Meſsiæ: opponens ego te Cyro, ſicut eſt in libro Megilla, & Rabbi Abraham Aben Ezra: Opinio ejus, qui dixit, quòd Cyrus eſt Meſsias Domini, non eſt congrua*. Ita Judæorum antiqui.

Quod autem dicitur in pſalm. 104. nolite tangere unctos meos, ſeu Chriſtos meos. Uncti ſeu Chriſti ii ſunt Abraham, Iſaac,

Iſaac, & Jacob. Ita R. Barachias in Medraſch; hos autem unctos fuiſſe oleo ſpirituali, ideſt ſpiritu prophetali, nemo inficiatur; quare ſubdit ſtatim Pſalmiſta: *Et in Prophetis meis nolite malignari*; undè David Kimhi ſuper hæc verba: *Primi enim* (inquit) *Patres dono prophetiæ fuerunt inſigniti, & Deus eos in viſione prophetica, aut in ſomnis alloquebatur: hinc de Abrahamo, ita ipſe Deus loquitur Abimelecho: Nunc ergò redde uxorem viro, quia propheta eſt.* Plures infelicium Judæorum inſaniæ ad eludendam hujus oraculi vim poſſunt videri apud præfatum Martinum.

§. II.

Ex Danielis cap. 2.

XV. Notiſſimum eſt Danielis Vaticinium ex cap. 2. pro Meſsia; quod tria continet; primum Nabuchodonoſoris ſomnium de ſtatua illa celebri, cujus *caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ærea, Tibiæ ferreæ, pedum autem quædam pars ferrea, quædam fictilis, quæ cùm Rex in ſomnis videret, abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos, tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta, æs, argentum, & aurum, & redacta ſunt quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento, nullusque locus inventus eſt eis; lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Hoc legitur Daniel. 2. v. 32. 33. 34. 35.

XVI. Secundum eſt Danielis interpretatio ſomnii à verſu 36. nimirùm ſtatuam illam deſignare quatuor imperia ſibi invicem ſucceſſura. In capite aureo ſtatuæ Imperium Chaldæorum; dictum aureum, & pretioſius, quia magis diſtans à luto pedum: in pectore, & brachiis argenteis regnum Medorum, ac Perſarum, quod Babylonico ſucceſſit; dictum argenteum, quia minus priore, & majus ſequente; figuratum autem in brachiis, quia duo amplexurum erat imperia Medorum, ac Perſarum: in ventre, & femoribus æreis tertium regnum Macedonum in Alexandro, & ſucceſſoribus ejus; quod *rectè æneum dicitur* (ait S. Hieronymus hic) *inter omnia enim metalla æs vocalius eſt, & tinnit clariùs, & ſonitus ejus longè, latèque diffunditur, ut non ſolùm famam, & potentiam regni* (in Alexandro nimirùm toto orbe diffuſam) *ſed & eloquentiam Græci ſermonis oſtenderet.* Ferrum autem (in tibiis, & pedibus) quod omnia domat, eſt regnum quartum, quod pertinet ad Romanos, quia omnia vicerunt,

runt, ac domarunt: ſed pedes ejus ex parte ferrei ex parte fictiles indicant hoc regno in principio nihil futurum fortius, in fine autem nihil imbecillius propter civilia bella.

XVII. Tertium eſt hujus ſtatuæ ruina, quia lapide ſine manibus abſciſſo de Monte, & percutiente ſtatuam in pedibus ferreis, & fictilibus, omnia contrita ſunt, teſta, ferrum, æs, argentum, aurum, nullusque locus inventus eſt eis. Hoc enim indicat, poſt quatuor illa Imperia quintum ſucceſſurum, quod omnia illa regna comminuit, undè ſubdit Daniel v. 44. *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.*

XVIII. Oraculum hoc quoad quatuor priora Imperia certum, ac apertum eſt; conſtat enim Imperium Chaldeorum tranſiiſſe ad Medos, ac Perſas; Imperium Medorum, ac Perſarum ad Macedonas; Imperium autem Macedonum ad Romanos, qui non ſibi ipſis adhærentes, *ſicut ferrum miſceri non poteſt teſtæ* (ut ait Daniel v.43.) jam extincti ſunt. Videndum modo ſupereſt; quinam ſit iſte lapis abſciſſus de monte ſine manibus, qui ſtatuam in pedibus fictilibus percutiens, omnia ea Imperia comminuerit, & quale ſit hoc quintum Imperium iis quatuor ſuccedens, quod alteri regno non tradetur, ſed ſtabit in æternum.

XIX. Lapidem illum fuiſſe typum Chriſti veri Meſsiæ, docet S. Hieronymus in cap.2. Danielis dicens: *In fine autem horum omnium regnorum, auri, argenti, æris, & ferri, abſciſſus eſt lapis Dominus, atque Salvator ſine manibus, ideſt abſque coitu, & humano ſemine de utero virginali, & contritis omnibus regnis factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram.* Lapidem iſtum figuraſſe Meſsiam, habetur ex Bereſchit Rabba (referente Martino ſupra laudato 2.p. cap.5. §.2.) ubi ſuper illud: *Et egreſſus eſt Jacob de Beerſeba* dicitur *Poſtquam Rex Meſsias vindicaverit ſe de Eſau, ipſe fiet Rex magnus: & hoc eſt, quod ſcriptum eſt Dan.2. v.35. Et lapis, qui percuſſit imaginem, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram. Et quid eſt, quod dicitur mons magnus? ſicut ſcriptum eſt Zachariæ 4. Et quis tu mons magne coram Zorobabel?* Lapis etiam offenſionis dicitur in libro *Sanhedrin* capite, quod incipit *Echad*: ubi Gloſſa Rabbi Salomonis ait: *Et erit Salvator Iſrael ad præparationem, & ad lapidem offenſionis: offendet enim pedes ſtatuæ, ferrum ſcilicet, & teſtam*: ita ex Martino ſupra citato §. 2. Lapis tandem, *quem reprobaverunt ædificantes, qui factus eſt in caput anguli* (pſ. 117. 22.) quo teſtimonio uſus

eſt Chriſtus Matth. 21.42. ſubjungens Judæis : *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.*

XX. Regnum inſuper, quod omnia alia regna conteret, & ſtabit in æternum, quod occupabit univerſam terram, eſſe regnum Meſsiæ, ſeu Eccleſiam Chriſti, non minus apertum eſt; quia Chriſto adveniente Romanum Imperium cœpit deliquia pati, donec tandem evanuit. Hoc autem æternum fore, ait Gabriel Lucæ 1. 31. *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Impleturum autem univerſam terram prædixit Chriſtus, dum mittens diſcipulos ſuos ad evulgandum Evangelium ſuum, ait Matth.28. 18. 19. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra: euntes ergò docete omnes gentes:* Et Marci 16. 15. *Euntes in univerſum Mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Obſervat tamen Theodoretus, dictum Danielis Vaticinium in primo Chriſti adventu impleri cœptum, ſed in ſecundo ex omni parte implendum. Naſcente enim Chriſto everſum non fuit, imò magis floruit Romanum Imperium, quamvis parùm poſtea duraverit, ſed ſensìm decreſcere cœperit. Nec etiam ſtatim, imo neque uſque modo Chriſti regnum totam terram prorsùs occupavit, cui interpretationi conſonat Apoſtoli ſententia 1. Cor.15.24. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, cùm evacuaverit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus &c.*

XXI. Hujus Oraculi vim eleganter more ſuo expreſſit Sanctus Auguſtinus tum tractatu 4., tum 9. in Joannem hiſce verbis: *Jam verò in quinta ætate ... Daniel vidit lapidem præciſum de monte ſine manibus, & fugiſſe omnia regna terrarum, & creviſſe illum lapidem, & factum eſſe montem magnum, ita ut impleret univerſam faciem terræ. Quid apertius fratres mei? Lapis de monte præciditur: ipſe eſt lapis, quem reprobaverunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli. De quo monte præciditur, niſi de regno Judæorum, undè Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſecundum carnem natus eſt? Et præciditur ſine manibus ſine opere humano, quia ſine amplexu maritali de Virgine exortus eſt. Mons ille, undè præciſus eſt, non impleverat univerſam faciem terræ, non enim tenuerat regnum Judæorum omnes gentes. At verò regnum Chriſti univerſum orbem terrarum cernimus occupare.*

XXII. In regnis autem per illum lapidem Meſsiæ typum confractis Raymundus Martini præfatus citato loco §. 4. recognoſcit etiam regnum Judæorum; & Judæos in pedibus ſtatuæ no-

nomine teſtæ figuli dictos eſſe, oſtendit. Primo quia nomine teſtæ populum Judaicum indicari conſtat Threnor.4. ubi legitur *Filii Sion ſpecioſi, amicti auro, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli?* Item Iſaiæ 45. *Væ contradicenti fictori, ſive formatori ſuo teſta de teſtis terræ?* Et Iſaiæ 64. *Et nunc Domine pater noſter tu: nos ſumus lutum, & tu fictor noſter, & opus manus tuæ omnes nos*. Secundo quia ſicut teſta illa in pedibus ſtatuæ conglutinata erat ferro, cùm lapis abſciſſus fuit de monte, ita populus Judaicus, cùm Chriſtus venit, & regna contrivit, cùm ferro ideſt Romanis ſocietatem inierat, undè in libro Abodazara diſtinct. quæ incipit Liphne Edeben R. Dime dixit: *Triginta & duobus annis fecerunt prælium Romani contra Græcos, & non potuerunt contra eos, uſquequo aſſociaverunt ſecum Iſrael hoc modo, quod quando eſſent Reges de iſtis, eſſent comites de iſtis, & quando eſſent Reges de iſtis, ſuper Judæis ſcilicet, eſſent comites de his &c.* Hinc Judæi tempore Chriſti ſe quaſi unum populum cùm Romano arbitrabantur, undè dicenti Pilato *Regem veſtrum crucifigam?* Reſponderunt Judæi: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem*. Joannes 19.15., & Joſephus lib.4. Antiquit. Judaic. cap.17. percenſet monumenta amicitiam, & ſocietatem inter Romanos, & Judæos atteſtantia. Eodem ergo ictu, quo lapis Meſsias contrivit in pedibus ſtatuæ ferrum, ſcilicet Romanum Imperium, comminuit etiam teſtam illi conglutinatam, i. populum Judæorum. Certum eſt, Romanum Imperium jamdiù eſſe confractum, cur ergò non erit comminutum regnum Judæorum? Sed de regni Judaici ruina dicemus in ſequentibus.

§. III.

De Oraculo Jacobæo Gen. cap.49.

XXIII. Alterum invictum pro Meſsiæ adventu contra Judæos ſumitur argumentum ex celebri Jacobi Patriarchæ Oraculo, qui benedicens filiis ſuis Geneſ.49. ad Judam deveniens, ait: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*. Ita in Vulgatis. Vel ut in Hebræis codicibus: *Non recedet ſceptrum de Juda, vel virga, vel legum lator de medio pedum ejus, donec veniat Siloh, & ei obedientia populorum, vel nationum, ideſt gentium*. Cui conſentit Targum Chaldaicum Onkelos, i. translatio à quodam proſelyto ſapiente, nomine Onkelos, ſive Encalos longè ante adventum Salvatoris facta,

inter Judæos tantæ auctoritatis, ut à nullo eorum præſumatur contradici, dicit enim: *Non præteribit factum, ſive actio poteſtatis, vel dominii regii à domo Juda, & Scriba de filiis filiorum ejus in ſeculum, uſquequò veniat Meſsias, & ad eum obedient, vel congregabunt ſe populi, vel gentium nationes*. Ita ex Raymundo Martini laudato. 2.p. cap.4. §.2.

XXIV. Diſſident hìc Interpretes, tum in exponendo, quid veniat nomine *Sceptri*, ac *Ducis*, nimirùm, an quicumque Principatus, an ſolus regalis: tum etiam quid intelligendum ſit nomine *Judæ*, an ſola Tribus Juda, an verò tota gens Judaica. Pro primo ſciendum, non eandem quovis tempore fuiſſe apud Hebræos formam regiminis. Etenim eo primo tempore, quo Reipublicæ Hebraicæ jacta ſunt fundamenta, Deus ipſe fuit ejus immediatus Princeps, ita ut ſtatus ejus eſſet Theocratia. Sicut enim Democraticum dicimus regimen, quod eſt penes plebem, Ariſtocratiam ubi præſunt Optimates, ſeu Nobiles, ita cùm Hebræorum præſes ſolus Deus eſſet, modus, quo res eorum adminiſtrabatur, Theocratia erat. Hinc dum Iſrael in deſerto peregrinatus eſt, Deus in Tabernaculo, tanquam ſummus Imperator in Prætorio, ſuper Arcam tanquam ſuper Thronum jus populo dicebat, non movebat caſtra populus, niſi per Nubem interdiu ſuper tabernaculum apparentem, & per igneam Columnam noctu coruſcantem, Deus ſignum dediſſet Num. 9. 13. *Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiſcebantur, erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moyſi*.

XXV. Attamen quamquam iſta Reſpublica nullum alium Principem, quam Deum agnoſceret, quia tamen populus ferre non poterat ejus præſentiam territus fulguribus, quibus apparuerat in Monte Sina, ubi quaſi nata, & formata eſt Hebræorum Reſpublica; & proindè oraſſet Deum, ne ampliùs ſibi per ſe ipſum alloqueretur, ſed uteretur Moſe, ut internuncio miniſtro, ac mediatore; hinc Moſes datus illis fuit tanquam miniſter, cui adjuncti poſtea fuere multi alii boni, prudenteſque viri, quorum alii ſacra, alii prophana curarent; hi autem non ſe gerebant ut Principes mandata propria præſcribentes, ſed ut puri Miniſtri, ſub Deo Principe ſignificantes ea, quæ Deus vel per ſe, vel per legem ſuam mandaſſet, & ſub hac regiminis forma Deo paruerunt etiam, poſtquam ſedes in terra Chanaam locarunt Hebræi, ubi Judicibus, qui Dei legem executioni mandandam curabant, ſub Deo Principe vivebant.

XXVI. Verùm habendi Regis terreni cupiditate accenſi, atque

atque Theocratiam in Monarchiam vertendi, petierunt à Samuele Regem dicentes 1. reg. 8. *Conſtitue nobis Regem, ut judicet nos, ut univerſæ habent nationes*, quo humanum potiùs rectorem, quàm divinum ſe velle, teſtati ſunt; Dominus enim ipſe à Samuele conſultus id expreſſit reſpondens: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos*. Sic ergó repudiato Dei Principatu, ad Principatum arbitrarium hominis tranſierunt. Primus Rex fuit Saul, ſecundus David, à quo indè hæreditarium regnum inter Judæos evaſit, donec res ad Sedeciam pervenit, qui à Nabucodonoſore Rege cùm populo captivus in Babylonem eſt adductus.

XXVII. Reverſis verò in patriam poſt annos ſeptuaginta Judæis, res iterùm ad ſtatum Optimatum eſt adducta: quo tempore Pontifices, qui pro tempore fuerunt, Sacerdotum, & Judicum partes impleverunt, donec populo ab Antiocho ſervitute oppreſſo, Levitica Aſſamonæorum familia inſurrexit, qui primùm ſub titulo Principis, deinde ſub nomine Regis, manentibus veteribus inſtitutis, rem Judæorum univerſam adminiſtrarunt. His expulſis, Herodes regnum invaſit. Filius ejus Archelaus hæres regni tantùm ex parte Judæam nomine Ethnarchæ (ideſt Præfecti, ſeu Principis gentis) rexit. Pulſo autem poſt decennium ſuæ Ethnarchiæ Archelao, quamvis Agrippa ei ſuffecto, tamen Judæa Provincia Romana ſenſim facta eſt; tunc enim uſque ad everſum Templum, licèt ſuis legibus uterentur Judæi, attamen ut ſubacti cenſebantur; Romani Magiſtratum, & Tributum impoſuerunt, regionis Imperium, & procurationem ſibi vindicantes: ac poſtremò, cùm jugum excutere conati eſſent Judæi, eorum urbem cùm Templo inflammaverunt, ac gentem propè totam interemerunt, reliquiis hùc, illùcque diſperſis; quod poſt Chriſti necem contigit anno æræ vulgaris 70., ſeu à Chriſto nato 74. Hæc forma regiminis, initium, progreſſus, atque exitus Judaicæ Reipublicæ.

XXVIII. Inter Magiſtratus, quibus Judæi quovis tempore uſi ſunt, præcipuum erat, quod vocabatur Græca voce *Synedrion*, ex qua voce Hebræi fecerunt *Sanedrim*, latinè verò *Concilium*. Hoc Synedrium majus inſtituerat Moſes ſuadente Iethro Socero ſuo, juſſu Dei eligens 70. Seniores ætate provectos, ac ſcientia probatos, qui in regendo populo eum adjuvarent. His 70. Senioribus ipſe Moyſes præerat, unde conſtitit inter Judæos, Synedrium componi debere 71. Judicibus. Summus Synedrii Præſes appellabatur *Hanaſci*, hoc eſt *Princeps*; alter, qui ejus lateri dextro aſſidebat, ejuſque abſentis vices tenere poterat, di-

dicebatur *Ab*, hoc eſt *Pater Synedrii*. Sunt, qui addant tertium ſiniſtro lateri inſidentem dictum *Hacum*, hoc eſt *Sapientem*.

XXIX. Non eadem ſemper poteſtas fuit Synedrio magno. Hanc ei ſummam contulerat Deus, ut patet ex Deuteron. 17. 8. Sub Regibus rarus de illo ſermo, Regia auctoritate opprimente formam illam regiminis Ariſtocratici. Sed tempore Aſſamonæorum, etiam dum Herodes magnus viveret, etiam cùm Judæa in Provinciam redacta per Procuratores Romanos regeretur, non omni auctoritate carebat Synedrium magnum. Ab hoc, ſentiunt Eruditi non pauci, carceri traditum Joannem Baptiſtam, quamvis ego exiſtimem, à ſolo Herode id factum, dicente Luca 3. 20. de Herode: *Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcere*: & Joſepho lib. 8. antiqu. cap. 7. Qui tamen pro necis cauſa non aſſignat Herodis cùm Herodiade adulterium. Videre tamen eſt in Evangelio Lucæ 20., quomodo ſæpè inquirebant de Chriſto, & de doctrina ejus, quia ad Judices Synedrii pertinebat rebus religionis proſpicere, ac de iis judicare. Et hoc fuit Concilium, quod Joannes cap. 11. narrat coactum contra Jeſum, ut eum morti traderent. Ad hoc Concilium adductum fuiſſe Stephanum, colligitur ex Act. 6. 12. Cujus ſententiâ fuit condemnatus Act. 7., & lapidibus obrutus. Multaque alia, quæ poſtea per Synedrium geſta monet Joſephus, indicant, etiam poſt Chriſti mortem non omni ſpoliatum auctoritate fuiſſe Synedrium. His notatis præcipuè ex Lamy Apparat. Bibl. lib. 1. cap. 11. & 12. reſtat inquirendum, quid intellexerit Jacob nomine *Sceptri ac Ducis* non auferendi à Juda, niſi in adventu Meſſiæ.

XXX. Circa ſecundum etiam, num nomine Judæ veniat ſola Tribus ſic dicta, & à ceteris condiſtincta, an verò tota Judaica gens, major eſt difficultas. Cùm pateat, ſivè Reges, ſivè Optimates, penes quos fuit Judæorum ſumma poteſtas, non ſemper fuiſſe de tribu Juda, ut conſideranti patebit. Ex alia parte. Si de tota gente Judaica accipiatur, & non de ſola Tribu Juda, nihil peculiare prædixit Jacob de filio ſuo Juda, dum ei benedictionem largitus eſt.

Proindè in varias noſtri Interpretes abierunt opiniones. Prima ſuſtinet de ſola Tribu Juda intelligendum eſſe Oraculum, ſemperque in Tribu Juda extitiſſe Sceptrum, ſeu Principatum, nec Sedeciam fuiſſe poſtremum, qui ex Tribu Judæ Sceptrum geſſerit, ſed illud tranſiiſſe ad poſteros, & per Aſſamonæos perveniſſe ad Chriſtum. Aſſamonæi enim, etſi paterno genere forent Levitæ, per matres tamen à Juda erant prognati, quia Tribus

bus Levi, & Juda conjugiis copulabantur. Sic Exod. 6. Aaron Aminadabi filiam duxit uxorem, & 2. Paralip. 22. Jojada Pontifex filiam Jorami Regis uxorem habuit; Aminadab autem, & Joram de Tribu Juda erant, cùm tamen Aaron, & Jojada, utpotè Sacerdotes, eſſent de Tribu Levi.

XXXI. Hæc opinio, quæ ducem habuit Origenem homil. 17. in Geneſim, & plerosque Patres, ſuis non caret ſpinis. Primo nam poſt Jechoniam nullum de Tribu Juda ſceptrum geſtaturum prædicit Jeremias 22. 30., dum de Jechonia ait: *Scribe virum iſtum ſterilem ... Nec erit de ſemine ejus vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Iſrael*. Secundo Pontifices, & Aſſamonæos, qui poſtea ſummam rerum obtinuerunt, quo fundamento Scripturæ, aut Veterum oſtenditur, uxores habuiſſe de Tribu Juda? Quod habere potuerint non negatur, ſed quod habuerint oſtendi debet. Tertio etſi habuerint uxores de Tribu Juda, non inde inferri poteſt, principatum in Tribu Juda manſiſſe, ſi viri erant de alia Tribu, quia juxta Thalmudicum ſcitum, & Hebræorum uſum nullo numero materna ſtirps cenſebatur, nec familia matris vocabatur familia. Quarto ſi Pontifices materno genere fuiſſent oriundi ex Juda, paterno autem ex Levi, jam dici poſſet, aliquem de Tribu Juda fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Aaron, atque altari ſerviiſſe; ſed hoc negatur ab Apoſtolo Hebr. 7. 13. probante, Chriſti Sacerdotium eſſe aliud à Sacerdotio Aaronico, quia Chriſtus fuit de Tribu Juda, *de qua nullus altari preſtò fuit ... In qua nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt* ergò &c. Quinto tandem demus, Aſſamonæos fuiſſe Judæ tribules: cur id poterit dici de Sacerdotibus aliis, penes quos ante tempora Aſſamonæorum ſuprema poteſtas fuit? Verùm hoc quoque demus, & à Sedecia uſque ad tempora Chriſti dicamus, propagatam fuiſſe in Judæ Tribu regiam poteſtatem: quomodo ſuſtinebimus, eos, qui ab ipſo Juda uſque ad Davidem jus ſummum in Iſrael obtinuerunt, de Tribu Juda fuiſſe? Ruit ergò, quia fundamento vacua, hæc ſententia.

XXXII. Secunda opinio aliâ viâ ſuſtinet, e Judæ Tribu extitiſſe ſemper Principes uſque ad Chriſtum, eò quod ſemper manſit Synedrium, ſeu Senatus ex 70. Viris ſuprema pollens auctoritate, qui totus Senatoribus ex Tribu Juda prognatis conſtaret, vel cujus ſaltem Princeps ex Tribu Juda foret; qui Senatus perduravit ſemper, & ſolum circa tempora mortis Chriſti extinctus eſt, & hoc ſenſu Sceptrum, ſeu ſupremam in cauſis religionis fuiſſe penes Judam poteſtatem.

Verùm nutat etiam hæc ſententia. Unde enim probat,

Digitized by Google

ſeptuaginta illos Viros conſtantes Synedrium, vel ſaltem Synedrii caput, & Principem de Tribu Juda ſemper fuiſſe? Imò cùm in hoc Senatu judicandæ forent cauſæ omnium Tribuum, credibile potiùs eſt, morem fuiſſe, viros illum componentes ex omnibus Tribubus fuiſſe ſelectos. Id fecit Moyſes, dum conſilio ſoceri ſui Jetrho illum inſtituit. Exod. 18. 25. *Et electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael*, (non ait de Tribu Juda) *conſtituit eos Principes populi*: & Num. 11. 24. dicitur de Moyſe, *quod venit congregans ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael*; non dixit *Juda*. Primus hujus Senatus Princeps fuit Moyſes, qui certè non erat de Tribu Juda, ſed Levi. Undè ergò ceteri Principes fuere ſemper de Tribu Juda? Addo ſupremam, ſeu regiam poteſtatem numquam in Synedrio, vel ejus Duce extitiſſe in rebus politicis, ſed vel in Regibus, vel in ſummis Sacerdotibus. Alexandro Magno Hieroſolymam petenti non occurrit Dux aliquis, ſed Jaddus Pontifex, teſte Joſepho lib.11. antiquit. cap.8. Incertum tandem eſt, hoc Synedrium extinctum fuiſſe Herodis tempore, nec ulteriùs duraſſe, imò in Actibus Apoſtolorum, & in Evangelio conſtat, coactum fuiſſe tempore Chriſti, imó & poſt, contra Apoſtolos, & Stephanum, ut ſupra dicebamus.

XXXIII. Attamen, quia hæc opinio fulcitur multis Talmudicis, ac Rabbinicis teſtimoniis, quæ producit Raymundus Martini 2.p. cap.4. §.3. 4., in quibus nomine Sceptri, ac Ducis intelligitur Scriba, vel Legumlator, quæ duo non erant receſſura de Juda, donec veniret Meſsias. Undè in *Bereſchit Rabba* ad illa verba *non recedet Sceptrum de Juda* dicitur: *Iſtud eſt camera, vel conciſtorium dolatum, vel politum, quod datum eſt in parte Judæ, ſicut dictum eſt pſ.*78. *v.*67. &c., & ad illa verba & *Scriba de medio pedum ejus* dicitur: *Iſti ſunt ſedentes Jabbets, docentes ſententias in Sanhedrim magna.... Et quid eſt non recedet ſceptrum de Juda? Et nonne jam receſſerunt Sanhedrim de camera dolata?* &c., & in Bereſchit Ketzara ſect.79. *Non recedet ſceptrum de Juda* ſic exponitur: *Hi ſunt ſedentes in Jabbets docentes ſententias in Sanhedrim magna, quæ eſt ſedens in camera dolata in parte Judæ, de qua dictum eſt* 1. Paralip.2. 55. & Scribarum familiæ &c. *Donec veniat Siloh: quia futuræ ſunt gentes ſeculi; ut adducant, vel deferant munus Meſsiæ filio David &c.* Inſuper in libro Sanhedrim Hieroſolymitano capite, quod dicitur *Dine Mamonoth* legitur: *Tradiderunt Rabbini noſtri, quod, cùm adhuc domus, ideſt Templum non deſtructum eſſet, per* 40. *annos ablata ſunt judicia animarum, ideſt judicia mortis ex Iſrael*. Idem dicitur in libro Abodazara, in libro Sanhedrin cap. Hajou Podekin, & alibi.

XXXIV. Hoc ergò admiſſo, poteſt confici contra Judæos hic diſcurſus. Per vos Sceptrum, & Scriba non defutura, donec veniat Siloh, i. Meſsias, in Oraculo Jacobæo, ſunt Sanhedrin, ideſt 71. Judicum Collegium; per vos Collegium Sanhedrin quadraginta annis ante Templi everſionem auctoritatem perdidit; per vos etiam paulò poſt Collegium illud totaliter per Romanos ablatum, & interfectum eſt, lib. *Sanhedrin* diſtinct. Dine Mamonoth., & de facto nullum apud vos hodiernis temporibus adeſt Sanhedrin, ſeu poteſtas ſuper animas: quid ergò vos moratur, ne fateamini, Siloh, i. Meſsiam, quem deficiente Sanhedrin Majores veſtri fatebantur eſſe venturum, jamdiù veniſſe, & maximè 40. annos ante deſtructionem Templi?

XXXV. Tertia opinio ſuſtinet, Sceptrum uſque ad Chriſti adventum manſiſſe in Tribu Juda, non quidem actu, & de facto, eo ſenſu, quòd ſemper habuerit Duces, aut Reges ortos è Tribu Juda; ſed de jure; quia illa Tribus, ex quo Sceptro potita eſt, nuſquam jure exciderit, quod in illud habebat, ſed ſemper Regni proprietatem retinuerit; ſicut ſi aliqua familia vi, aut tyrannide repellatur â Regno, cujus legitimè geſtabat ſceptrum, nunquam excidet à jure, ſed ſemper de jure, eſto non de facto, regnabit.

Hæc tamen ſententia infringit robur Oraculi Jacobæi, atque Hebræis promtam ſuggerit reſponſionem; dicent enim & ipſi, Oraculum Jacobæum nondum eſſe impletum, & conſequenter Meſsiam nondum veniſſe, quia licet apud eos nullus ſit Rex de Tribu Juda, eſt tamen de jure; ſicque licèt apud eos Regnum exciderit, non tamen jus ad Regnum; aut ſi fuit impletum, ſaltem non fuiſſe impletum in Jeſu nativitate, quo tempore Herodes regnabat, quia cùm Tribuum diſtinctio adhuc ſervaretur, Tribus Juda habebat jus ad Sceptrum, quod Herodes alienigena uſurpaverat, ſpemque illud aliquando recuperandi habebat.

XXXVI. Quarta opinio dicit, vim Oraculi Jacobæi eſſe, Tribum Juda ſemel Regno potitam, eo non caſuram in perpetuum; quod quidem impletum eſt: nam etſi Tribus Juda mortuo Sedecia Sceptrum amiſerit, illud tamen non in perpetuum amiſit, quia illud recuperavit in Chriſto, qui ex Tribu Juda natus fuit, quique regnabit in æternum.

Placere tamen non poteſt, quia violenta videtur verbis Patriarchæ Jacobi, qui nullam in Juda Sceptri interruptionem prædicit, ſed potiùs vaticinatur, perpetuam in Juda fore continuationem, donec veniat Meſsias.

XXXVII. Quinta opinio, quam Cajetanus præformavit;

Huetius autem lib. demonſtr. Evang. propoſ.9. §.7. explanavit, dicit, res quatuor Jacobi laudatiš verbis notari. Prima hæc eſt: *Non auferetur Sceptrum de Juda*, quo æterna Sceptri poſſeſſio Judæ ſpondetur. Secunda eſt: Et Dux *de femore ejus*, quo temporarius, & caducus Judæ ſignificatur Principatus. Tertia: *Donec veniat, qui mittendus eſt*, quo temporarii hujus regni finis, & Meſsiæ adventus prædicitur. Quarta: *Et ipſe erit expectatio gentium*, quo Meſsiæ regnum ſpiritale, æternum, nec claudendum finibus Chanaam, ſed quaqua verſus per orbem patens indicatur.

Sed hæc etiam nutare videtur; tum quia Jacobum in una Oraculi parte loqui de regno æterno, in alia de regno temporali, & caduco, videtur alienum à verbis ipſius, qui toto Oraculo de eodem regno temporali loqui videtur, tranſmutando in æternum adveniente Meſsia: tum quia regnum temporale non ſemper fuiſſe in Tribu Juda, jam oſtenſum eſt.

XXXVIII. Sexta ergò opinio, quæ Modernis magis arridet, verba illa *Non auferetur Sceptrum de Tribu Juda*, & ſequentia refert, non ad ſolam Tribum Juda, ſed ad totam gentem Judaicam, unde ſenſus ſit: Non auferetur Sceptrum de populo Judaico, & Dux de ipſo prognatus, donec veniat Meſsias, ita ut ſignum adventus Meſsiæ futurum ſit ablatio regiæ, ac dominativæ Poteſtatis à tota gente Judaica. Interpretatio hæc fulcitur ſuffragio veterum Patrum: Juſtini Dialog. cùm Triphone, Athanaſ. lib. de Incarnat., Euſebii lib.8. demonſtr. Evangel., Chryſoſtomi homil.77. in Geneſ., Ambroſ. lib. de benedictionibus Patriarcharum cap.4., Auguſt. lib.18. de Civit. Dei cap.45. Theodoreti q.110. in Geneſ., aliorumque SS. Patrum: adeo ut vix ullum reperire ſit inter veteres præter S. Cyrillum Alexandrinum, qui hanc interpretationem ſuo calculo non probarit.

XXXIX. Secundò, ſi conſulimus Scripturas, compertum habemus, à Jacobi morientis edito vaticinio uſque ad Chriſtum plures extitiſſe gentis Judaicæ Duces, ac Principes, qui ex Tribu Juda non fuerunt oriundi: Moſes enim, & Joſue, qui populo poſt egreſſionem ex Ægypto præfuerunt, ex Juda originem non trahebant, Moyſes enim de Tribu Levi, Joſue autem erat de Tribu Ephraim. Ex judicibus, qui poſt illos ſumma apud Hebræos poteſtate potiti ſunt, duo ſoli, Othoniel & Abeſan, fuere ex Tribu Juda. Saul primus inter Reges de Tribu Beniamin ſatus fuit: licèt autem David, & ſubſequentes Reges uſque ad captivitatem Babylonicam fuerint de Tribu Juda, ſoluta tamen captivitate nullus unquam fuit populi Dux, ac Princips

ex

ex Tribu Juda, ſed dominium ſupremum fuit, vel penes Pontifices, vel penes Aſſamonæos, qui erant de Tribu Levi. Vel ergò Oraculo Jacobæo veritas non conſtat, ſi volumus, eum locutum de ſola Tribu Juda, dum ait: *Non auferetur Sceptrum de Juda*; vel neceſſe eſt, ut dicamus, eum de tota gente Judaica locutum fuiſſe; ni fortè diceremus, Aſſamonæos, ſeu Macabæos, alioſque, qui non erant de Tribu Juda, & tamen regnarunt, non fuiſſe legitimos Reges, aut Duces Iudæorum, ſed Tyrannos, qui uſurpaſſent Sceptrum, quod ſoli Tribui Juda erat aſſertum.

XL. Hac ergò firmatâ ſententiâ, ſtatim apparet, Oraculum in ortu Chriſti fuiſſe completum: nam Judæi ad Herodemuſque ſemper habuerunt ex gente ſua, ſeu ex genere ſuo, & ex aliqua Tribu Judices, Reges, ac Principes, id enim feriò conſideranti apparebit, tum ante captivitatem, tum captivitate ſoluta; quotquot enim ſummam rerum geſſere apud Judæos, Judæi fuere, ſeu ex genta Judaica, quæ demum ad Aſſamonæos traducta fuit. Primus ergò, qui ex gente Judaica non progenitus Sceptrum Judæorum geſtavit, fuit Herodes genere Idumæus, qui, Antigono ultimo Aſſamonæorum Principe devicto, Judeæ regnum non à Judæis, ſed à Romanis accepit. Tunc ergò primò ablatum fuit Sceptrum à gente Iudaica; quumque hoc regnante ortus fuerit Chriſtus, conſtat concludi ex Oraculo Iacobæo, ipſum eſſe, qui mittendus erat, ſeu Meſſiam.

§. IV.

Stabilitur, Herodem fuiſſe alienigenam, & magis firmatur ſexta Opinio.

XLI. Si autem, quis dubitaret, an Herodes alienigena fuerit, adeat Ioſephum lib. 14. antiquit. Iudaic. cap.2. dicentem *Amicus quidam Hyrcani Idumæus nomine, Antipater, vir pecunioſus, naturâ factioſus, & induſtrius, infenſus erat Ariſtobulo, eo quod ipſe ſtuderet Hircani partibus. Quamvis Nicolaus Damaſcenus hujus genus deducat à Primatibus Judæorum, qui in Judæam venerunt ex Babylonia, ſed hoc dicit in gratiam Herodis ejus filii, quem fortuna ad Judæorum regnum evexit*. Et cap.27. *Antigonus ita reſpondebat verſo ſermonem ad Silonem, & Romanos milites: iniquum eos facere, qui Herodi regnum adſtruant homini privato, & Idumæo, hoc eſt Semijudæo, cùm id more gentis debeatur ſucceſſioni generis, nam ſi offenſi, quòd ipſe à Parthis regnum*

 acce-

accepiſſet, ideò velint hoc auferri, non deeſſe multos ex eo genere, qui legitimè poſſint id accipere, nihil de populo Romano malè meriti, & Sacerdotes inſuper, quos iniquum ſit privari debitis honoribus: Idem lib.1. de bello Iudaico c.5. ubi de Antipatro Herodis patre ſcribit: *Erat autem genere Idumæus, & nobilitate opibus gentis ſuæ Princeps*.

XLII. Joſepho conſentiunt Patres (ſolum aliquibus à Ioſepho diſcordibus, quòd Herodem faciant Aſcaloniten) Videatur Origenes homil. 17. in Geneſ. S. Epiphanius hæreſ.20., quæ eſt Herodianorum, ubi poſtquam ait, Herodem ab aliis dictum fuiſſe Idumæum, ab aliis Aſcalonitam, ſubdit: *Quamobrem quod ex alienigena ille gente regnare cœperat, cùm hactenùs à Juda, & Davide regnum, atque ex Judæ ſtirpe Principes & Patriarchæ perſtitiſſent: quod inquam imperium in externum hominem translatum fuerat, idoneum illis* (Herodianis) *viſum eſt erroris argumentum, ut Herodem eſſe Chriſtum arbitrarentur, quod ex illo Scripturæ loco conſequens videbatur: Non deſinet Princeps è Juda, donec venerit, cui reſervatum eſt. Ut eo ſenſu ſit accipiendus, quaſi Herodi reſervatum eſſet... Porrò iſte de Juda genere non eſt, ac ne omnino quidem Iſraeliticæ gentis*. S. Ambroſ. lib.3. in Lucam facit Herodem origine Aſcalonitam, Idumæum nativitate. S. Hieronymus in lib.3. Oſeæ, S. Cyrillus Alexandr. lib.7. Glaphyrorum in Geneſin., Theodoretus Dialog. 1. omnes Herodem alienigenam pronunciant; & S. Auguſtinus lib.18. de Civit. Dei cap.45. & lib.12. contra Fauſtum cap.47. *Sunt*, inquit, *litteræ certiſſimæ Hiſtoriæ ipſorum quoque Judæorum, quibus oſtenditur, primum alienigenam Regem fuiſſe in genere Judæorum, quo tempore natus Chriſtus eſt. Ita non defuit Rex de ſemine Judæ, donec venirent, quæ repoſita erant*.

XLIII. Euſebius verò lib.1. hiſtor. Eccleſ. c.6. ſcribit, Herodem ſecundum Ioſephum fuiſſe *paterno genere Idumæum, materno Arabem*: ſecundum Iulium Africanum Aſcalonitam origine, in Idumæa natum, dicens: *Qui de illo* (Herode) *accuratiùs ſcripſerunt, Antipatri filium fuiſſe, tradunt: huic verò Herodem quendam Aſcalonitam, unum ex numero ſervorum Templi Apollinis, quod Aſcalone eſt, Patrem fuiſſe. Antipater cùm adhuc puer à latronibus Idumæis captus fuiſſet, cùm iiſdem diutiùs vixit, eo quod pater pro redemtione ipſius ſolvere præ inopia non valeret. Moribus igitur, inſtitutiſque eorum innutritus, tandem in notitiam Hircani Judæorum Sacerdotis, amicitiamque pervenit. Hujus filius fuit Herodes, qui Servatoris temporibus vixit*. Lib. autem 8. demonſtrat. Evang. pag.374. ubi Oraculum Iacobæum probat impletum

tum in Chriſto, quia in ejus *ortu, ſicut expoſita Prophetia volebat, ex Judæis quidem defecerunt Principes, ac Duces, qui genti præſiderent; ipſa verò Tribus Juda unà cùm tota gente principatu, ac regno, quod ab initio obtinuerat, ſpoliata, Romanis etiam nunc dominantibus ex illo ad hunc uſque diem famulatur, qui unà cùm reliquis gentibus etiam Judæos ſubegere; à quibus item Herodes, primus externo genere ortus, & Imperatoris Auguſti, & Romani Senatus auctoritate Rex declaratus eſt. Fuit igitur Antipatri filius hic Herodes. Ipſe verò Antipater Aſcalonita ab eorum neſcio quo ortus, qui in Templo Apollinis verſantes ſacri ſervi appellabantur. Qui cùm uxorem duxiſſet quandam, cui nomen quidem Cyprinæ, genus verò ex Arabia, Herodem creavit. Hic igitur primum tali genere natus, Hyrcanum, qui ultimus ex ſucceſſione, & ſerie Pontificum, Judæis præfuit, & in quo domeſticus Judaicæ gentis principatus defecit, necatum tollit de medio; iſque primus, ut dicebam, externo genere ortus Judæorum Rex eſt appellatus.*

XLIV. Scaliger, & Caſaubonus, qui contrarium ſentiunt, dicunt primo, Herodem etſi Idumæum, dici non poſſe alienigenam, cùm Idumæi integro ferè ſeculo antè regnum Herodis facti ſint Iudæi, ut narrat Ioſephus lib.13. Antiq. Iudaic. cap.17. Qui enim renunciaſſent *Coze* proprio Idumeæ Gentis Deo (teſte eodem lib. 15. cap.11.), qui ritus antiquos ejuraſſent, ac Circumciſionem amplexi eſſent, univerſumque veri Dei cultum, cur non cenſerentur Judæi? Eo vel maximè, cùm à prima origine fratres Judæorum eſſent Deuter. 23. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt*, propago nimirùm filii Abrahæ, i. Eſau, à quo dicta fuit terra Edom, undè Idumæi, ut tradit Auguſtinus lib.1. quæſt. in Geneſ. q.121. & lib.16. de Civitat. Dei cap.42. Imò Joſephus ipſe lib.20. cap.6. Herodem genere Judæum admittit, & apud ipſum lib.15. c.14. Herodes ipſe in ſua concione vocat Judæos *Tribules*, cui favet Nicolaus Damaſcenus, & Strabo lib.16. vocans Herodem Iudæorum indigenam, ſeu vernaculum.

XLV. Reſpondetur tamen conceſſo, quod Idumæi a Joanne Hyrcano Pontifice ſubacti, ne à propriis ſedibus pellerentur, coacti fuere Circumciſionæm, alioſque Iudaicos ritus amplecti, non indè inferri, Herodem, quia Idumæum, fuiſſe origine Iudæum, ideſt ab Iſraele, ſeu Iacob originem traxiſſe, ſivè Iudæum ex Iudæis: ſed proſelytum dumtaxat, & religione Iudæum, non genere, eò vel maximè, quia Herodes, etſi apud Idumæos natus, ex patre tamen gentili in Templo Apollinis Aſcalone ſerviente, matreque ex Arabia ortum duxerit, ut ſupra vidimus

ex

ex Euſebio, S. Epiphanio, & Ambroſio. Porrò etſi Idumæi appellati ſint fratres, utpotè ex Abrahamo per Eſau progeniti, quia alia gens erat, alios Ritus, alios Principes habens ab Iſraelitis, ideò reſpectu horum alienigenæ erant: Populus enim Iudaicus, cui factæ fuerant promiſſiones erat ille, qui deſcendebat ab Abraham per Iacob, ſeu Iſrael, qui ſoli Circumciſionem ſervabant. Joſephus autem Herodem genere Iudæum non admittit ex propria ſententia, ſed aliorum; Iudæi equidem Cæſarienſes, ut jus Civitatis contra Syros ſibi vindicarent, Herodem genere Iudæum fuiſſe dixerunt, ſed id non approbat Joſephus, quin imò, ut vidimus lib.14. cap.2., improbat Nicolaum Damaſcenum, qui Herodem genere Iudæum, & oriundum à Iudæis, qui Babylone fuerant captivi, & quidem de Tribu Iuda, effinxit. Quarè neſcio, quomodò Huetius propoſ.9. contendat, Herodem fuiſſe genere Iudæum, & hoc ex Ioſepho. Iudæos etiam viros Tribules vocat Herodes, ut eos demereatur, atque ita vocare poterat, cum Iudaico nomini, & populo inſitus eſſet, utpotè proſelytus. Idem Strabonis ſenſus eſt. Indigenam, vernaculum, religione Iudæum Herodem fuiſſe, concedimus, fuiſſe tamen genere Iudæum, hoc eſt ex gente Iudaica traxiſſe originem, conſtanter negamus.

XLVI. Si dicas: Alienigenæ poſtquam erant circumciſi, ac reliquis ſacris initiati, non minùs veri Iudæi cenſebantur, quàm hodiè veri Chriſtiani, Iudæi, Turcæ, Tartari, poſtquam ſacro Lavacro fuerint abluti.

Reſpondeo primò, diſparem eſſe rationem inter Iudæos, & Chriſtianos, nam in Iudæis maxima ratio originis habebatur, non autem in Chriſtianis; hi enim non naſcuntur, ſed fiunt, non dicuntur tales ex ſemine alicujus, ſicut Iudæi tales dicebantur ex ſemine Abrahæ, ſed fide, ſic ad Galatas 3.26.28. *Omnes filii Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu .... Non eſt Judæus, neque Græcus: non eſt ſervus, neque liber &c.* Secundò dico, aliud eſt eſſe Hebræum, aut Chriſtianum, aliud eſſe Hebræum ex Hebræis, ſeu ex gente Iſrael, ſeu Iuda, aut Chriſtianum ex gente, aut ſemine parentum Chriſtianorum ſatum. Eſto autem Herodes fuerit Iudæus, non tamen fuit ex Iudæis, ſed ex Idumæis, & conſequenter non natus de femore Iudaico: unde in eo impletum fuit Oraculum Iacobæum.

XLVII. Repetes, Si Herodes Idumæus fuit, quare Idumæorum ritus, ac leges Iudæis non impoſuit, ſicut Ioannes Hyrcanus leges, ac ritus Iudaicos Idumæis impoſuerat?

Dico, Herodem id non tentaſſe, tum quia vir politicus, & for-

fortunæ ſuæ tantùm ſerviens, parum de religione curabat: tum quia ſciens, quàm tenaces eſſent ſuorum rituum Hebræi, noluit eorumdem immutatione fortunæ ſuæ periculum ſubire: tum quia licèt origine Idumæus, religione, ac profeſſione factus Iudæus, Iudaicos ritus tanquam Idumæis ab Eſau primigenios obſervare maluit.

XLVIII. Tandem repones: Herodiani Herodem habebant pro Meſsìa, hoc autem non feciſſent, niſi Iùdæus, & ex ſemine Abrahæ fuiſſet, ſciebant enim, non niſi ex ſemine Abrahæ, imò & Davidico Meſsìam proditurum.

Reſpondeo primò, Herodianos viros fanaticos fuiſſe numero paucos, omnibus odioſos. Cùm enim (ut S. Epiphanius ait hæreſ. 20.) vidiſſent, *quod ille ex aliena gente regnare cæperat, cùm hactenùs à Juda, & Davide regnum, atque ex Judæ ſtirpe Principes, ac Patriarchæ extitiſſent: quod, inquam, Imperium in externum hominem translatum fuerat, idoneum illis viſum eſt argumentum, ut Herodem eſſe Chriſtum arbitrarentur, quod ex illa Scriptura hoc conſequi videbatur: Non deſinet Princeps è Juda, donec venerit, cui reſervatum eſt*. In hoc tamen decepti, quod Meſsìas non de externa gente, ſed de ſtirpe Iuda erat proditurus, undè Epiphanius ſubdit de Herode: *Porrò iſte de Juda genere non eſt, ac ne omnino quidem Iſraelitæ gentis*. Id equidem Herodes affectabat, ac ſe ex Iudaica ſtirpe oriundum toto conatu, & artibus oſtendere nitebatur, quare ne de hoc ambigendi locus relinqueretur, omnes Iudæorum Genealogias, & publica inſtrumenta comburi juſſit. Ceterùm ita conſtans erat oppoſitum, ut ex Eſſenis, aliiſque Iudæorum ſectis, vix aliqui adduci potuerint, ut hoc crederent, imò non pauci in ejus fidem jurare repugnabant, quos propterea minis, atque tormentis adigere compulſus fuit.

XLIX. Si autem quis opponeret contra ſextam opinionem, quam amplexati ſumus, quòd ſi dicti Oraculi verba non ad ſolam Tribum Iuda, ſed ad totam gentem Iudaicam referantur, jam nihil ſpeciale Tribui Iuda Iacob tribuiſſet, cùm tamen Iacobi intentio fuerit, ſingulis Tribubus prædicere, quod ſpeciatim cuique erat eventurum. Accedit quod ad eundem referenda eſt hæc pars Iacobæi Vaticinii, ad quem præcedentia, & ſequentia verba referuntur, cùm nulla ratio proferri poſſit, cur prima, & poſtrema pars prophetiæ ad Tribum Iuda ſpecialem pertineat, media verò ad duodecim Tribus, ſivè ad totam gentem Iudaicam detorqueatur. Atqui prima prophetiæ pars *Juda te laudabunt Fratres tui... Catulus Leonis Juda*. Et poſtrema indicantia fertilitatem regionis: *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem,*

ò fili

Digitized by Google

ò fili mi, aſinam ſuam, lavabit in vino ſtolam ſuam : ad Tribum Iuda ſpecialitèr non pertinere, nemo dixerit: ergò ad eandem ſpecialiter debent pertinere verba, quæ mediant, nimirum *Non auferetur Sceptrum de Juda &c.*

L. Reſpondetur, priora quidem, & poſteriora verba Prophetiæ ad ſolam Tribum Iuda, ut ab aliis diſtinctam, media verò dirigi ad Tribum Iuda non ut diſtinctam, ſed ut aliis conjunctam; benedictio enim in hac Oraculi parte contenta, nimirum de Meſsìa venturo, & de regno temporali commutando in æternum, non ſolam Tribum Iuda, ſed omnes Tribus, & totam gentem Iudaicam ab Abraham per Iſaac, & Iacob deſcendentem reſpiciebat.

Multiplex verò fuit ratio, cur ad Iudam potiùs hæc verba Iacob dirigeret, quàm ad alios filios, ut docet Euſebius lib. 8. demonſtrationis Evangelic. Prima, quod Tribus Iuda eſſet ſpecialiter regno deſtinata, penes quam Iudaicum ſceptrum per annos ſupra quingentos futurum eſſet, & hoc ſub Davide, & Salomone florentiſſimum. Secunda quod univerſus populus Iſraeliticus à captivitate Babylonica ſolutus à Tribu Iuda Iudæus dicendus eſſet. Tertia, quia eo ipſo tempore, quo regnum apud Aſſamonæos, ac Sacerdotes futurum eſſet, regio ipſa, qua continebatur Imperium, tota, aut maxima ex parte futura eſſet illa, quæ Tribui Iuda in ſortem obtigerat, & ſubditi futuri eſſent ferè omnes de Tribu Iuda. Quarta, quod Tribus Iuda præſtantiâ quadam honoris, ac dignitatis ceteris præire deberet, nimirùm in caſtris movendis ceteris anteferri Numer. 10. 14.; in ordine offerentium anteire Num. 7. 12.; in diviſione terræ Chanaam primam ſortem ferre, Ioſue 15. 1.; mortuo Ioſue Ducatum in bellis gerendis contra Chananeos accipere Iudic. 1. 2.; totoque tempore ſingularem quandam honoris prærogativam ſervare, ut 1. Paralip. 2. 3. filii Iuda primo loco recenſeantur. Quinta demum, & potior ratio fuit, quod ceteræ Tribus interventu Tribus Iuda id honoris, & beneficii eſſent habituræ, ut Chriſtus ex ſua gente naſceretur. Quare prænoſcens Iacob ex Tribu Iuda proditurum Meſsìam, Iudæ benedixit his verbis: *Juda te laudabunt Fratres tui, adorabunt te filii Patris tui.*

* * * * * *

§. V.

§. V.

Ex præfato Oraculo probatur adventus Meſsiæ.

LI. NE arbitretur Judæus, adeo diſcordem Chriſtianorum ſententiam in dicto Oraculo interpretando illi adjumento eſſe; probandum eſt, quocumque modo verba Oraculi intelligantur, ſemper concludi, invictè Meſsiam jam adveniſſe: ſic. Laudatis Iacobi verbis prænunciatur Principatus, & Regnum, cujus finis in Meſsiæ adventu exiſtet, quo tempore Meſsias ex Tribu Iuda naſciturus regnum ſpirituale, & æternum conſtituet, non ſolos Iſraelitàs regens, ſed gentes univerſas ditioni ſuæ ſubjiciens: ſed omnia hæc jam completa eſſe conſtat, ſivè ad ſolam Tribum Iuda promiſſio regni temporarii referatur, ſivè ad totam gentem Iudaicam; ſivè Sceptri, ac Ducis nomine Regia dignitas accipiatur, ſivè auctoritas ſumma Iudaici Senatus conſtantis ex 70. viris, dicta Synhedrium: Ergò Meſsias jam venit. Min. probatur: Principatus, ac regnum ex Tribu Juda, imò ex tota Judaicà gente à mille ſeptingentis, & ultra annis defecit; primo tranſiens in Herodem alienigenam, ut probatum eſt, deindè ad Romanos, qui Judæam ſubactam in Provinciam redegere: Synhedrium magnum, ut ſupra innuimus ſ.3., & in Thalmude narratur, quadraginta annis ante deſtructionem Templi, & deſolationem urbis Hieroſolymitanæ extinctum eſt. Poſt quæ quoquoverſum diſſipata Gens infelix, quacumque judiciaria poteſtate privata, palabunda, errans, ac veluti mancipium vile, omnibus gentibus ſervire cogitur. Quod autem Judaico regno temporali ſucceſſerit regnum ſpirituale, & æternum, nimirùm Chriſti regnum, oſtenditur infra; interim ſufficiat iſte diſcurſus: Ex Vaticinio Jacobæo ceſſante temporario regno Judæorum, ſuccedere debebat regnum ſpirituale Meſsiæ: atqui jamdiù defecit regnum temporarium Judaicum: Ergò jamdiù ſucceſſit regnum ſpirituale Meſsiæ.

LII. Totum hoc ex Acatholicis ita urget Grotius ad cap.49. Geneſ. num.10. dicens: Inter Iudæos, qui à Iuda nomen habent, manſit imperium, quod ſceptri nomine indicatur, ad Chriſti tempora: Iudæ potiùs tribuitur, quàm Tribubus aliis, quia decem Tribus abductæ à Chaldæis non rediere; rediit Iudas cùm Beniamine, quæ Tribus Beniamin Iudæ fuit acceſſio: undè Terra Iudæa dicta, Gens Iudæi; Imperii jus primùm in ductu militari Iudic.1. (quo loco Joſephus: Tribui Iudæ datur Ducatus)

deindè in nomine regio; poſt Ethnarcharum; iterumque regio; donec Archelao ereptum regnum, ac Iudæa Provincia Romanorum facta, nunquam poſtea Sceptrum recuperavit. Sub Aſmonæis, & Herode, Imperium penes Iudam fuit non minus, quàm penes Romam, Gallis aut Thracibus in Imperium electis. Interciſiones fuere breves, ſi ad ſpatium annorum propè mille quingentorum, comparentur: ſub Tyrannis externis in Iudicum hiſtoria memoratis, ſub Saule; ſeptuaginta annis exilii vix computandis, quia Prophetæ reſtituendi Imperii Iudæ ſpem certam fecerant. Illo autem, quod diximus, ſpatio reveriti quidem Iudæi interdum magnitudinem Perſicam, Macedonicam, Ægyptiam, Romanam, ſed ſalvo manente Imperio; quod non malè oſtendit Chryſoſtomus oratione, Chriſtum eſſe Deum. Abeant ergò Iudæi cùm ſuis commentis novis &c. Ita Grotius in hoc ſolum ſingularis, quod voluerit, regnante Herode, licèt alienigena, adhuc penes Iudæos manſiſſe Imperium, ſicut penes Romanos manſit, etſi Imperatores eſſent non Romani, ſed alienigenæ, puta Galli, aut Thraces. Sed non advertit Grotius, Oraculum Jacobæum nedum vaticinari Iudæo populo Ducem, uſque ad Meſſiæ adventum Imperium Iudæorum tenentem, ſed inſuper Ducem ex Iudaica gente ortum, illis verbis *Et Dux de ſemore ejus*; quo indicavit, ſtatim Oraculum implendum fore, ac regnare cœpiſſet homo genere non Iudæus.

§. VI.

Judæorum evaſiones.

LIII. UT evadant hujuſce Oraculi inſuperabilem vim, varia figmenta excogitarunt Iudæi. Negant primo Sceptrum omninò ablatum à Iuda, ſed Æcmalotarcham quendam è Tribu Iuda oriundum, quem Patriarcham appellant, in Aſia Iudæos regere, ac recturum, quouſque venerit Meſſias. Sic illi in Seder Olam Zutha, & apud Maimonidem in Iad Chazacal; atque in hac perſuaſione erant ab Origenis uſque temporibus. Poſtellus Hiſtor. Orient. p.1. cap.5. & 6. tradit, verſus Orientem diu latitaſſe decem Tribus montium anguſtiis circumcluſas, ex quibus tandem prognatos Tartaros, & Turcas indè erupiſſe. Quin Ioſephus lib. 11. antiquit. cap. 5. refert, decem Tribus trans Euphratem deportatas in immenſam multitudinem ſua ætate excreviſſe. Idem teſtatur Oroſius lib.2. c.6. & lib.4. Eſdræ cap. 13. legimus, decem Tribus in longinquas Terras abiiſ-

abiiſſe, ut ritus ſuos ſine impedimento obſervare poſſent, diſceſſiſſe ab illis aquas Euphratis, & poſt anni unius iter in regionem imperviam Arſareth perveniſſe, ibique ſumma pace frui, donec Deus ipſos Hieroſolymam reducat.

LIV. Verùm hæc omnia figmenta eſſe, quis non videat? Nulla hac noſtra ætate regio eſt adeo remota, quæ non fuerit frequentibus peregrinationibus perluſtrata, præſertim in Aſia. Qui ergò fieri poteſt, ut nullus de tanta Hebræorum multitudine ibi degente, eorumque Imperio ullum nec verbum fecerit, aut ab aliis Terræ illius, quam inacceſſibilem jactant, finitimis populis ſe audiviſſe narraverint? Fabulam proindè eam reputat Origenes lib.4. Peri-archon, ubi ex Oraculo Iacobæo perſtingens Iudæos, & etiam ex illis verbis Oſeæ 3. *Per dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, ſine Principe, non erit hoſtia, nec altare, nec Sacerdotium, nec reſponſa*, ſubdit: *His ergò teſtimoniis utimur adverſus eos, qui videntur aſſerere de his, quæ in Geneſi ab Jacob dicta ſunt, quod de Juda dicta ſint, & dicunt permanere adhùc Principem ex genere Juda, iſtum videlicet, qui eſt gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham, nec deficere poſſe de ſemine ejus, qui permaneat uſque ad adventum ejus Chriſti, quem ſibi deſcribunt. Sed ſi verum eſt, quod ait Propheta: quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Principe, nec erit hoſtia, nec altare, nec ſacerdotium: & utique ex quo ſubverſum eſt Templum, nec hoſtiæ offeruntur, nec altare invenitur, nec ſacerdotium: conſtat, & certiſſimum eſt, defeciſſe Principes ex Juda, ſicut ſcriptum eſt, & Ducem de femoribus ejus, uſquequò veniet ille, cui repoſitum eſt. Conſtat ergò, quia venit ille, cui repoſitum eſt, in quo expectatio gentium eſt. Quod manifeſtè videtur impletum de multitudine eorum, qui per Chriſtum Deo ex diverſis gentibus crediderunt*. Addo. Quis, niſi obcæcatus Iudæus, ſibi perſuadere poterit, Tribus illas ſemper apud ſe habuiſſe, & nunc habere aliquem de Tribu Iuda oriundum, qui illis imperet, cùm dictæ Tribus à tempore Roboami Tribus Iudæ Imperium detrectaverint, ſeque ab ea ſeparaverint? Cùm ex eo tempore Iudæi non coutantur Samaritanis, ut ait mulier Samaritana Chriſto Ioan.4.9.? Hoc propterea inter fabulas reiiciunt celeberrimi Rabbini, ingenuè fatentes, Iudæos Regia poteſtate, ſceptro, ac dominio prorsùs excidiſſe, ut videre eſt apud Rabbi Iſaac, Abrabaniel comment. in Iſaiam, Rabbi David Kimchi in Oſee, R. Dechai, R. David Ganz, & Rabbi Manaſſe, & præcipuè R. Iſaac Azrich, qui narrationes hujuſmodi de Aſiatico Imperio Iudæorum, & Æcmalotarcha, fictitias eſſe, declarat, & ad ſolatium ſuæ miſeræ gentis excogitatas.

LV. Scio, Ioſephum, & ex ipſo Oroſium tradere, decem Tribus trans Euphratem deportatas in immenſam multitudinem ſuo tempore excreviſſe; verùm nulla illic regna, nullum ſceptrum, nullum dominatum commemorant, imò Barbàrorum Imperiis fuiſſe ſubjectas, optimè à Sulpitio Severo lib.2. Hiſtor. ſacræ n.16. obſervatum eſt; ait enim: *Decem verò Tribus priùs ductæ per Parthos, Medos, Indos, atque Æthiopas diſperſæ, nunquam in ſolum patrium ſunt regreſſæ, hodieque Barbararum gentium Imperiis continentur*. Quod autem narrat Poſtellus, ex iis decem Tribubus prognatos fuiſſe Tartaros, ac Turcas, quid juvat Hebræos? Sequitur (ſi tamen verum eſt) qui hodie Tartari, aut Turcæ ſunt, olim Hebræos ex decem Tribubus fuiſſe. Ubi ergò nunc Iudæorum regnum? Tartarorum, Turcarum ſcimus; quærimus Iudaicum, quod non oſtendent Iudæi, niſi narrando ſomnia, inter quæ reputanda ſunt, quæ author apocryphus lib.4. Eſdræ excogitavit. Talia eſſe hæc narrat Vincent. Bellovacenſis ſpecul. hiſtor. lib.30. cap.89. *Cùm enim* (inquit) *dicant hiſtoriæ noſtræ ſcholaſticæ, quod Alexander Magnus Rex Macedonum oratione impetravit à Domino recluſionem Judæorum inter montes Caſpios, ipſoſque circa finem mundi prædicent exituros; Fratres noſtri, ſcilicet Ordinis Prædicatorum in Georgia civitate Triphelis, quæ propè montes Caſpios eſt, per ſeptem annos commorati, diligenter à Georgianis, & Perſis, & etiam à Judæis de incluſione illa inquiſierunt; & dicunt omnes, etiam ipſi Judæi, quod nihil penitùs inde ſciunt, nec unquam iſtud in ſuis hiſtoriis invenerunt. Hoc autem ſcriptum habent tantummodo, quod Alexander ille quoſdam homines immundos, & horribiles propè montes Caſpios habitantes, qui alios homines, etiam ſe ipſos comedebant, intra montes illos habitare coegit, & etiam ibi portas extrui fecit, quæ videlicet adhuc portæ Alexandri dictæ ſunt, unamque illarum Tartari confregerunt. Ceterùm de recluſione hominum in montibus illis nihil aliud reperitur veritatis in illis locis*. Hæc Bellovacenſis, qui floruit anno 1252. vel 1240. ſecundum Trithemium de Script. Eccleſ.

LVI. Dicunt alii, vocem Sheveth, quam Latinus interpres vertit *Sceptrum*, ſivè *Virgam*, ſignificare non ſummum Imperium, quod in Tribu Juda, vel in Iudaica gente ſit duraturum uſque adventum Meſſiæ, ſed ſævum, ac impotentem dominatum, quo miſera illa gens ab alienis Principibus premitur, & vexatur, quæ calamitas finem accipiet, quum Meſſias venerit.

Sed inanem eſſe hanc evaſionem, oſtendunt verba, quæ immediatè ſequuntur, *& dux, ſeu legiſlator de femore ejus, ſeu de me-*

Digitized by Google

medio pedum ejus. Copulari ergò debet Sceptrum ſeu Virga cùm Duce; atqui Dux erit de femore Iuda, non alienus; ergò & Sceptrum. Addo, benedictionem hic à Iacobo pronunciari, non comminationem malorum, quod certè eſſet, ſi Tribui Iuda oppreſſionem, & captivitatem prædiceret. Deindè falſum eſt, Iudæos duris ſemper exterorum Imperiis preſſos fuiſſe, cùm mitiſſimis Regibus, maximè à Davide uſque ad Sedeciam, iiſque ex ſua gente, non exteris, paruerint; poſt Sedeciam verò ſeptuaginta quidem annos captivitatis paſſi ſunt, ſed reduces poſtea Ducibus, ac Regibus ex ſuo populo uſque ad Herodem obtemperarunt. Ergò ſi calamitas ipſorum finem acceptura erat in adventu Meſſiæ, ſequitur, Meſſiam jam dudum veniſſe ante Chriſtum Jeſum, cùm multo tempore ante ipſum potentiſſimum, ac florentiſſimum regnum habuerint. Quia verò Hebræi vim faciunt in voce illa *Sbeveth*; ſciant oportet, *Sbeveth* ſolitariè ſumtum ſignificare generatim dominationem; ſolùm autem ſumi pro dominatione iniqua, & tyrannica, quùm aliquo epitheto determinatur, ut in pſal. 2. determinata eſt, dum dicitur *Reges eos in virga ferrea*; quum verò vox *Sbeveth* in Oraculo Jacobæo nullo epitheto id exprimente jungatur, ſed potiùs quæ ſequuntur *Dux de femore ejus* indicent oppoſitum, quid adhùc comminiſcuntur Judæi?

LVII. Reſpondet R. Bechai, duos Meſſias à Jacobo prædictos, quorum alter fuerit Moyſes, alter propriè talis, qui nondum advenerit, quemque Judæi expectant; nec enim credibile eſt, Jacobum remotam Iſraeliticæ gentis liberationem per Meſſiam proſpexiſſe, inſtantem verò, & proximum prætermiſiſſe. Vult ergò Sceptrum in Juda ſemper fuiſſe ante Moſem, à quo per Moſem ad Levitas tranſlatum fuerit.

Sed quo fundamento ducitur R. Bechai ad id demonſtrandum? Quo Sceptrum fuit in Tribu Juda ante Moſem, cùm toto illo tempore à Juda ad Moſem Hebræi fuerint ſub miſera apud Ægyptios captivitate? Deindè ſibi contradicit, dicit enim, non auferendum Sceptrum à Tribu Juda, donec veniat Moſes primus Meſſias, deindè ab ipſa non auferendum, donec veniat ſecundus & verus Meſſias: & poſtea dicit Sceptrum à Tribu Juda ad Levitas per Moſem tranſlatum fuiſſe. Quomodo ergò hæc duo cohærent: quod à Moſe ad Chriſtum ſemper durabit principatus in Tribu Juda, & quod à Moſe tranſlatum ſit à Tribu Juda ad Levitas? Revera Sceptrum in Tribu Juda eſſe non cœpit, niſi in Davide, ergò ante Davidem nullum fuit Sceptrum in Tribu Juda.

LVIII.

LVIII. Dicunt alii, hæc verba *donec veniat qui mittendus eſt*, non ſignificare duraturum Sceptrum uſque ad adventum Meſsiæ, & hoc adveniente ceſſaturum; ſed nunquam poſt adventum Meſsiæ ceſſaturum de Tribu Juda, quo fit, ut cùm ad hæc tempora ceſſavit in Juda regnum, ſignum ſit, nondum veniſſe Meſsiam. Et quidem dictio hæc *Donec* non ſemper ſignificat ceſſationem, & finem ejus rei, de qua ſermo fit, ſed ejus nonnunquam continuationem interveniente altero, cui dictio *donec* adjungitur. Sic 8. Geneſ. de Corvo dicitur, *non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram*, quo non ſignificatur, corvum eſſe reverſum poſtquam ſiccatæ ſunt aquæ, ſed nunquam reverſum, ne poſt ſiccatas quidem aquas. Sic Job 27. *Donec deficiam* (inquit) *non recedam ab innocentia mea*, quo non ſignificat Jobus, ſe ab innocentia ſua receſſurum, cùm defecerit, imo ſe nunquam ab ea receſſurum, ſic de Joſepho, & Maria ſcribit Matthæus cap. 1. 25. *Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*, quibus verbis non ſignificatur, poſt partum cognitam fuiſſe à Ioſeph, ſed quod partu interveniente, nunquam cognita fuerit.

LIX. Meditatio hæc, cui recentiores Hebræi multum fidunt, nova eſt, & veteribus Rabbinis incognita, qui vocem *donec* in vulgari ſignificatione hic intellexerunt, quatenùs nempè importat ceſſationem rei, de qua ſit ſermo. Et propterea deſignare finem Iudaici Imperii; quo tempore venturus eſſet Meſsias. Sic R. Salomon, & R. Kimchi authores Chaldaicarum paraphraſium, ſic Targum Onkelos, Bereſchit Rabba locis ſupra citatis. Sic etiam intellexit Ioſephus, cum hujus Oraculi exitum Veſpaſiano adulatoriè adſcripſit lib. 3. de bello Iudaico cap. 28. & lib. 7. cap. 31. Et ita ſanè debet intelligi; verba enim Scripturæ debent in communi, & vulgari ſenſu interpretari, niſi aliud nos cogat ad oppoſitum, ut patet in exemplis allatis. Siccatis enim aquis omnes norunt, Corvum non fuiſſe reverſurum, ſicut nec columba reverſa eſt. Sic qui non recedit ab innocentia ante mortem, omnes ſciunt, eum non receſſurum poſt mortem. Ex quo autem Maria non fuerit cognita à Ioſepho, cuique perſpicuum eſt, eam nec fuiſſe cognitam poſt partum, ſic ejus perpetua virginitate ſuadente. At quod dictio *donec* in Oraculo Iacobæo ſumatur, non ut indicans finem, aut ceſſationem regni Iudaici, ſed continuationem ejus, quodnam motivum urget Iudæos? Certè non aliud, niſi ut eludant Oraculum, & hac interpretatione patrocinium dent ſuæ miſeræ cauſæ, nimirùm Meſsiam nondum veniſſe. Nos quidem maximo fundamento moti naturalem dictæ voci *donec* ſignificatum affigimus.

Ia-

Iacob enim tali Vaticinio notam aliquam Meſsiæ adventus voluit indicare: ſi autem dictio *donec* non deſignaret finem Iudaici Imperii, quo tempore venturus eſſet Meſsias; nulla Iacob ſigna demonſtravit, quibus talis adventus poſſit dignoſci.

LX. Scio, hanc vocem *donec* à Cajetano & Huetio exponi non pro ceſſatione regni, ſed pro ejus continuatione. Verùm ſciendum etiam eſt, quàm longè diſcrepet horum authorum opinio ab interpretatione Iudæorum. Iudæi namque regni ſui tempus à Meſsia inchoant; Cajetanus regni, de quo Iacob locutus eſt, longè vetuſtiora ſtatuit initia: Iudæi regnum temporarium, & cùm mundo finem habiturum intelligunt; Cajetanus regnum primò temporarium ſignatum cenſet, quod per Meſsiam vertendum ſit in ſpirituale, & æternum, ne ipſo quidem mundi occaſu finiendum. Huetius autem, ut ſupra obſervavimus, putat de duobus regnis temporario & æterno ſermonem fieri, & temporarium in adventu Meſsiæ finiendum, quod Iudæi negant.

LXI. Vident infirmam hanc reſponſionem multi, qui propterea aliam viam tenentes negant, hoc Oraculo ullum fieri ſermonem de Meſsia; verba enim hæc *donec veniat Siloh* quæ nos vertimus, *donec veniat, qui mittendus eſt*, exponunt de Urbe *Siloh*, & vertunt donec deſinat *Siloh*, ita ut Oraculi ſit ſenſus: *Dignitas Tribus Juda, & præſtantia mutabitur in Regnum, cùm urbs Siloh Arcæ ſedes eſſe deſierit.*

Sed hoc & eſt contra hiſtoriæ veritatem, & contra ipſius Oraculi ſenſum; falſum enim eſt, tunc Davidem ad Regnum accitum, cùm de Siloh Arca ſublata eſt: hoc enim tempore nec Saul, qui Davidem præceſſit, fuerat ad Regnum evectus. Rursùs quænam perverſitas eſt, ut dicente Iacob *donec veniat Siloh*, velint idem eſſe, ac dicere *donec deſinat Siloh?* Iacob ait, non auferendum Sceptrum, donec venerit Siloh, quod ſignificat ante non veniſſe Siloh; ajunt Rabbini, tunc Sceptrum capeſſiturum Iudam, cùm deſinet Siloh, quod ſignificat jam ante veniſſe Siloh. Deindè illa ſequentia verba *Et erit expectatio gentium* quò ſpectabunt? Ad Davidem? Sed Davidis nulla in Oraculo facta fuit mentio. Oporteret ergò ſupplere & dicere *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec deſinat Siloh, & naſcatur David, qui erit expectatio gentium*, & ſic latam aperire viam inquinandi paſſim Scripturas ſomniis Rabbinorum; quod etſi permitteretur, quomodo dici poſſet, Davidem fuiſſe expectationem Gentium?

LXII. Alii propterea dicunt, urbem Siloh intelligi quidem, non quatenus ad Davidem, ſed ad Saulem pertinet, qui à Samuele unctus fuit Rex in Siloh; ita ut ſit ſenſus: *Non auferetur*

Sce-

Sceptrum de Juda, quoad veniat tempus Silohenſis unctura, quâ Saul eſt conſecrandus. Sed hi etiam delirant, & contra veritatem hiſtoriæ, quia non in Siloh, ſed in Ramathaim Sophim unctus eſt Saul à Samuele, & in Maſpha renunciatus eſt Rex, ut legitur 1. Reg. 9. 10.; & rursùs contra ſanam mentem; quo enim authore Iacobæis verbis hunc affingunt ſenſum; ut voce Siloh unctionem Silohenſem notari ſtatuant? Quod ſi etiam daretur, quomodo oſtendent, ad id uſque temporis Sceptrum Iudam obtinuiſſe, cum nondum obtinuiſſet, ſed solùm poſt aliquid temporis in Davide eſſet conſecuturus?

Iiſdem ferè argumentis convincuntur alii, qui, *Siloh* urbis nomen ad Ieroboamum Regem creatum in Siloh referre, contendunt. Nam quo authore oſtendent, Ieroboamum Regem fuiſſe in Siloh, & non potiùs in Sichem, quod credibilius eſt? Quis, nomine Siloh hoc Silohenſe factum notari, eos docuit? Quomodo probabunt, tunc in Ieroboamo Tribum Iuda Sceptrum amiſiſſe, cùm manſerit penes Roboamum, & reliquos Davidis nepotes uſque ad Sedeciam?

LXIII. Unum ſupereſt, ut Hebræis ora obſtruamus, nimirùm, ſi ex Iacobæo Vaticinio probatur adventus Meſsiæ, cur hoc nec Chriſtus, neque Apoſtoli, neque Evangeliſtæ ad conciliandam ſibi fidem in teſtimonium adduxere?

Reſpondeo cùm doctiſſimo Huetio, cauſam, cur hoc Iacobi teſtimonium à Chriſto, aut Evangeliſtis aſſumtum non fuit, fuiſſe, quia nec Chriſto, nec Apoſtolis, aliiſque ſacris Scriptoribus propoſitum unquam fuerit, Oracula Prophetarum ſigillatim recenſere, cùm totum teſtamentum vetus ad unum Chriſtum ſpectare, in eoque ſuum complementum nactum eſſe, ſcirent, aliàs totum vetus Teſtamentum recitare debuiſſent, ſi omnes de Chriſto prophetias adducere voluiſſent. Pauculis ergò verbis ſeſe expediebat Chriſtus Iudæos ad Moyſen ac Prophetas remittendo, quorum Oracula in Synagogis legebantur: *Habent* (inquit Lucæ 16. 29.) *Moyſen, & Prophetas. Scrutamini Scripturas* (Ioann. 5.) *Quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.... Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem; eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis: ſi enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit.*

§. VII.

§. VII.

Ex Aggeo, & Malachia.

LXIV. ADventus Meſsiæ oſtenditur ex eo, quod venire debuit ſtante ſecundo Templo, quod ſic ſuadetur. Deſtructo primum Templo Hieroſolymitano, quod conſtruxerat Salomon, à Chaldæis, ut legitur 4. Reg. 29. 9. promovente Cyro Rege Perſarum iterùm extructum erat, 1. Eſdræ 1. Sed cum Zorobabel Ethnarcha, & Ieſus Ioſedech Pontifex mœſti eſſent, quòd viderent, excitatum à ſe Templum non reſpondere magnitudini prioris Templi, Deus eos hoc promiſſo conſolatur, futurum ſcilicet, ut major honor iſti Templo, quàm priori contingeret, eò quod Meſsiæ præſentiâ, atque ingreſſu honorandus eſſet: ita Aggæus cap. 2. 5. *Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus, & confortare Jeſu fili Joſedech Sacerdos magne... Verbum quod pepegi vobiſcum.... Et movebo omnes gentes: & veniet Deſideratus cunctis gentibus; & implebo domum iſtam gloria.* Debuit ergò ſecundum promiſſum Domini venire Meſsias durante Templo ſecundo, quod fatentur Rabbinorum non pauci: Targumiſta in Cantic. cap.7. & 8. Echa Rabbati liber Sanhedrin cap. ult., qui in hunc ſenſum traxiſſe refert R. Akilam præfatum Aggæi Vaticinium; & Meſsiam intraturum in Templum ſecundum, apertiùs dixit Malachias (qui vixit eo tempore, quo poſterius Templum cœpit ædificari) cap.3.1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis.* Ex hoc ergò etiam colligitur, Meſsiam venturum ſtante Templo ſecundo, quo nomine apud Hebræos venit totum illud tempus à Zorobabele ad tempus Veſpaſiani, ut in Thalmude c. ultimo de Synedrio, & titulo Joma, & titulo Roſum Haſſchana. Neque audiendus eſt hac in parte Joſephus, qui lib. 15. Ant. cap. 14. ſcribit, ab Herode reædificatum Templum *ſublatis veteribus fundamentis, & novis repoſitis*, & opus ſolis octo annis fuiſſe perſolutum. Herodis enim magni tempore Templum reparatum quidem fuit, ſed non reſuſcitatum ex ruinis, quare idem Templum fuit, quod reædificaverat Zorobabel quadraginta ſex annorum ſpatio, vel ipſis Judæis teſtibus Joan. 21. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Et certè tam conſtans apud Hebræos, & vicinos fuit opinio, illis temporibus expe-

ſtandum Meſsiam, ut multi Herodem (nimirùm Herodiani, de quibus ſupra) alii Judam Gaulonitem, alii alios, qui circa Jeſu tempora vixerunt, pro Meſsia haberent, ut ex Joſeph. lib. 18. cap. 1. Actorum 5. 36. 37. Cùm igitur ſecundum Templum jam non exiſtat, ſed à Veſpaſiani, & Titi temporibus ſolo æquatum fuerit, ſequitur, jam ante veniſſe Meſsiam.

§. VIII.

Reſponſiones Judæorum.

LXV. SEntientes, ſe premi hiſce argumentis Judæi, ut eludant ea, ajunt nonnulli, peccata ſua in cauſa fuiſſe, quò minùs promiſſo tempore adveniret.

Sed hoc temere dicitur; Oracula enim de Meſsiæ adventu abſoluta ſunt, nec ullam conditionem ad ſui implementum, indicant ſe expectare; ſi enim abſoluta ſunt pro ea parte, quæ reſpicit locum, & familiam, ex qua ſit proditurus, cur non erunt pro ea, quæ reſpicit tempus? Sanè ſi abſoluta ſunt quoad illas circumſtantias, puta naſciturum in Bethleem, de ſemine Abrahæ, de Tribu Juda, ex Virgine Matre; abſoluta etiam erunt quoad circumſtantiam temporis: eò vel quia ſi ob peccata Judæorum fuiſſet differendus adventus, hoc quoque fuiſſet à Prophetis prænunciatum, ſicut ob eadem peccata urbem exſcindendam, prædictum fuerat Dan. 9. 24.

Rursùs à ratione alienum eſt, dicere ob peccata dilatum id, quod in remedium peccati erat deſtinatum, ſicut à ratione alienum eſſet, quod ob morbi gravitatem differretur adventus Medici, & ſumtio remedii: Meſsias autem venturus erat hac quoque de cauſa, ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, & cùm vitæ emendandæ regulis veniam daret. Ita Iſaiæ 53. 4. &c. Ierem. 31. 31. &c. Ezechiel. 11. 19. 21. Quare de ejus temporibus apud Zachariam dicitur cap. 13. fore tunc fontem apertum domui Davidis, & Hieroſolymitis omnibus ad peccata abluenda; & apud ipſos Hebræos receptum eſt, Meſsiam appellari Iſch Copher, hoc eſt placatorem. Videatur Chaldæus Paraphraſtes Cant. 1. 14. & R. Iudas in Chaſidim, R. Simeon in Bereſchit Rabba dicentes, Meſsiam peccata noſtra portaturum.

LXVI. His omnibus ſenſibile argumentum accedit; dato enim, per peccata poſſe differri, & de facto fuiſſe dilatum, cur non potuiſſet per pœnitentiam tolli hæc dilatio? Promiſit Deus fœdere per Moyſem edito (Exod. 15. Levit. 18. Deuteron.

ron. 6. 7. 11. 28,) Judæis felicem poſſeſſionem terræ Palæſtinæ, quamdiù vitam ad legis præſcriptum componerent. Contra (Levit. 26. Deuteron. 4. 11. 28.) ſi adversùs eam graviter delinquerent, exſilium, aliaque id genus mala ipſis minatus eſt. Quod ſi tamen aliquo tempore preſſi malis, & pœnitentia peccatorum ducti, ad obedientiam rediiſſent, ſe miſericordiâ tactum iri; effecturumque, ut quamvis in ultimas mundi plagas diſperſi, redirent in patriam; ut videre eſt tum alibi, tum Deuteron. 30., & Nehemiæ 1. Et quidem cùm olim populus graviſſimis ſceleribus ſe contaminaſſet, liberos paſſim ſacrificaſſet Saturno, adulteria pro nihilo duceret, viduas, & pupillos expilaret, inſontem ſanguinem magnâ copiâ funderet (quæ omnia illis Prophetæ exprobrant: Eſaias c. 1. 17. 3. c. 14. 15. 23. c. 11. 2. 3. Amos c. 2. 6. Jerem. 2. & 3. Ezech., Daniel, Michæas &c.) paſſi quidem exſilium ſunt, ſed non diutiùs annis 70.; atque interea non omiſit Deus per Prophetas Jeremiam c. 30. 31. 33. Ezechiel c. 36. 37. illos alloqui, ſolari ſpe reditus, reparatione Civitatis, & Templi, indicato etiam ejus tempore Ierem. c. 25. 15. c. 29. 10. Atqui jam ſunt anni mille circa ſeptingentos, quòd Judæi patria carent, Templo carent, & ſi quando novum ædificare voluerunt, ſemper ſunt impediti: etiam flammarum globis ad fundamenta erumpentibus cum operarum pernicie, quod ab Ammiano Marcellino, ſcriptore non Chriſtiano, memoriæ proditum eſt lib. 23. à Chryſoſtomo lib. 2. adverſus Judæos Homil. 4. in Matth. ſermone *Chriſtum eſſe Deum*. Nunc etiam, ex quo ſemel ejecti patria ſunt, manent extorres, contemti; nullus ad eos venit Propheta, nulla futuri reditus prænunciatio; magiſtri ipſorum, quaſi ſpiritu vertiginis afflati, ad turpes fabulas, & ridicula dogmata delapſi ſunt, quibus ſcatent libri Thalmudici: ut quod Deus fleat, quod urbem paſſus ſit exſcindi, in Thalmude tit. Chagiga in Debbarim Rabba, & in Berachoth; quod Deus quotidiè occupetur in legenda lege Thaanith Abodazara: de Behemotho, & Leviathane, multiſque aliis abſurdis æquè, ac ridiculis; quæ tamen audent dicere legem eſſe ore Dei datam, & cùm iis, quæ Moyſes ſcripſit, conferre, aut præferre etiam. Et tamen tanto tempore Judæi nec ad falſorum Deorum cultum deflexerunt, ut olim; nec cædibus ſe contaminant; nec de adulteriis accuſantur: legis inſuper ſuæ tenaciſſimi ſunt: Deum verò, & precibus, & jejuniis certant placare, in quibus, (ſi iis credendum eſt) merentur, Meſsiam falſum repudiando, nec tamen exaudiuntur. Ergò omnino unum de duobus ſtatuendum eſt: aut fœdus illud per Moyſen initum eſſe prorsùs abolitum: aut univerſitatem

 Ju-

Judæorum aliquo gravi peccato teneri tot jam per ſecula durante: quod quale ſit, ipſi dicant; aut ſi dicere non poſſunt, nobis credant, peccatum illud eſſe contemti Meſſiæ, qui ante advenerit, quam hæc mala contingere ipſis cœperunt.

Hæc ſunt præcipua, quæ contra Judæorum incredulitatem proferri ſolent teſtimonia oſtendentia, eorum religionem jam à ſui veritate excidiſſe ob Meſſiæ adventum. Supereſſet oſtendere illis, hunc Meſſiam fuiſſe Jeſum Nazarenum, quem Religio Chriſtiana profitetur, & colit. Verùm hoc reſervamus, dum religionem Chriſtianam eſſe unicam, ac veram religionem, ſi Deus annuerit, oſtenderimus.

CAPUT IX.

De Religione Mahumetana.

§. I.

Sectæ Mahumetanæ initia, & propagatio.

I. Secta Mahumetana Muhamedem, ſeu Moamedum, aut Mahumetum Auctorem habet. De hujus patria, ac genere non unam omnium ſententiam reperio; quia verò res hæc non eſt magni momenti, brevi dicam ex Natali Alexandro Hiſt. Eccleſ. ſecul.7. c.2. art.2., eum fuiſſe Cyrenæum, qui cùm eſſet puer à prædonibus raptus, & in Arabiam deportatus, Iſmaelitæ cuidam mercatori diviti venditus eſt, cui nomen erat Abdemonaphis, à quo negotiationi præfectus eſt. Mortuo Abdemonaphe in viduæ ipſius amorem ſubintrans, eam habuit uxorem. His nuptiis locupletatus, ac mercaturam dedignans, militiam profiteri, & in ea principatum ambire cœpit. Quod ei benè ceſſit; calliditate enim ingenii, facundia, & largitionibus, prædonum, ac militum quorumdam Saracenorum adeò ſibi devinxit animos, ut Ducem eum eligerent. Verùm dedignatus, ſe tanquam prædonum caput traduci, aliquid altius moliri cœpit. Adjutore Sergio Monacho Neſtoriano, cujus beneficio aliquid de Chriſtiana, ac Judaica religione audierat, novam ex utraque conſarcinatam, variis de ſuo falſitatibus, ac fabulis intermixtam, religionem excogitavit, conſcripſit, ac promulgavit, quam *Alcoran* Arabicè nuncupavit, ideſt collectionem, ſeu volumen præceptorum, ſpargens apud ſuos, eam per Arcangelum Gabrielem cœlitùs ad ſe delatam. Occaſio id confingendi fuit morbus

bus epilepticus, ſeu comitialis, quo interdum vexatus domi corruebat, quem ut occultaret, præcipuè uxori ob id mœrenti, dixit, id ei contingere ex colloquio cùm Gabriele Arcangelo, à quo propheta eſſet inauguratus, & reſponſa acciperet. Fabulam muliercula evulgavit, Sergius approbans teſtimonio ſuo roboravit, atque inter Arabes propalavit, quo arma, fidem, & auctoritatem apud ipſos Mahometo conciliavit. Sectam, quam decem annorum ſpatio parturiverat, novemdecim aliis, vi, ferroque propagavit, imperante Heraclio, Arabiam omnem terrore partim, ac Prophetiæ famâ ad obedientiam trahens, ac fidem. Obiit anno 631. rerum ſumma Abubachari cognato ſuo delata, quo, & Omaro ejus ſucceſſore Ducibus, Arabes Paleſtinam, Syriam, Ægyptum, Perſidem invaſerunt. Sepultus eſt Mahometus in oppido, cui nomen Mecha. Sepulchrum ejus ſublime pendens in medio Templo vi magnetica elatum Mecham religionis ergò incautam gentem frequentiſſimam trahit. Ex Leonico lib.3. de rebus Turcicis.

II. Referet etiam Forbeſius Inſtruct. Theologic. lib.4. cap.1. Cùm Mahometes in oppido Mecha ſua impia dogmata non ceſſaret ſpargere, Magiſtratus loci illius eum, ut hominem nefarium, ac ſeditioſum, comprehendere, ac meritis pœnis mulctare decreviſſe, quo cognito Muhamedes clam aufugit anno 622. die 19. Julii veſpere illo, quod quintam, & ſextam feriam interſecat, & ſe contulit in aliam civitatem Arabiæ modò dictam Medinam, i. Civitatem, in eaque ſui Principatus ſedem fixit. Et à tempore illius fugæ à Mecha computatur initium æræ Mahumeticæ, quam Hagiram, ſive Hegiram vocant vocabulo Arabico, quod fugam ſignificat à verbo Hagar, i. fugit. Et in memoriam illius temporis ſacram ſuam hebdomariam feſtivitatem Mahometani celebrant feriâ ſextâ, ſeu die veneris, cujus initium more Hebræorum cenſetur eſſe in illo veſpere, quo feria quinta deſinit, & ſexta incipit ſole cadente.

§. II.

Mahumetanorum mores, ac inſtituta.

III. Acturus de moribus, ac inſtitutis Mahumetanæ ſectæ ea referam, quæ habet P. Tyrſus p.2. adverſus Mahumetanos lib.1. cap.3.

1. Turcæ inter Mahumetanos celeberrimi credunt in unum Deum Creatorem Cœli, & Terræ, bonorum remuneratorem, ma-

malorum punitorem, qui Paradiſum pro bonis præparavit, pro malis autem infernum, & extremam punitionem.

2. Hunc dicunt eſſe unum, non ſolùm in natura, ſed etiam in Perſona, quare negant Trinitatem Perſonarum.

3. Firmiſſimè credunt, Mahumetum eſſe maximum Dei Prophetam à Deo in orbem delegatum, ut homines viam ſalutis doceret; quare ſe ipſos vocant Muſulmanos, ideſt in Deo reſignatos, aut ſalvatos.

4. Credunt Moſis Decalogum, illumque obſervare tenentur.

6. Dies Veneris illis eſt feſtus, ſicut dies Dominicus Chriſtianis. Hac die conveniunt in Templum ad ſuas orationes. Tenentur quinquies in die orare, mane, meridie, veſpere, occidente Sole, & una hora poſt occaſum Solis.

7. In menſe, ſeu luna apud ipſos, Ramazam jejunium ſervant, quo tempore totum diem jejuni agunt ſine cibo, ac potu, uſque dum Sol occidat. Tunc verò ex omnibus comedunt, ac cibis, potuque ſe onerant, exceptâ porcinâ carne, quæ omni tempore illis eſt interdicta, ſicut & vinum. Hoc jejunio peracto celebrant feſtum magni Bairam, ſicut Chriſtiani Paſcha.

8. In Templis, ac Xenodochiis conſtruendis expendunt plurimum; obliganturque decimam partem lucri quot annis in pauperum eleemoſynas elargiri, & hoc anno inchoante.

9. Sibi perſuadent, corporis lotione, quibuſdam adjunctis precibus, peccata dimitti; quapropter lavantur frequenter, & præſertim antequam ſuas preces faciant.

10. Præter circumciſionem alia ſacramenta non habent, imò nec iſtam præcipit Alcoranus, ſed eam dicunt ſe imitari in venerationem Abrahami, quem Mahometes laudat. Filios non octavo die à nativitate, ut Hebræi, ſed ſeptimo, aut octavo anno circumcidunt, & hoc ſtatim ac proferre poſſunt hæc verba: *La Illa Illa Allha Mahumet Raſulallha* ideſt unus Deus tantum eſt, Mahumet eſt ejus Propheta, & Apoſtolus; ſivè ut refert S. Petrus Paſchaſius Epiſcopus & Martyr Ord. B. Mariæ de Mercede Redemtionis Captivorum in ſuo lib. contra Mahumet. tit, 1. n.118. *Quia eſt ſuper oſtium Paradiſi* ego Deus, & non eſt alius Deus præter me: *Et omnis homo qui dixerit*, Leyla, Heyla, Hallad, Mahomad, Araculu, Alla, nullam habebit pœnam: *Prædictaque verba hoc ſignificare volunt: nullus eſt Deus præter Deum, & Mahometum ejus nuntium.*

11. Credunt, Alcoranum miſſum fuiſſe de cœlo per Angelum Gabrielem variis in locis, ac temporibus ſuo Mahometo, ſivè

ſivè Mechæ, ſivè Medinæ degenti, nam Judæos, & Chriſtianos ſacras litteras, & legem Dei corrupiſſe, ajunt.

12. Permittit illis, ſimul quatuor uxores habere, & tot filios & ancillas, quot alere poſſunt.

13. Uxores dimittere, uti placuerit, poſſunt, ſoluta earum dote, & iterum alias ducere: feminæ tamen expectare tenentur, donec clarè conſtet, eas groſſiores factas non fuiſſe ante nuptias.

14. Mariti tenentur alimenta filiis præſtare, & illorum curam agere.

15. Filii ex ancillis ſuſcepti ejuſdem conditionis ſunt, & legitimi habentur, ac ſuſcepti ex uxoribus.

16. Habent Templa, & Xenodochia longo cenſu inſtructa: inſuper religioſorum Cœnobia auſterè viventium, & ſuis ſuperioribus obedientium; ad Fiſtularum, aliorumque muſicorum inſtrumentorum ſonum ſaltant, ſuaſque preces faciunt.

17. Alii Religioſi ſunt per Orbem vagantes, plerumque nudi, interdùm veſana veſte, pellem in fruſta diſcerpunt: ut Sancti coluntur, ſtipe collecta vivunt, quæ illis nunquam deeſt. Utrique Religioſi Dervis vocantur, & noti ſunt ob peculiarem veſtem: Poſſunt tamen religionem deſerere, & uxores ducere.

18. Nec credunt, Chriſtum eſſe Deum, nec filium Dei, cùm negent Trinitatem. Ajunt tamen, Chriſtum eſſe magnum Prophetam, natum ex Maria Virgine illæſa ejus Virginitate ante & poſt partum, conceptum inſufflatione divina ſine Patre, ſicut Adamus creatus fuit ſine Matre. Negant tamen Chriſtum fuiſſe Crucifixum, ſed ajunt, aſſumtum fuiſſe à Deo in cœlum, iterumque ad terras venturum ante exitium mundi ad confirmandam legem Mahumeti: adduntque, Judæos deceptos fuiſſe, dum putantes, ſe Chriſtum crucifigere, alium illi ſimilem cruci affixerunt.

19. Preces pro mortuis fundunt, Sanctos ſuos invocant, quorum longam ſeriem exhibent: Purgatorium quoddam admittunt; eſtò plurimi illorum putent, animos & corpora ſimul in ſepulchris jacere uſque ad diem Judicii.

20. Mecham, & Medinam Arabiæ urbes, ſeu pagos maximè venerantur; nam Mechæ Mahumetem natum, vel Prophetam factum, Medinæ autem Regem inauguratum credunt. Illuc frequentes ut ad loca ſancta peregrinationes inſtituunt. Plurimi etiam faciunt Hieroſolymam, eo quod ibi plurimi Prophetæ commorati ſint.

21. Cam-

Digitized by Google

21. Campanarum uſus apud eos nullus. Ad horam orationis ſummum Turris faſtigium aſcendunt Sacerdotes, quæ ſemper ad latus Templi (quod Moſcheam dicunt) extollitur. Hinc clara voce populum ad orationem convocant, precibus ad hunc finem diſpoſitis, conclamando. Hæc ex Thyrſo. Videri poteſt Alexandre Hiſt. Eccleſ. ſecul.7. cap.2. art.2. addens inter alia.

1. Mahumetus prohibet ſectatoribus ſuis, ne probationem inquirant eorum, quæ ab ipſo tradita ſunt, neve de ſua religione, aut præceptis ineant diſputationem, aſſerens, hæc eſſe ad ultimum diem remittenda, ita Azoara 32. *Tecum*, inquit, *diſputare volentibus dic, Deum ſolum omnes actus tuos cognoſcere, qui die poſtrema lites omnes, & contrarietates diſcutiet.*

2. Sectatores ſuos paſſim ad bellum hortatur, utque ipſo mortuo religionem armis defendant maximè contra Chriſtianos Azoara *6.* aliaque apud dictum Alexandre & prælaudatum S.Petrum Paſchaſium videnda.

§. III.

Mahumetana Religio falſa eſt. Prima ratio.

IV. PRima demonſtratio convincens falſitatis ſectam Mahumetanam petitur ex eo, quod Mahumetus prohibet inquiri de veritate ſuæ religionis, *Credique ſibi vult nulla inquirendi libertate*. Sic in Alcorano Azoara 13, Sic ergò demonſtro. Vera religio, quæ à Deo ſit, habere debet argumenta ſuæ credibilitatis, quibus homines poſſint induci, & obligari ad credendum, eam eſſe veram religionem, & à Deo datam; implicat enim Deum velle, ut homines amplectantur veram religionem, & non dare illis media, quibus dignoſcere poſſint, quænam ſit vera religio, & quænam ſit à Deo; aliàs nec daretur obligatio illam ſuſcipiendi, nec homines poſſent dignoſcere illam potiùs, quàm oppoſitam eſſe veram, & amplectendam: ſed Mahumetana ſecta, prohibens diſputare, & inquirere de religione, & præcipiens, ne ratione perſuadeantur homines illam amplecti, ſed gladio, & vi cogantur, non habet argumenta, & rationes ſuæ credibilitatis. Ergò non eſt vera religio.

V. Urgetur hoc. Mahometani vel habent rationes, & fundamenta, quibus ſibi perſuadere queant ſuam religionem habere Deum Authorem, vel non habent? Si non habent: ergò temerè eam amplectuntur: nam magna temeritas eſt aliquam religionem, ex qua pendet æterna ſalus, vel damnatio, ut divinam, &

à Deo datam amplecti, quin præcedat prudens fundamentum, quo inducaris ad tibi, & aliis ſuadendum, eam eſſe à Deo. Si habent. Ergò injuſtè prohibent ea proferri. Sanè qui habet nummum aureum, non adulterinum, ſed legitimum & juſti ponderis, illius examen non metuit, nec oculos refugit aurificis, qui explorandis ponderibus præfectus eſt. Ergò ſi Mahumetana religio examen ſapientum timet, & prohibet inquiri, & examinare, an à Deo ſit, non eſt lex à Deo data, ſed à Pſeudopropheta doloſè compoſita, ad ſubjugandos populos, eoſque in propriam ditionem trahendos.

VI. Urgeo magis. Chriſtus veritatem ſuæ religionis comprobabat, tum teſtimoniis Scripturarum, ac Prophetarum; tum ſanctitate præceptorum; eamque miraculis confirmabat: quod præſtiterunt Apoſtoli, & poſt eos viri Evangelici etiam nunc præſtant, ea producendo, & ex iis diſputando contra Chriſti inimicos: ergò cùm Mahumetes nullum ex his habeat, imò vetet ſuis etiam in Alcorano peritiſſimis cùm Chriſtianis, vel Judæis de veritate ſuæ ſectæ diſputare; evidens eſt, impoſtorem iſtum aſtutè id egiſſe, quia probè noverat, ſuæ ſectæ falſitatem vi diſputationis manifeſtè detegendam eſſe; nec poſſe vi prædicationis perſuaderi, eum fuiſſe verum Dei Prophetam ab ipſo miſſum ad promulgandam novam legem; cùm pro ipſo deeſſent Dei teſtimonia, vitæ ſanctitas, morum probitas, & miraculorum comprobatio.

VII. Si fortè dicas, etiam Eccleſiam Romanam, quæ vera Chriſti Eccleſia eſt, interdicere diſputationes de religione, & lectionem librorum ſacrorum, non minùs ac Mahumetanam.

Reſpondeo, hoc falſitatis convinci à tot Romanæ Eccleſiæ profeſſoribus, qui libros de religione conſcripſere, quique ſacros codices interpretati ſunt. Non recuſat ergo Romana Eccleſia, inquirere de Religione, ac de ea diſputari à viris doctis; imò omnibus vult veritatem ſuæ religionis, ejuſque credibilitatem palam fieri. Interdicit quidem promiſcuè de Religione tractare viris illiteratis, mulieribus, & idiotis; ſicut etiam libros ſacros vulgari idiomate tranſcribi, prudenti œconomia, ne myſteria in iis contenta malè intelligentes, in errores abriperentur. Sed hos, quos docere vetat, doceri jubet, ac de credendis eſſe inſtructos, ut omnibus pateat via ſalutis; omnibus nota facit fundamenta credibilitatis ſuæ fidei, ut omnes gaudeant, ſe in veritatis luce verſari. At Mahumetanis & indoctis, & doctis vetitum æquè eſt agere de religione, ac eam in diſputationem, ſeu examen vocare.

§. IV.

Secunda Ratio.

VIII. **S**Ecundo falſitatis revincitur Mahumetana ſecta ex iis, quæ Mahumetes ipſe docet. Fatetur enim Moſen à Deo miſſum, Azoara 5. Jeſum pariter Chriſtum ſive Meſsiam eſſe Verbum, & Spiritum Dei eſſe, deprædicat Azoara 4. 5. 11. 29. 53. & 71. Inſuper Apoſtolos, qui Jeſu diſciplinam primi propagarunt, viros ſanctos fuiſſe, Mahumetes affirmat Azoara 5. 71. Ergò fateri debet ea, quæ Chriſtus Jeſus dixit, ac prædicavit, atque Apoſtoli ejus nomine promulgarunt, quæque Moſes ante Jeſum, & Apoſtolos, ſicut & Prophetæ de Meſsìa prænunciarant, vera eſſe & á Deo; non enim poſſibile eſt, ut qui à Deo miſſus eſt, qui Meſsìas, qui Verbum Dei, quique Spiritus Dei eſt, & qui ejus doctrinam prænunciant, vel prædicant, falſum dicant: & conſequenter fateri debet, omnem doctrinam, Moſis Jeſu ac Apoſtolorum doctrinæ contrariam, falſam eſſe. Atqui Mahometes in Alcorano multa docet contraria doctrinæ Moſis, Prophetarum, Jeſu, ac Apoſtolorum: ergò quæ Mahumetes docet, falſa ſunt.

Iſta minor ſubſumta probanda eſt: Et quidem primò; Ea quæ Moſes ſcripſit, Mahumetes vel corrumpit, vel fabulis intermiſcet Azoara enim 15. Abrahamum Idololatram fuiſſe ſcribit, & ſiderum inſpectione ad unius Dei cultum converſum. Azoara 17. ait, Deum præcepiſſe Angelis, ut Adamum adorarent, & omnes, Beelzebub excepto, paruiſſe. Azoara 2. Templum Mechæ conſtructum fuiſſe, aſſerit, ab Abrahamo. Azoara 3. Gedeonis, & Saulis hiſtoriam confundit. In hiſtoriis Exodi, & Joſephi multa enuntiat diverſa ab iis, quæ ſacri Vates ſcripſere, ut Abrahamum diſſectas aves ad vitam revocaſſe; Mariam Virginem Chriſti Matrem ſororem facit Moyſi, & de divino ejus partu multa fabulatur; ait, ipſam juxta palmam Chriſtum peperiſſe, & ob dolores partus animo defeciſſe, Jeſumque ex utero ejus loquutum, ac juſſiſſe palmæ, ut fructus excuteret, quorum eſu recrearetur, & alia putidiſſima.

Secundo: quæ Jeſus docuit, Mahumetes negat: docuit Jeſus ſe eſſe filium naturalem Dei, id Mahumetes negat: docuit Jeſus Trinitatem Perſonarum, hanc negat Mahumetes. Circumciſionem abrogavit Jeſus & ſubrogavit baptiſmum, Mahumetes baptiſmum rejicit, & admittit circumciſionem. Apoſtoli, & Evangeli-

geliſtæ ſcribunt, Chriſtum Jeſum paſſum, crucifixum, mortuum; Mahumetes Azoara 11. aſſerit, Jeſum clam fuiſſe ſubductum in cœlum, cruci autem fuiſſe affixum quoddam ejus ſimulacrum, ac proindè non fuiſſe mortuum Jeſum, ſed deceptos Judæorum oculos.

IX. Ad hæc, & ſimilia aliud reponere non poteſt Mahumetes, niſi libros, tum Moſis, tum Jeſu, non quales ſcripti fuerant manſiſſe, ſed corruptos fuiſſe. Ita Azoara 9.

Sed contra hanc reſponſionem ſtat Alcoranus ipſe: ait namque c. de Jona: *Si de quibus vobis revelavimus, dubitatis, quærite ab his, qui priùs, quàm nos librum legerunt;* qui autem priùs Mahometo librum legis legerunt, certè ſunt Judæi, aut Chriſtiani: ergò ante Mahumetem Judæi, aut Chriſtiani libros legis non corruperant, aliàs Mahumetes remiſiſſet Suos ad falſos teſtes. Secundo: corruptio illa Scripturarum vel facta fuit communi omnium Chriſtianorum, & Judæorum conſpiratione ſoli Mahumeti nota; & hoc eſt impoſſibile: vel à privatis facta fuit; & ſic manſiſſent in orbe multi codices illibati: cur ergò hos Mahumetani non producunt? Certè ſi quis corruptum Alcoranum diceret, negarent hoc ipſi, idque ſufficere crederent contra non oſtendentem, aut non probantem; & tamen Mahumetani pro integritate Alcorani adferre non poſſent ea argumenta, quæ nos adferimus, oſtendentes ſparſa per Orbem Scripturarum exempla; & quidem non uno Idiomate, ut Alcorani, ſed omnibus idiomatibus; cuſtodita non ſolùm à Chriſtianis, ſed & à Judæis, aliiſque ſectis fide diſcrepantibus, quæ tamen mire concordant cùm iis, quæ nos aſſerimus, & nullum ex iis fabulas continet, quas iis Mahumetes admiſcuit. Ergò ipſe corrupit Scripturas noſtras, non autem nos eas corrupimus.

X. Probatur ſigillatim de unoquoque Teſtamento, non eſſe corrupta: Et primo de Veteri: quæro quando Judæi adulterarint illud? An ante adventum Chriſti, an poſt? Non ante, quia cùm ſcirent, libros ſacros dictante Deo eſſe conſcriptos, eoſque in magna haberent veneratione; maximumque crimen eſſe illis vel Jota adimere, vel adjicere; non eſt credibile, eos auſos fuiſſe adulterare: præſertim cùm nulla ratio odii, aut livoris adfuerit, quæ illos ad tantum ſcelus movere potuerit; antequam enim Chriſtus naſceretur, dici non potuit, Judæos adulteraſſe Scripturas ex odio Chriſti, & Chriſtianorum, aut ex odio Mahumetis impulſos. Addo, quod cùm in Synagoga non deeſſent viri probi, & zelum Dei habentes, vel fortiter obſtitiſſent depravatoribus, vel eos de hoc crimine reprehendiſſent. Fieri

inſuper non potuiſſet, ut omnia prorsùs exemplaria corrupiſſent, quum multa eſſent per orbem diſperſa, varias in linguas translata, & in diverſis Bibliothecis aſſervata. Accedit: ſi Hebræi ante Chriſtum Scripturas corruperunt, cur Chriſtus, cur Apoſtoli eos de tanto crimine non increparunt? Cur Chriſtus ait Joan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas?* Et Matth. 23. 2. 3. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: quæcumque ergò dixerint vobis, ſervate, & facite?* Cui credibile erit, Chriſtum ſine ulla præmonitione ad Scripturas legendas invitaſſe, ſi aliqua in parte fuiſſent corruptæ, aut ad Scribas, & Phariſæos, ſi fuiſſent corruptores, auditores ſuos amandaſſe? Certè ſi Vetus Teſtamentum fuiſſet corruptum, id Chriſtus non ignoraſſet: etenim etiam Mahumete teſte plenus erat ſapientia; Azoara enim 13. dicit: *Quod Deus Chriſtum librum, & ſapientiam, & Evangelium, & teſtamentum edocuit.*

Nec item dici potuit, Judæos poſt Chriſti adventum Scripturas adulteraſſe: nam omnia teſtimonia, quæ à Chriſto, & Apoſtolis citantur, adhuc inveniuntur in Moyſe, ac Scripturis, ut ab illis citata ſunt; ergò ſic legebantur tunc, ſicut modò: ſi autem Judæi corrupiſſent Scripturas, ut Jeſu fidem adimerent, eos potiſſimum textus corrumpere debuiſſent, ex quibus teſtimonium pro ſe Chriſtus, ac Apoſtoli proferebant. Dicendum ergò, neque ante, neque poſt Chriſtum Vetus Teſtamentum fuiſſe corruptum. Hoc argumento uſi ſunt Origenes lib. 8. in Iſaiam, & Hieronymus in cap. 6. Iſaiæ: Et S. Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. Oſtendit, non eſſe credibile, Judæos voluiſſe ſuis codicibus eripere veritatem, ut noſtris detraherent auctoritatem, & etiamsi voluiſſent, non eſſe veriſimile ut potuiſſent.

XI. Quod autem etiam Novum Teſtamentum in ſua veritate illibatum etiam nunc permaneat, oſtenditur primo: nam ſi fuit interpolatum, & adulteratum ab eo, quod Apoſtoli tradiderunt; proferant Mahumetani aliquod Novi Teſtamenti exemplar ante tempora Mahumetis conſcriptum, quod diſſonet à noſtro, & concordet cùm Alcorano; quod cùm ipſi non præſtent, neque unquam præſtiterint, imò omnia exemplaria antiquiſſima de Deo, de Chriſto, contineant ea, quæ continent noſtra, non ſumus nos Novi Teſtamenti corruptores, ſed Mahumetes. Et ſanè quis credat, hoc in mundo accidiſſe, quod omnia Evangelia à Chriſto tradita, omnia Apoſtolorum ſcripta depravata fuerint, & falſata, & quod nullus extiterit in toto orbe Chriſtianus, qui zelum veræ doctrinæ haberet, & litteris proderet Poſteris tantum nefas, ut à doctrina falſa caverent? Vel enim hic generalis cor-

corruptio contigit, Summo Pontifice, & omnibus Chriſtianis in eam conſentientibus, vel aliqui ſaltem ei obſtiterunt. Si primum; ergò omnes à vera fide ante Mahumetem apoſtataverant, & ſic vera Eccleſia perierat; Et conſequenter Chriſtus falſus Propheta fuit, dum Matth.16. dixit, contra Eccleſiam ſuam portas inferi non prævalituras. Si ſecundum, deberet de hac exiſtentia conſtare; deberet dici, quinam, & quando, in quo Concilio obſtiterint, & hanc corruptelam Scripturarum damnarint; quod cùm non appareat, nec unquam apparuerit, dici debet, hanc corruptelam inventum eſſe Mahumetis, ut ſuas præſtigias regat, ac ſimplicibus callidè illudat.

XII. Secundo argumentor ſic: Si Chriſtiani falſarunt Evangelia, & Apoſtolica ſcripta: vel id fecerunt poſt adventum Mahumetis in odium illius, & ut Alcorano auctoritatem detraherent, vel ante adventum illius: neutrum dici poteſt. Ergò &c. Corrupta non fuiſſe poſt Mahumetis adventum, evincunt primo tot exemplaria in omnes penè linguas maximè orientales exarata ante Mahumetum, quæ eadem de Chriſti morte, ac reſurrectione, de ejus Divinitate, ac Trinitate dicunt, quæ nos dicimus. Evincunt ſecundo Patres omnes, qui à Chriſto uſque ad Mahumetem per ſex ſecula de fide Chriſtiana ſcripſerunt, quorum opera modò extant, qui Scripturas, ut modò legimus, recitarunt, ac myſteria, quæ modò credimus, profeſſi ſunt, & docuerunt; ut videre eſt in Juſtino Martyre, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, aliiſque ſequentium ſeculorum Patribus,

Evincunt tertio Concilia ante Mahumetem coacta, quæ damnarunt ut errores putidiſſimos ea, quæ Mahumetes docet ut articulos. Damnatus fuit tertio ſeculo Sabellius, qui abſtulit à Deo Trinitatem Perſonarum dicens, in Deo unam tantum eſſe Perſonam variis nominibus, & muneribus expreſſam. Eodem ſeculo damnatus fuit Paulus Samoſatenus, qui Filii divini Divinitatem oppugnare cœpit; qui error in Ario ſolemni condemnatione proſcriptus poſtea fuit quarto ſeculo in Concilio Nicæno primo: & eodem ſeculo in Conſtantinopolitano primo damnatus fuit Macedonius, quod Spiritui Sancto auferret divinitatem. Quinto ſeculo anathematizatus fuit Neſtorius, qui dum in Chriſto duas perſonas aſſerebat, eum fatebatur eſſe purum hominem. Damnati inſuper Manichæi fuere, qui cum Chriſto veram carnem negarent, conſequenter negabant eum verè fuiſſe mortuum, ac verè reſurrexiſſe. Cùm ergò dictorum Conciliorum Patres hos ut errores damnaverint, quia contrarios doctrinæ Evangeliorum, & ſcriptis Apoſtolorum, evidens

eſt,

eſt, Evangelia, & Apoſtolica ſcripta ante tempora Mahumetis docuiſſe contrarium ejus, quod ipſe docuit, & idem ſemper docuiſſe, quod nos docemus.

XIII. Si fortè Mahumetanus dixerit, non erraſſe Arianos, & Sabellianos, negando Trinitatem divinarum Perſonarum, neque erraſſe Neſtorium negando divinitatem Chriſti: ſed erraſſe Patres, & Concilia, quæ eos damnarunt.

Contra primo. Si Mahumetani ſunt Ariani, & Neſtoriani adhuc fateri debent, Alcoranum ſuum eſſe librum mendacem, quia negat id, quod Ariani, & Neſtoriani conſtantèr fatebantur, nimirùm Chriſtum eſſe paſſum, verè mortuum reſurrexiſſe, circumciſionem ceſſaſſe, baptiſmum eſſe neceſſarium, ac Novum Teſtamentum eſſe purum, & incorruptum. Quod ſi dicat, Arianos, & Neſtorianos veram quidem habuiſſe fidem, dum negarunt Trinitatem, & Chriſti Divinitatem; falſam tamen, qnatenùs credebant mortem, ac reſurrectionem Chriſti, neceſſitatem baptiſmi &c. Contra: ergò ante Mahumetem nulla fuit vera fides apud Chriſtianos, & omnes erant extra viam ſalutis. Nam Chriſtiani, vel erant Catholici, vel erant Ariani, aut Neſtoriani, omnes autem errabant in fide, quia Ariani, etſi non errarent in Trinitate, & Neſtoriani in Divinitate Chriſti, ut tu ſentis, errabant tamen in fide mortis, ac reſurrectionis Chriſti: qui autem habet fidem falſam in uno, extra viam ſalutis eſt, licèt cenſeatur habere veram fidem in alio. Catholici autem ſecundum te errabant, & in fide mortis Chriſti, ut Ariani, & Neſtoriani, & inſuper in fide Trinitatis, & Divinitatis Chriſti, & ſic nulla ante Mahumetem fuit vera Eccleſia. Deindè Arianus negans Trinitatem, & Neſtorianus negans Chriſti Divinitatem loquebatur contra Scripturam; affirmans autem Chriſti mortem loquebatur conformiter ad Scripturam: ergò errabat quidem in primo, ſed non errabat in ſecundo.

XIV. Probatur jam Novum Teſtamentum non fuiſſe corruptum ante tempora Mahumetis. Non enim id potuit fieri in odium Mahumetis, & ut authoritati Alcorani detraheretur, quia neſciebatur, quod in Alcorano docturus erat, imó nec ſciebatur futurum eſſe Mahumetem, quo ergò fine tantum nefas committi potuit? Deindè obſervo, in Evangeliis fusè, & ex inſtituto narrari ea, quæ pertinent ad Chriſti paſſionem, & mortem, ſtrictim autem, ac obiter ea, quæ ejus tangunt divinitatem. Si autem Chriſtiani adulteraſſent Evangelium, credibile non eſt, eos obiter tantum locuturos de gloria ejus Divinitatis, & tanto verborum apparatu deſcripturos ignominiam paſſionis, & mor-

& mortis; imò è contra debuiſſent, quantum poterant, occultare dedecus Crucis, quia id maximè augebat difficultatem credendi, ipſum eſſe Deum (hoc enim teſte Paulo Judæis erat ſcandalum, gentibus autem ſtultitia 1. Cor. 1. 23.) & potiùs amplificare gloriam Divinitatis ejus: cùm ergò oppoſitum fecerunt, id argumento eſt, Evangelia verè, ac ſincerè fuiſſe conſcripta, & ſincera permanſiſſe.

XV. Tertio nec dici poteſt, Evangelia fuiſſe corrupta ab Apoſtolis, nec à Chriſtianis poſt tempora Apoſtolorum. Non primum. Tum quia Mahumeto aſſerente Apoſtoli fuere viri ſinceri, ac fideles: ideoque tanto ſcelere obſtricti eſſe non potuerunt. Tum quia id fieri non potuit, quia cùm Apoſtoli per terrarum orbem diſperſi fuerint, & Evangelia diſſitis in regionibus conſcripſerint, qui poterat fieri; ut in eandem falſitatem conſcribendam convenirent? Qui fieri poterat, ut ad prædicationem falſi Evangelii Deus tot mirabilia patrarit, quanta leguntur facta in actis Apoſtolicis, præſertim ad prædicationem Chriſti Crucifixi Act. 2. 3. &c. & Marci 16. dicitur: *Illi autem* (Apoſtoli) *profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*?

XVI. Quarto nec dici poteſt, corrupta fuiſſe Evangelia à Chriſtianis, qui Apoſtolis ſucceſſere. Primo quia de Divinitate Chriſti conſtat, ad eam declarandam Joannem ſuum ſcripſiſſe Evangelium, & S. Juſtinum, Egeſippum, aliosque, qui viciniores Apoſtolis fuere, eandem, quam modo habent Evangelia, doctrinam tradidiſſe. Secundo poſtquam Apoſtoli ſua conſcripſere Evangelia, ac doctrinam miraculis comprobarunt, quis potuit omnes eorum libros in omnes mundi partes diſperſos ſimul colligere, comburere, aut dilacerare, ac loco illorum alia exemplaria ſupponere fucata, atque adulterata? Id enim non potuerunt facere pauci homines, quia impoſſibile erat, paucos poſſe a toto Chriſtiano Orbe penitus extirpare omnia ſincera, ac vera exemplaria Evangeliorum, & falſa ſubinducere: & quamvis phyſicè poſſent, penitus impoſſibile videtur, à ceteris Chriſtianis hoc permitti; ſi enim multi eorum potiùs elegerunt mori, quàm ſacros Codices tradere, Diocletiano & Juliano imperantibus, ut comburerentur, num credibile eſt, ipſos paſſuros, ut à Chriſtianis ſacri Codices corrumperentur, aut ſaltem non reclamaturos contra corruptores? Multò minùs in tale nefas, credibile eſt, totam Eccleſiam conſenſuram, quæ nimirùm tanto zelo cuſtodivit illibatam Chriſti fidem ab ejus impugnatoribus. Impium eſt credere, doctrinam ab ipſo per Apoſtolos acceptam, tot

tot miraculis confirmatam, & martyrum ſanguine illuſtratam, eam corrupiſse, ac infeciſse.

Si fortè diceret Mahumetanus, ſibi ex Deo revelante conſtare, Alcoranum eſse à Deo Mahumeti per Gabrielem dictatum, ac proindè ea, quæ dicimus nos Alcorano contraria, eſse ab hominibus in divinis libris intruſa, cùm Deus non potuerit contraria revelaſse Mahumeti, ac Apoſtolis. Probandum ergò eſt, Alcoranum non eſse à Deo, & proindè Mahumetem id aſſerentem fuiſse verum impoſtorem.

§. V.

Tertia Ratio.

XVII. Evincitur tertio mendacii Mahumetes, quod falsò ſparſerit, legem ſuam ſibi datam à Deo. Primo quia lex, quæ ſibi contradicit, à Deo non eſt, Deus enim ſecum pugnare non poteſt, ut habetur in Alcorano Azoara 49. Atqui lexMahumetis ſibi in multis contradicit. Ergò &c.Maj. probatur Azoara 2. dicit, Chriſtianos, ac Judæos, & omnes Deum adorantes, & benè viventes ſalvos fore, & mox ſui oblitus Azoara 3. & 5. Mahumetanos damnandos aſserit, ſi à ſua lege deficiant. 2. Azoara 9. neminem ad fidem cogendum, ſcribit, deindè Azoara 18. 19. expugnare, & occidi jubet infideles. Tertio Azoara 57. docet quod *à recta via digreſſis, & in incredulitate mortuis Deus nunquam veniam dabit*, & tamem Azoara præcedente ſcripſerat, Diabolos per Alcoranum convertendos. Quarto reſurrectionem Mortuorum paſſim prædicat; & tamen Azoara 49. quibuſdam nunquam reddendas animas, ſcribit. Quinto Azoara 19. pro incredulis non eſse orandum, aſſerit; Azoara veró 12. pro Judæis orandum, vult, ut ipſis venia concedatur. Innumeras alias contradictiones omitto, quæ legenti Alcoranum paſſim occurrunt. Quomodo igitur potuit eſse à Deo?

XVIII. Secundo ſic probo. Lex Alcorani Deo multa indigna, ac flagitioſa affingit. Ergò à Deo non eſt. Ant. probat. primo Deum inducit Azoara 87. jurantem *per Angelos legationis efficaces, ventoſque ſiccos, & imbriferos, dæmoneſque licitorum, ac illicitorum diſcretores*. Id autem Deo indigniſſimum, ratio demonſtrat. Homines enim per majorem ſui jurant, Deus verò, quo nemo major eſt aut eſse poteſt, per ſe ipſum jurat, ut Vetus, Novumque Teſtamentum in Alcorano commendata teſtantur. Secundo Azoara 43. Deum orare, ait, pro Mahumeto:

ex

ex quo ſequitur, ſuperiorem alium eſſe Deum, ad quem ſuas orationes dirigat. Tertio: Azoara 20. Deo motum localem affingit; dicit enim: *Cælum & Terram ſex diebus creans, & poſtea cælum aſcendens* &c. Quarto: cum inſano amore Mahumetes deperiret uxorem Regis Jacobitarum, inducit Deum ipſi permittentem adulterium, & vagam cùm quibus voluerit mulieribus copulam, etiam conſanguineis, & arbitrarium divortium. Ita Azoara 43., & Azoara 56. fingit, Deum ſibi permiſiſſe juris-jurandi violationem; cùm enim iterum inſanè deperiret præfatam Regis Jacobitarum uxorem, quam deinceps ſe non cogniturum, juraverat, deprehenſus cum illa à duabus ſuis uxoribus, ſic Deum ſuæ libidini ſervientem deſcribit: *Cur tu Propheta ſtatuis illicitum à Deo poſitum licitum ob tuarum mulierum amorem? Deus quidem pius, veniæque largitor, tibi jurejuranda delere præcepit*. Inſuper ſtuprum Zainabæ uxori Zaidi nepotis intulit, deindè eam invito marito duxit (quod ſe mandato Dei feciſſe, ſcribere in Alcorano non erubuit) quo illa tumens, rivalibus ſuis dicere ſolita erat: *Vos maritis conjunxerunt parentes: me vero Deus deſuper ſeptem cælis*. In immenſum irem, ſi omnes obſcænitates, quas Deo affingit impudentiſſimus Mahumetes, & inſuper mendacia, quibus ſcatet ejus Alcoranus, vellem enarrare. Sufficiant hæc, ut vir prudens ſtatuere poſſit, Mahumetanas ſordes non a Deo, ſed fœdiſſimo Cacodæmone revelatas fuiſſe.

§. VI.

Quarta Ratio.

XIX. Quarto Mahumetanæ ſectæ falſitas evincitur hoc ratiocinio: Primis ſexcentis annis à Chriſto ad Mahumetem dabatur aliqua religio vera, in qua homines ſalvari poſſent; evidens enim eſt, Deum omni tempore voluiſſe hominum ſalutem, eiſque paraſſe media, quibus eum colentes ſalutem aſſequerentur. Manifeſtum etiam eſt, iis ſexcentis annis homines non fuiſſe ſalvatos per Religionem Mahumetanam, hæc enim non fuerat ante Mahumetem promulgata. Ergò hæc erat Religio Chriſtiana; quod ſic evinco: nam ante Mahumetem ſolum tres Religiones erant, Leges, aut Fides: Religio, & fides Gentilium, qui Idola colebant; Religio & fides Judæorum, qui Meſſiam expectabant; Religio ac fides Chriſtianorum; quæ unum Deum ac Trinum colebat, & Chriſtum ut verum Deum & hominem à Judæis crucifixum adorabat. At ex his

tribus fides Gentilium erat manifeſtus error; etenim Mahumetes ipſe in Alcorano ſæpè dicit, ſe à Deo miſſum ad exterminandam Idololatriam. Judæorum autem fides poſt adventum Chriſti etiam Mahumeto vana erat, atque inutilis, utpotè quæ Meſsìam expectabat, cùm Meſsìas jam venerit, iſque etiam Mahumete teſte fuerit Jeſus; hunc enim ſæpè repetit fuiſſe Meſsìam in lege promiſſum, inſignem Prophetam, virumque ſanctiſſimum. Quare non poterat Mahumetes probare fidem Judæorum negantium Jeſum fuiſſe Meſsìam, imo verò execrantium eum ut impoſtorem, & blaſphemum; & per conſequens dicere tenebatur, Judæos poſt Chriſtum eſſe extra viam ſalutis. Si ergò aliqua vera religio, & fides erat in mundo ante Mahumetem, in qua homines ſalvari poſſent, hæc eſſe debebat ſecundum ipſum unica Religio Chriſtiana.

XX. Quod ſi fatetur, religionem, ac fidem Chriſtianam illis ſexcentis annis fuiſſe veram, fateri etiam debet fuiſſe verum id, quod ipſa credebat, nimirùm Deum eſſe unum & Trinum, Chriſtum eſſe verum Deum ac verum hominem, à Judæis cruci affixum, reſurrexiſſe &c. Hoc autem conceſſo, neceſſe eſt, ut concedat, fidem Mahumetanam hoc negantem eſſe fidem falſam, erroneam, neque Deum habere Authorem, ſed Diabolum; ac Mahumetem non fuiſſe verum Prophetam, ſed inſignem impoſtorem; ſi enim ante Mahumetem verum erat, Deum eſſe Trinum in Perſonis, & unum in eſſentia; ſi verum erat, Deum factum eſſe hominem, crucifixum, reſurrexiſſe: hoc etiam modò verum eſſe debet, cùm Deus ſubito mutatus non ſit, & propoſitio de præterito ſemel vera, ſemper permaneat vera. Hoc argumento, quod ſuum facit P. Thyrſus, aſſerit plures Mahumetanos fuiſſe ad fidem Chriſti converſos p.2. adverſus Mahumetanos lib.2. cap.1.

XXI. Verum ait ipſe lib.3. cap.1., huic ratiocinio, quemdam Maurum reſpondiſſe, legem Chriſti fuiſſe quidem ſanctam, & à Deo datam: ceterùm non duraſſe, niſi uſque ad adventum Mahumetis: ſicut lex Moyſis fuit ſancta, & à Deo lata per Moyſem, tanquam per legatum & nuncium Dei; & tamen non duravit niſi uſque ad adventum Chriſti. Ajebat ergò Maurus ille, has tres leges à Deo deſcendiſſe, & Moſen, & Chriſtum, & Mahumetem fuiſſe Dei Prophetas, & veras leges publicaſſe. Ceterùm duas priores jam ceſſiſſe, & abrogatas fuiſſe, ſolamque nunc in mundo veram eſſe legem Mahumetis.

XXII. Hæc eſt communis perſuaſio Mahumetanorum, qui Alcoranum exponunt, hujuſque abrogationis legis Chriſtianæ, & ſub-

Digitized by Google

& ſubrogationis Mahumetanæ dicunt præceſſiſſe figuras, tum in Veteri, tum in Novo Teſtamento: in Veteri quidem verbis Moyſis Deuteron. 33. 2. *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex*. In novo etiam verbis Chriſti Matth. 20. in illa parabola de Patre-familias, *qui exiit primo mane, conducere operarios in vineam ſuam*, quam parabolam Muhammedus filius Iſmaelis cognomento Albocharius p. 3. Alcoranicarum Traditionum refert, à Mahumeto Propheta ſuo ita eſſe expoſitam: *Data fuit lex* (Moſaica) *cultoribus legis, qui operati ſunt in ea uſque ad meridiem; deindè delaſſati ſunt, & acceperunt ſinguli denarium. Deindè traditum eſt Evangelium cultoribus Evangelii* (ideſt Chriſtianis) *qui operati ſunt in eo uſque ad nonam, deindè delaſſati ſunt, & acceperunt ſinguli denarium. Tandem datus eſt nobis Alcoranus, & operati eſtis in eo uſque ad occaſum ſolis, & accepiſtis ſinguli binos denarios. Quamobrem dixerunt Scripturales* (Chriſtiani, & Judæi) *iſti minus operati ſunt, quàm nos, & plus acceperunt mercedis. Reſpondit Deus: num feci vobis injuriam aliquid detrahens de mercede veſtra? Reſponderunt: Non. Dixit Deus. hæc eſt gratia mea, quam dabo, cui allibuerit*.

Hoc idem fatetur Mahumetes in Alcorano Azaora 57., cujus titulus eſt: Elhadid, ideſt ferrum ſ. 27., ubi nomine Dei ita fatur: *Etiam quidem miſimus Noë, & Abraham, & poſuimus in generatione eorum Prophetiam, & librum: & inter illos quidam fuerunt directi, multi verò exerraverunt. Horum veſtigia ſubſequi fecimus legatos noſtros, & ſubſequi fecimus Jeſum filium Mariæ, & dedimus ei Evangelium, & poſuimus in cordibus eorum, qui ſecuti ſunt eum, pietatem, & miſericordiam... Sed non ſervaverunt eam eo modo, quo debebant. Nos autem dedimus illis, qui ex eis crediderunt, mercedem eorum: at multi ex eis prævaricati ſunt*. Idem ſentiunt Alcorani expoſitores. Uno verbo. Cenſent Judaicam, Chriſtianam, & Mahumetanam Religionem fuiſſe eandem Religionem, habuiſſe tantum diverſas leges, omnes tamen ſanctas, & à Deo datas. Ita vulgò Mahumetani.

XXIII. Sed infeliciter; diſcurſus enim ſupra factus contra eos ſemper ſtat invictus. Ex legibus enim loquentibus contradictoria, & ſibimet repugnantia, oportet, ut una ſit â Deo, alia non, nec poſſent ambæ à Deo revelante prodiiſſe, quia Deus per unum Prophetam nequit prius revelare unum myſterium, & per alium poſtea revelare oppoſitum. Cùm ergò lex Mahumetana proponat, ut à Deo revelata myſteria contraria iis, quæ Deus revelaverat per Prophetas antiquos; imò iis, quæ Chriſtus ipſe

revelavit, oportet, quod, vel lex Moſaica, & Evangelium à Deo non fuerit, vel quod à Deo non fuerit lex Mahumetis; cumque Mahumetes fateatur legem Judæorum, ac Chriſtianorum à Deo fuiſſe, tenetur concedere legem ſuam à Deo non fuiſſe. Quod verò lex Mahumetana proponat contraria revelatis à Deo per Prophetas, & per Chriſtum, jam oſtendi; Deus enim per Prophetas antiquos revelavit, Meſsiam moriturum, ac reſurrecturum, Mahumetes autem Jeſum fatetur eſſe Meſsiam à Prophetis prænunciatum, & tamen negat, eum fuiſſe mortuum. Rursùs Chriſtus apertè docuit, ſe eſſe verum Deum ac Filium Dei; docuit, tres in Deo dari Perſonas, idque Chriſtiana fides ut verum ſemper tenuit: Mahumetes autem, qui Chriſtum fatetur fuiſſe verum Prophetam, id pertinaciter negat. Quod ſi Mahumetani dicunt, Evangelia, quæ modo ſunt, non continere veram doctrinam Chriſti, ſed fuiſſe ab antiquis corrupta, jam hæc futilis evaſio ſupra abundè præcluſa eſt.

XXIV. Hinc Lex Chriſtiana benè potuit ſuccedere legi Moſaicæ, non autem lex Mahumetana legi Moſaicæ, & Chriſtianæ; quia, ut vidimus, lex Mahumetana contradicit legi Moſaicæ, & Chriſtianæ, Lex verò Chriſtiana non contradicit, ſed benè concordat legi Moſaicæ. Nam Chriſtus ipſe Matth. 5. 17. 18. proteſtatur: *Nolite putare, quoniam veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Imò ipſe, quamdiù lex illa viguit, exactè obſervavit; circumcidi enim voluit; quot annis ad Templum aſcendebat, eamque à ſuis obſervandam procuravit. Eam quidem abrogavit, non ſolvendo, ſed adimplendo, nimirùm veritatem, quam illa promittebat, re ipſa exhibendo, non violando, ſed perficiendo: ſicut pictor dum imagini inchoatæ, & extremis tantum lineamentis adumbratæ, ultimam apponit manum, & colores adhibet, priorem quidem imaginem abolet, & novam inducit, abolet autem, non diſſolvendo, ſed abſolvendo, non delendo ſed perficiendo.

XXV. Quare lex Moſaica, & Chriſtiana, ne dum oppoſitæ non ſunt, verùm ſi ſpectentur ex parte finis, eadem lex ſunt, licèt ſe habeant tanquam duæ, ſi ſpectentur media, per quæ homines ad finem perducunt. *Sicut enim* (ait D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 5. ad 1.) *Pater-familias in domo alia mandata proponit pueris, & alia adultis: ita etiam unus Deus in ſuo regno aliam legem dedit hominibus adhuc imperfectis exiſtentibus, & aliam perfectiorem jam manuductis per priorem legem ad majorem capacitatem divinorum*. Sicut ergò homo puer ab adulto non differt, niſi ſecundùm ſtatum, ſed ſubſtantialiter eſt idem homo: ita lex Moſaica, & Chri-

Chriſtiana ſunt eadem lex, differens ſecundum ſtatum perfectum, & imperfectum. *Lex nova* (ait idem D. Thom. 1.2. q. 107. a. 1.) *Non eſt alia à lege veteri* (nimirùm ſi conſiderentur ex parte finis, ad quem ordinant) *quia utriuſque eſt idem finis, ſcilicet ut homines ſubdantur Deo: eſt autem unus Deus, & novi, & veteris Teſtamenti ſecundum illud Rom. 3. Unus Deus eſt, qui juſtificat Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Si autem conſideretur ſecundum proquinquitatem, vel diſtantiam à fine, *lex nova alia eſt à veteri, quia lex vetus eſt quaſi pædagogus puerorum, ut Apoſtolus dicit ad Galat. 3. Lex autem nova eſt lex perfectionis, quia eſt lex caritatis, de qua Apoſtolus dicit ad Coloſſ. 3. quod eſt vinculum perfectionis.*

XXVI. Quamquam autem aliqua præcepta dederit Deus in illo ſtatu legis veteris, quæ adveniente, & jam promulgata nova lege ceſſarunt; tamen Deus non revelavit de ſe ipſo in lege veteri aliquid, quod poſtea in lege nova negaverit, vel ejus oppoſitum revelaverit, ſed omne, quod in lege Veteri ſub figuris, & umbris prænunciavit, in lege Nova impletum eſt, & apertè manifeſtatum. Sic in Veteri ſubobſcurè Trinitatem Perſonarum indicavit, non manifeſtè, ne populus ille rudis indè ſumeret occaſionem exiſtimandi tres Deos: hujus claram manifeſtationem reſervavit tempori legis Novæ, quo miſit Unigenitum ſuum in mundum, ut ipſe, qui eſt in ſinu Patris, hominibus jam adultis enarraret. Quia (ait D. Thom. 4. contra g. cap. 55.) *hoc requirit conditio humanæ naturæ, ut non ſtatim ad perfectum ducatur, ſed manuducatur per imperfecta, ut ad perfectionem perveniat: quod & in inſtructione puerorum videmus, qui primò de minimis inſtruuntur, nam à principio perfecta capere non valent. Similiter etiam ſi alicui multitudini aliqua inaudita proponerentur & magna, non ſtatim caperent, niſi ad ea aſſueſcerent. Sic igitur conveniens fuit à principio, ut humanum genus inſtrueretur de iis, quæ pertinent ad ſuam ſalutem per aliqua levia, & minora documenta per Patriarchas, & legem, & Prophetas: & tandem in conſummatione temporum perfecta doctrina Chriſti proponeretur in terris, ſecundum quod Apoſtolus dicit ad Galat. 4. At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum in terris. Et ibidem dicitur, quod lex pædagogus noſter fuit in Chriſto; ſed jam non ſumus ſub Pædagogo. Simul etiam conſiderandum eſt, quod ſicut ad adventum magni Regis oportet aliquos nuncios præcedere, ut præparentur ſubditi ad eum reverentiùs ſuſcipiendum, ita oportuit adventum Dei in terras multa præcedere, quibus homines eſſent parati ad Deum incarnatum ſuſcipiendum. Quod quidem factum eſt, dum per præcedentia promiſſa, & documenta hominum mentes diſpoſitæ ſunt, ut facilius ei crederent,*

derent, qui antea prænunciatus erat, & deſiderantiùs ſuſciperetur propter priora promiſſa. Hæc D. Thomas videndus, & ibi c.57.

Poſtquam autem Chriſtus venit, ceſſare debuerunt promiſſa, & conſequenter etiam præcepta judicialia, & cæremonialia; tum quia erant purè figurativa adventus Chriſti futuri, tum quia, cùm eſſent ut leges municipales ſeparantes Judæos à Gentibus, debuerunt aboleri, quando venit Chriſtus, qui in eis præfigurabatur, & veniebàt ad ſalvandos omnes, & congregandam unam Eccleſiam ex Judæis, & Gentilibus juxta illud Pauli ad Epheſ. 2.14. *Qui fecit utraque unum*.

XXVII. His ita explicatis cohæret benè, quòd lex Chriſtiana ſucceſſerit legi Moſaicæ; non autem quòd legi Chriſtianæ ſucceſſerit lex Mahumetis. Primo quia benè poteſt Deus uno tempore revelare aliquod myſterium, quod in alio non revelavit; neque tamen illud ipſum, quod priùs de ſe revelavit, & affirmavit ita eſſe, poſtea negare; alias, vel Deus mentiretur, & ſibi contradiceret, vel Deus in ſe mutatus eſſet. Porró in lege Chriſti, etſi aliqua apertè manifeſtata ſint, quæ in lege Veteri vel non erant manifeſtata, vel ſaltem non clarè, ut Trinitas, & Verbi divini Incarnatio; nihil tamen in ea negatur eorum, quæ priùs erant revelata, ſed adamuſſim confirmantur, dum implentur. Verùm, ut vidimus, in lege Mahumetis profertur ut revelatum, & negatum à Deo id, quod ab ipſo per Chriſtum fuit affirmatum, & ideo eſt lex legi Chriſti contraria, non illam conſummans, & illi ſuccedens.

XXVIII. Secundo quia ſi lex Mahumetis ſuccederet Chriſtianæ, ſicut Chriſtiana ſucceſſit Moſaicæ; debuiſſet lex Chriſtiana diſponere ad legem Mahumetis, ut ad perfectiorem, ſicut lex Moſaica diſpoſuit ad Chriſtianam; Deus enim, ut ſupra dicebamus, conſuevit hominem diſponere, manuducendo ipſum ab imperfecto ad perfectum; atqui lex Mahumetis non eſt perfectior lege Chriſti, Chriſtus enim in Evangelio docuit altiſſimam vitæ ſanctimoniam in ardenti Dei dilectione poſitam, & ad eam aſſequendam altiſſima dedit conſilia contemnendi divitias, honores, & delectationes carnales, abnegandi ſe ipſum, tollendi crucem ſuam, diligendi inimicos, & exercendi perfectiſſima omnium virtutum opera, patientiam, humilitatem, temperantiam, continentiam, quorum omnium ſeſe exhibuit Chriſtus exemplar perfectiſſimum. Hanc autem perfectionem lex Mahumetis non præcipit, nec conſulit. Deum ſuper omnià diligendum negat Azoara 2. ſed ſolum æqualitèr, aut plùs quàm patrem: dilectionem inimicorum prohibet Azoara 60., & immane illud

illud ſtatuit principium Azoara 52. *Vindicans ſe poſt injuriam illatam nequaquam reus exiſtit*: imò reddendum malum, pro malo, & eaſdem injurias, quas ab aliis ſui fideles patiuntur, illis reponendas docet. Videtur quidem terrenarum opum contemtum prædicare Chriſti ſimia Azoara 38. 51. & 18. attamen effuſas à Deo delectationibus carnis habenas laxat, ut licèt raptum, ac fornicationem damnet, atque execretur Azoara 8., uxores tamen plures ſimul ducere permittat, earum numerum pro facultate cujuſque temperans. Viris dimittere licere aſſerit eas, quas non dilexerint Azoar. 8. 9. tantumque abeſt, ut conſulat virginitatem, ut ejus obſervantiam cenſeat impoſſibilem, dicens in Alcorano: *Nocturnos coitus cùm mulieribus promittit nobis Deus, ſciens nobis hujus rei abſtinentiam, tum difficilem, tum impoſſibilem eſſe;* imò Paradiſum ſuum in carnalibus, & corporeis ejuſmodi voluptatibus ſtatuit Azoaris 23. 28. 54. 57. 62. & 65. Quapropter Mahumetani dicunt, Chriſtianam legem nimis arctam, & ſpiritualem eſſe, ac ſapienter egiſſe Altiſſimum mittendo Mahumetem cùm lege laxa, & facili, & Mahumetes ipſe ſe miſſum à Deo dicebat, ut legem Chriſti nimis auſteram emolliret. Si verò vitam Mahumetis inſpicimus, quid intuebimur, niſi rapinas, fraudes, adulteria, effuſamque libidinis intemperiem? Hæccine ergò erat lex, hic legiſlator, qui ſuccedere debebat Chriſto, ejuſque legem ſolvere, atque abrogare?

XXIX. Tertio Dei leges maximè ſunt inter ſe connexæ, & mutuum ſibi perhibent teſtimonium: ſic Moyſes Chriſto, Chriſtus Moyſi ſuffragatur: ſic lex Moſaica prænunciat de Chriſto, & ex hoc demonſtramus, Chriſtum eſſe legis implementum & finem, quem tota lex Moſaica adſpiciebat. At inter legem Moſis & Chriſti nulla connexio eſt cùm lege Mahumetis, nec Moſes, aut ullus Prophetarum, nec Chriſtus maximus Prophetarum Mahumeti teſtimonium perhibuit, aut ejus legi. Imò Chriſtus Lucæ 16. *Lex*, inquit, *& Prophetæ uſque ad Joannem*, ut indicaret, nullum poſt Joannem Prophetam futurum, qui de altero ad mundi reformationem mittendo eſſet vaticinaturus. Ergò &c.

XXX. Reſpondent Mahumetani, Chriſtum de Mahumete vaticinatum fuiſſe his verbis, quæ in Alcorano leguntur Azoara 71. *O filii Iſrael! Ego vobis à Deo miſſus nuntius, quod de teſtamento, meis ideſt manibus affirmo, vobiſque nuntium affero de nuntio poſt me venturo, cui nomen Mahometus*; quæ verba à Chriſtianis ex Evangelio doloſè abraſa fuerunt. Rursùs Joann. 14. 16. ubi nos legimus: *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum da-*

dabit vobis, idque corruptè, ante legebatur *Muhammed*, quaſi Chriſtus dixerit, & *Mahometem dabit vobis*.

XXXI. Verùm hæc ſunt inſignia mendacia. Primo quia Evangelia, quæ modò habemus, jam oſtendi, eſſe eadem, ac incorrupta, quæ Apoſtoli conſcripſerunt, ac proindè ſi in noſtris Evangeliis non leguntur verba, quæ proferunt Mahumetani, evidentius eſt, ea non fuiſſe prolata à Chriſto, ſed à Mahumete. Secundo: nomine Paracliti à Chriſto promiſſi non eſſe intelligendum Mahumetem, certum eſt; nam adventus illius Paracliti futurus erat intra paucos dies Act.1.15. *Non poſt multos hos dies*: Mahumetes autem venit poſt ſexcentos annos. Rursùs Paraclitum promiſit Chriſtus Apoſtolis, ut eos inſtrueret Joan. 14. 26. *Ille vos docebit, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*: Mahumetes autem Apoſtolos non docuit. Tertio, quia Chriſtus dixit, illum Paraclitum eſſe inviſibilem, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum, Mahumetes autem viſibilis fuit. Dicant potiùs, & verum dicent, Mahumetem fuiſſe à Chriſto prænunciatum Matth.24. 11. cùm ait generaliter: *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos*.

XXXII. Nec minus mendacium eſt, quòd, ut ſupra retulimus, Mahumetani putant, ſe prænunciatos fuiſſe in Deuteronomio cap.33. v.2., ibi enim loquitur de lege, quam acceperat à Domino in Sina, unde ait *Dominus de Sinai venit*, qui ideo dicitur ortus de Seir, & apparuiſſe de Pharan, quia, vel hi duo montes à Sinai vertice cernebantur; vel quia ex iis primo apparuit fulgor Dominum circumdans, qui poſtea in Sina reſedit; quæ lex dicitur ignea, quia inter flammas ignis coruſcantis data, quare: vel quia duo præcipua ejus præcepta ignea ſunt, quia præcepta amoris erga Deum, & proximum. Si ergò hic agit Moſes de lege Moſaica, quo fundamento eum trahunt Mahumetani ad legem Alcorani? Moſes loquebatur de re jam præterita: *Dominus venit, ortus eſt nobis, apparuit* &c., ſi locutus fuiſſet de Mahumete, debuiſſet, ut de re futura dicere: *Veniet, orietur, apparebit*. Quoad parabolam autem operariorum Matth. 20. Undè probant Mahumetani, in undecima hora vocatis indicaſſe Chriſtum Mahumetis ſectatores? Horis illis prima, tertia, ſexta, nona, & undecima indicare voluit Chriſtus mundi ætates, quarum prima fuit ab Adam uſque ad Noè, tertia à Noè uſque ad Abraham, ſexta quoque ab Abraham uſque ad Moyſen: nona autem à Moyſe uſque ad adventum Chriſti; undecima verò ab adventu Chriſti uſque ad finem mundi: ita cùm

S. Gre-

Digitized by Google

S. Gregorio homil. 19. in Evangelia omnes Interpretes: quam parabolam induxit Chriſtus, ut oſtenderet, Chriſtianam Eccleſiam ex Gentilibus collectam, quamvis tempore poſtremam, exaltandam tamen fore ſuper Eccleſiam Hebræorum, quamvis tempore, & vocatione antiquiorem; imo eam, quæ erat prima, fore noviſſimam, quia Meſsiam repulit; quæ verò erat noviſſima, futuram primam, quia Meſsiam ſuſcepit.

Verùm oſtendo, ex mente Chriſti, vocatos hora undecima non fuiſſe Mahumetanos, & conſequenter Mahumeti religionem non ſucceſſiſſe Chriſtianæ, ſic: qui proteſtatur, legem ac religionem ſuam duraturam uſque ad finem ſeculorum, nullam admittit religionem, quæ ſuæ religioni ſuccedat: at Chriſtus in Evangelio proteſtatur, Religionem, & Eccleſiam ſuam duraturam uſque ad finem ſeculorum. Ergò nullam &c. Mi. probatur 1. teſtimonio Gabrielis Lucæ 1.31. &c. ubi annuncians Mariæ conceptionem Jeſu ait: *Vocabis nomen ejus Jeſum: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*. Quomodo ergò Gabriel, qui Mariæ prædixit, Chriſti regnum non habiturum finem, poſtea Mahumeti prædixit, illud habuiſſe finem in Mahumete? Hoc idem præcinuerat Daniel cap. 7. 14. ubi de Jeſu Meſsia ait: *Poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*. Idem Michæas cap.4. v. 7. Rursùs Chriſtus ipſe Matth. 27. 20. promiſit, ſe adfuturum ſuis fidelibus non uſque ad 600. annos, ſed uſque ad finem mundi: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*: in fine mundi, dicit, ſe venturum Judicem omnium vivorum Matth. 16. 27. Marci 13. 26., Lucæ 21. 27., Act.3. 20., Rom.2.16., cap.14. 10., 2. Cor. 5. 10. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti &c.* Cùm autem Judicium non exerceatur, niſi in ſubditos: hinc evidens fit, Chriſtianos, & eorum fidem permanſuram uſque ad ſeculorum finem: ideoque undecima hora noviſſimos vocatos eſſe Chriſtianos, Mahumetanos autem eſſe à Deo in æternum reprobatos.

§. VII.

Quinta ratio.

XXXIII. Quinta demonſtratio ex præcedenti deducta ſic proponitur. Si Mahumetana Religio eſſet vera Religio ſuccedens Hebraicæ, atque Chriſtianæ, ut ajunt ejus pro-

profeſſores, debuiſſet Deus ejus veritatem ſignis, atque prodigiis confirmare, ac Mahumetem nuncium ſuum atque Prophetam eſſe, illis teſtificari; ſed Mahumetana lex nullis prodigiis confirmata fuit, neque Mahumeti vis miraculorum collata fuit, nam Azoara 13. Deum ſic ad ſe loquentem inducit: *Tu quidem nequaquam ad eos cùm Dei miraculis manifeſtis venies, quoniam ea velut odioſa, atque contraria rejiciunt, & veritati ad ſe venienti contradixerunt*; undè armis pro miraculis uſus eſt Mahumetes, prædamque & bellum ſuis ſectatoribus præcepit Azoara 10. & 12. Ergò non fuit vera Religio. Maj. probatur: Conſuevit Deus, quoties voluit hominibus aliquid novi, atque inſoliti per nuncios ſuos indicere, ut ſcirent ſe eſſe, qui per illos loquitur, ac ut miniſtris ſuis conciliaret fidem atque auctoritatem, eorum dicta ſignis atque miraculis munire: ſic dum Moſem delegavit ad Pharaonem pro libertate populi, ut Ægyptii noſſent, eum à Deo mitti, dedit ei virgam prodigiorum operatricem Exod.4. Dum ei in Sina legem dedit Exod.19., tali fulgurum tonitruum ac ſignorum apparatu eam tulit, ut omnis populus manifeſtè dignoſceret, Deum eſſe, qui cùm Moſe loqueretur. Sic dum Chriſtus Jeſus in mundum advenit, teſtificans ſe eſſe filium Dei ac Meſsiam, ſignis ac prodigiis comitantibus atque atteſtantibus venit; quare Joannis Baptiſtæ diſcipulis hæſitantibus Matth.11. 3., num ipſe eſſet, qui expectabatur Meſsias, non alio argumento eis demonſtravit, ſe eſſe, niſi teſtimonio miraculorum dicens: *Ite renunciate Joanni: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur &c.*; eademque poteſtate munivit Apoſtolos ſuos, ut ſignis ac miraculis fidem ſuam mundo confirmarent Marci 16. v.17., & 18., quæ in Actibus Apoſtolorum, & Chriſtianorum hiſtoriis paſſim leguntur.

XXXIV. Neque valet ſubdolum Mahumetis effugium: nimirùm, Deum illum non miſiſſe cum miraculorum potentia, quia homines increduli iis adhuc contradixiſſent. Nam ſciebat Deus, Pharaonem adhuc viſis prodigiis contradicturum; imò Deus ipſe hoc idem prænunciavit Moyſi Exod.7.3. *Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo ſigna, & oſtenta mea in terra Ægypti: & non audiet vos*; & tamen multiplicavit coram Pharaone prodigia. Noverat & Chriſtus, Hebræos incredulos manſuros, & tamen miracula coram illis egit innumera, ſed quare? Quia iis viſis magis aggravabatur incredulitas eorum, & omnis excuſatio ab iis auferebatur, dicente ipſo Joann.15.24. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Cur ergò eadem ratione non decuit, ut vim faciendi miracula Mahumeti con-

conferret, ſi ab eo mittebatur? ut nimirùm qui noluiſſent credere, excuſationem de ſua incredulitate non haberent?

XXXV. Reſpondebunt fortè, miraculum eſſe, idque non modicum, Mahumeti legem ſine miraculis ſuſceptam, ac propagatam fuiſſe, adeo ut maxima orbis pars eam profiteatur: ſicut miraculum nos credimus, duodecim homines rudes religionem Chriſtianam toto orbe effudiſſe: Miraculum etiam eſſe continua Imperii Othomanici incrementa, & frequentes victorias, quibus regna, ac dominia olim à Chriſtianis poſſeſſa ſibi ſubjugavit. Hoc maximum teſtimonium eſt pro veritate Mahumetanæ Religionis.

XXXVI. Vanitatem tamen hujus reſponſionis oſtendere, operoſum non eſt. Quodnam enim verò miraculum eſt, armis, cædibus, rapinis ſubdi gentes novi Imperii, ſeu potiùs tyrannidis, novæque religionis jugo? Imò quid mirum, ſi homines eam legem ſua ſponte amplectuntur, quæ nihil non indulget ſenſibus, & cupiditati, ſecundam quam longè major pars hominum vivit, quam ſecundum rationem? Hujuſmodi autem eſt Mahumetana lex. At miraculum eſt, & quidem maximum, quod Religio, quæ proponit myſteria ſapientibus ſeculi incognita, & rationi humanæ impervia, quæ ſenſibus bellum indicit, & cupiditatibus refrænandis incumbit tota, quæ res præcipit difficiles, & arduas, ad quas nulla eſt in natura, & indole propenſio, imo repugnantia maxima, ut eſt pœnitentia, & mortificatio carnis, inimicorum dilectio &c., orbe toto ſtabilita ſit, in contrarium fremente humana potentia, idque non gladio, ſed verbo, non Philoſophorum diſputationibus, ſed prædicatione hominum vilium, atque illiteratorum; qui tantum abeſt, ut incredulis mortem intulerint, quin potiùs ipſi pro veritate religionis, quam annunciabant, perſecutionem, ac mortem invicta conſtantia ſuſtinuerint, cùm ipſi, tùm Chriſtiani ab eis facti: adeout Auguſtino teſte Eccleſia Chriſti perſecutionibus creverit, ac martyriis coronata ſit. Hoc modo, equidem miraculum eſt, religionem propagari; ſed ita certè non fuit propagata Mahumetana.

Non minùs inane eſt argumentum à Turcici Imperii incrementis depromtum; crevit enim Turcicum Imperium armorum vi, ac licentiâ vitiorum. Sæpè quidem vicerunt Mahumetani, ſed ſæpè etiam victi ſunt. Cum vicerunt, nullo vicere miraculo, quia ſemper numero Chriſtianis ſuperiores. Vicerunt eos Chriſtiani cùm exigua militum manu, Deo pro ipſis pugnante. At quid moror? Si felices bellorum eventus, & victo-

Digitized by Google

riæ veritatem religionis demonſtrarent, veram dicere deberemus fuiſſe religionem Græcorum, ac Romanorum, dum Idola colebant, quia tunc orbi dominabantur; falſam autem religionem Hebræorum, qui verum Deum colentes ſæpè ab Infidelibus fuſi ſunt, Deo illis propter peccata irato. Non ergò ex victoriis frequentibus, & Imperii incremento ſumi poteſt argumentum pro veritate religionis, neque miraculo adſcribi Turcici Imperii potentia.

XXXVII. Dicunt Mahumetani, Prophetam ſuum multa patraſſe miracula, multiſque ſignis ſe miſſum à Deo probaſſe: primò Mahumeti quadrienni Angelus Gabriel pectus aperuit, & cor extraxit, mundavitque à gutta nigra, quam ait omnes homines habere in corde: Secundò cum eſſet ſeptemdecim annorum, & camelos domini ſui duceret, Deus miraculosè illum protexit nube, ne à nimio ſolis ardore ureretur: Tertiò, quod illum ſæpè Angelus viſitavit: Quartò, quod illum redeuntem ex colloquio cùm Angelo arbores, aves, & lapides ſalutaverint, arboreſque ab ipſo vocatæ accurrerint, ut ei umbram facerent: Quintò, quod patruo ejus, aliiſque petentibus, ut coram eis miraculum faceret, Lunam diviſit, iterumque conjunxit; hinc Turcæ lunam venerantur, eamque præferunt in vexillis: aliaque multa, quæ narrant Joannes Andreas in ſuo opere contra Alcoranum, Cornelius à lapide in cap. 13. Apocalypſis.

Verùm in hoc primò Mahumetes ſibi contradicit; ſi enim tot prodigia ejus gratia Deus patravit, quare, ut ſupra dicebamus, induxit Deum ſibi dicentem: *Tu quidem nequaquam ad eos cùm manifeſtis miraculis venies?* Secundò, tam inſignium miraculorum cur nec unum quidem teſtem profert, ſed omnia narrat, remotis arbitris ſibi accidiſſe; & unicum miraculum de diviſione, & conjunctione lunæ, quod præſente patruo, aliiſque narrat contigiſſe, cur ſolum tunc enarrare cœpit, quum jam mortui eſſent ii, quos præſentes fuiſſe dicit? Sanè qui ejus dicto non credit, nec miraculis illius credet, quia unico ejus dicto munitis. Non ita fecit miracula Jeſus, non ita ejus Apoſtoli, non ita Martyres, qui ea patrarunt, non coram duobus, ac tribus teſtibus, ſed tota ſpectante ac mirante multitudine; nec miracula illorum legimus ab iis conſcripta, qui ea fecerunt, ſed ab aliis: Dicendum ergò, miracula Mahumetis fuiſſe à ſuo authore conficta, ut declinaret hominum, & maximè Judæorum, murmur, qui eum non eſſe Prophetam deprædicabant, quia non habebat miracula faciendi poteſtatem.

§. VIII.

§. VIII.

Sexta Ratio.

XXXVIII. Sextò demonſtratur falſa lex Mahumetana, quia Alcoranus docet, unumquemque poſſe in ſua ſecta ſalvari, Chriſtianum in Chriſtiana, Judæum in Judaica, Mahumetanum in Mahumetana, ſic enim legitur Azoara 2. *Omnis rectè vivens Judæus, ſeu Chriſtianus, ſeu lege ſua relicta ad aliam tendens, omnis ſcilicet Deum adorans, bonique geſtor, indubitantèr divinum amorem aſſequitur.* Sic ergò diſcurro: lex, quæ docet, hominem in fide, ac religione falſa poſſe ſalvari, eſt lex falſa, & à Deo eſſe non poteſt; at lex Mahumetana docens, hominem in religione, ſivè Judaica, ſive Chriſtiana, ſive Mahumetana poſſe ſalvari, docet hominem poſſe ſalvari in fide, & religione falſa: ergò eſt lex falſa. Maj. videtur certa, Mi. verò probatur: lex, quæ docet hominem poſſe ſalvari in religionibus invicem pugnantibus, docet hominem poſſe ſalvari in religione, ac fide falſa: quia ſicut unus Deus eſt, ita una tantum vera religio eſſe poteſt, religiones autem invicem pugnantes omnes veræ eſſe non poſſunt, quia veritas ſibi non adverſatur, quare ex duabus doctrinis contradictoriis repugnat eſſe utramque veram, ſed ſi una eſt vera, altera neceſsariò debet eſſe falſa, quia hæc eſt lex contradictionis. Atqui lex Mahumetana docens, hominem ſalvari poſſe in quacumque religione, ſivè Judaica, ſivè Chriſtiana, ſive Mahumetana, docet hominem poſſe ſalvari in religionibus invicem pugnantibus, quia fides, & religio Judaica, Chriſtiana, & Mahumetana in ſuis articulis, & doctrinis invicem pugnant, & contradicunt: Mahumetana enim, & Chriſtiana credit Meſsiam veniſſe, & hunc fuiſſe Jeſum: Judaica hoc pertinaciſſimè negat. Rurſus Chriſtiana credit, Deum eſſe unum in eſſentia, & in Perſonis trinum, Chriſtum Jeſum eſſe Deum & hominem, verè mortuum &c. Mahumetana totum negat. Ergò oportet ut una ex iſtis credat verum, altera falſum, quod una ſit vera, altera falſa, & qui dicit, in unaquaque iſtarum poſſe ſalvari, neceſſe eſt, ut dicat, poſſe ſalvari in lege, fide, ac religione falſa.

XXXIX. Hinc efformatur alia ratio pro veritate religionis Chriſtianæ præ Mahumetana. Homines in religione Chriſtiana ſalvari, certum eſt, ſalvari autem in Mahumetana, eſt dubium; homines enim ſalvari in religione Chriſtiana, dicunt non

ſoli Chriſtiani, ſed etiam Mahumetani, ſalvari autem in religione Mahumetana, Mahumetani quidem affirmant, ſed Chriſtiani omnes tenent oppoſitum: ergò religio Chriſtiana eſt via certa ad ſalutem, Mahumetana verò eſt via ſaltem dubia. Quis autem non videat, ſtultiſſimum eſſe, cùm de ſummo omnium negotio agitur, viam certam dimittere, per quam certiſſimè poſſumus ad ſalutem pervenire, & viam capere dubiam, quæ fortè nos ducat ad præcipitium? Si de medicina electio facienda eſſet, eligeretur ne illa, quam unus quidem dicit ſanitatem allaturam, ſed alii negant: an potiùs ea, de qua omnes conſentiunt ſanaturam? Si de itinere Romam quæſtio eſſet, eligeretur ne via, quam aliqui dicunt tutam, alii dicunt prædonibus infeſtam, an verò illa, quam omnes ſecuram eſſe fatentur? Hoc argumento permotus fuit Henricus IV. Galliarum Rex ad Calviniſmum ejurandum. Quæſivit enim à Miniſtris Calvinianæ ſectæ: an in religione Romana eſſet ſalus? Et affirmarunt. Quæſivit à Doctoribus Academiæ Pariſienſis, qui omnes erant Romanæ religionis, an in Eccleſia Calviniana eſſe ſalus, qui omnes conſtantiſſimè reſponderunt, certiſſimum eſſe, neminem extra navim Petri, & fidem Romanæ Eccleſiæ, ſalutis portum poſſe pertingere. Tunc prudentiſſimus Princeps concluſit. Ergò in Eccleſia Romana ſalus certa eſt, ſi quis firmiter credat, quæ credenda proponit, faciatque, quæ facienda præcipit; in Eccleſia autem Calviniana eſt dubia, quamvis quis credat, & operetur ſecundum ejus præſcripta. Relinquamus dubiam, & viam certam arripiamus.

XL. Alia inſuper ratio efformatur. Vera religio eſt illa, quam homines in periculo mortis poſiti ſua ſponte eligunt ad moriendum, illa autem falſa, quam ob lucrum, commodum, voluptatem, aut majorum conſuetudinem eligunt ad vivendum, & à qua in hora mortis rebus attentè perpenſis recedunt: at multi Mahumetani, qui moraliter benè in ſua ſecta vixerunt, in eaque per multos annos perſeverarunt, quia in ea nati, & eam ab avis, & proavis acceperant, poſtea vel in morte, vel ante mortem, poſt preces Deo fuſas, ad inveniendam ſalutis viam nullo cogente ſectam illam deſeruere, & Chriſtianæ religioni nomen dederunt, unice ob æternæ ſalutis deſiderium: e contra verò nunquam eſt auditum, quod aliquis, qui Chriſti legem fideliter ſervaverit, ſua ſponte, dum morti propinquus fuit, ejuratâ religione Chriſtiana in ſecta Mahumeti mori voluerit. Ergò manifeſtum ſignum eſt, religionem Chriſtianam eſſe veram, ac ſanctam, falſam autem, & impiam ſectam Mahumetis, nec Deum habere auctorem. In-

Inveniemus quidem multos Chriſtianos, dum viverent, alicujus commodi, aut lucri, aut voluptatis, aut etiam libertatis fuco illectos, ſicut ſæpè evenit in iis, qui apud Turcas captivi ſunt, ad ſectam Mahumeti tranſiſse, ſed nunquam inventus eſt, qui in lege Chriſtiana apud Turcas tota vita bene vivens, quique nec illecebris, nec minis ab ea divelli potuerit, morti proximus ſectæ Mahumetanæ adhæſerit Chriſtianam relinquens, ut æternæ ſalutis aquirat ſecuritatem. Hoc ergò ſignum eſt, religionem Mahumetanam non eſse veram, ſed hanc eſse religionem Chriſtianam. Hæc abundè dicta ſint contra ſectam, de qua apud ſuos profeſsores vetita eſt omnis diſputatio. Inutilia tamen viro Theologo non erunt, quæ diximus, quia ſaltem ex iis, quæ didicerit, mirari poterit hominum cæcitatem, qui ſectam rationi adeo repugnantem, in orbis parte maxima ſuſcipiant, & amplectantur, adeòque firmitèr illi adhæreant, ut nil difficilius invenire ſit, quam Mahumetanum hominem ab ea divellere, & ad veram fidem perducere &c.

CAPUT X.

De Jeſu Chriſto Religionis Chriſtianæ Auctore.

REjectis jam religionibus Gentilium, Hebræorum, ac Mahumetanorum, tanquam falſis, venimus ad Religionem Chriſtianorum, quam unicam demonſtrabimus eſse veram. Porro cùm Chriſtiana dicatur à Jeſu Nazareno, qui dictus fuit Chriſtus, idcirco priùs de iſto agendum eſt.

§. I.

Oſtenditur Jeſum vixiſſe.

I. JEſum Nazarenum vixiſſe quondam in Judæa, rerum Romanarum potientibus Cæſare Auguſto, ſub quo natus in Bethlehem, ac Tiberio, ſub quo, ut dicemus, morti addictus fuit, non tantùm ſcripta Chriſtianorum, ac Chriſtiani omnes per omnes terrarum oras diffuſi conſtantiſſimè profitentur, ſed & Judæi omnes, qui nunc ſunt, & qui unquam poſt illa tempora ſcripſerunt. De eo Joſephus lib. 18. antiquit. cap. 4. ex verſione S. Hieron. Catalog. Script. Eccleſ. in Joſepho ita ſcribit: *Eodem tempore fuit Jeſus vir ſapiens: ſi tamen virum eum oportet dicere: erat enim mirabilium patrator operum, & doctor eorum, qui libenter*

ter vera ſuſcipiunt: plurimos quoque tam de Judæis, quam de Gentibus, ſui habuit ſectatores, & credebatur eſſe Chriſtus. Cùm invidia noſtrorum Principum cruci eum Pilatus addixiſſet, nihilominus qui eum primùm dilexerant, perſeveraverunt. Apparuit enim eis tertia die vivens. Multa & hæc & alia mirabilia carminibus Prophetarum de eo vaticinantibus, & uſque hodie Chriſtianorum gens, ab eo ſortita vocabulum, non defecit. Non deſunt ex Chriſtianis quidam intemperantioris criticæ amatores, præcipuè Proteſtantes, qui hoc celebre de Chriſto teſtimonium nobis eripere conati ſint, dicentes, non eſſe legitimum Joſephi, ſed adulterinum, & à priſcis Chriſtianis hiſtoriæ Joſephi aſsutum. Verùm illud ut genuinum ne dum agnoſcunt ex Catholicis omnes, & ex Proteſtantibus celebriores, Caſaubonus, Uſſerius, Petrus, Voſſius uterque; verùm illud agnoverunt antiqui: Euſebius lib.3. demonſtrat. Evangelicæ pag. 124. & lib.1., Hiſtor. Eccleſiaſticæ cap. 11. S. Hieronymus citatus, S. Iſidorus Peluſiota lib.5. epiſt. 225., Sozomenus lib.1. cap.1. Nec me movet, antiquiores Patres, qui Chriſtianam religionem contra Judæos propugnarunt, Juſtinum in Dialogo cùm Triphone, Tertullianum lib. adverſus Judæos, hoc teſtimonio uſos non fuiſse, certè illud non prætermiſsuros, ſi tunc in Joſephi codicibus extitiſset. Non, inquam, me movet; Patres enim illi agebant contra Judæos auctoritatibus Scripturæ, ac vaticiniis Prophetarum, unde parum ad rem fuiſset, miſcere teſtimonium hominis, cujus non magnam apud Judæos auctoritatem eſse noverant, quique non ex propria ſententia, ſed ea, quæ ex Chriſtianorum opinione de Jeſu dicebantur, enarrat. Quod ſi mirum eſt, hoc teſtimonium prætermiſsum ab illis Patribus, ſi in Joſephi codicibus extitiſset, magis mirum erit, quod ſi non extitiſset, ſed poſtea fuerit ſubdolè intruſum, tacuerint Judæi, cùm contra ipſos ſucceſsu temporis cœptum eſt intorqueri, & non potiùs fraudem detexerint. De hoc videatur Alexandre Hiſt. Vet. Teſtam. tom.2. diſsertat. ultima. Ut tamen ſit; & Joſephus, & omnes Hebræi Jeſum fuiſſe non negant, quamvis ipſum Meſsîam eſse inficientur.

II. Teſtantur idem & Pagani, hoc eſt, nec Judaicæ, nec Chriſtianæ religionis Scriptores: Svetonius in Claudio lib. 5. ait: Claudius *Judæos impulſore Chreſto aſſiduè tumultuante Româ expulit*. Ubi Judæos vocat Chriſtianos, nomine autem Judæorum aliquando appellati fuere Chriſtiani. Ponit autem *Chreſto* pro *Chriſto*, ut enim Tertullianus in Apologet. cap.3. & Lactantius lib. 4. Inſt. cap.7. docent, Pagani appellare ſoliti erant Servatorem noſtrum, per malitiam vel ignorantiam mutato

tato

Digitized by Google

tato I. in E. *Chreſtum*. Porrò ſive dicatur *Chriſtus*, ſive *Chreſtus*, utrumque Servatori noſtro congruit: nam *Chriſtus* idem eſt ac *unctus*, uncti autem erant Reges & Sacerdotes; *Chreſtus* verò eſt *bonus*, *benignus*. Unde Tertullianus citato loco ad Paganos: *Chriſtianus*, inquit, *quantum interpretatio eſt de unctione deducitur. Sed & cum perperam & Chreſtianus pronuntiatur à vobis... De ſuavitate, vel benignitate compoſitum eſt. Creditur ergò in hominibus innocuis etiam nomen innocuum*. Tacitus etiam Annal. lib.5. num.44. narrans, Chriſtianos exquiſitiſſimis pœnis à Nerone affectos, ait: *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat*. Idipſum fatetur Plinius Junior lib.10. epiſt. 97. ubi cum narraſſet Trajano, quoſdam ex Chriſtianis Imaginem Trajani, ac Deorum ſimulacra veneratos, Chriſto maledixiſſe, addit: *Adfirmabant autem, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. Jeſum Chriſtum fuiſſe, demum teſtati ſunt omnes Martyres, qui pro ejus nomine confitendo coram Paganis ſanguinem, ac vitam dedere. Jeſumque fuiſſe, teſtatus fuit Julianus Apoſtata impiiſſimus, vocans eum per contemtum *Galilæum*, ut in ejus libris apud S. Cyrillum videre eſt.

§. II.

Eundem morte ignominioſa affectum.

III. Jeſum Nazarenum à Pontio Pilato Judeæ Præſide cruci ignominioſè affixum (etſi, ut vidimus, Mahumetani refragentur, & ex Hæreticis illi, qui veram carnem ipſi denegarunt, ſolùm phantaſticam & apparentem tribuentes, ut Manichæi; & carnem cœleſtem ac impaſſibilem, ut Valentiniani) fatentur tamen, non ſolùm Evangelia, quæ ſeriem paſſionis, ac mortis ejus fusè & accuratè deſcribunt, nec non omnia Apoſtolica ſcripta; ſed etiam Hebræi, cùm tamen non ignorent hoc nomine, quod majores ſui Auctores fuerunt Pilato id ſtatuendi, graviſſimam invidiam apud Chriſtianos, quorum ſub imperiis paſſim degunt, ſibi conciliari: inter quos primus fuit Joſephus teſtimonio ſupra laudato; verùm etiam Pagani Scriptores idem memoriæ prodiderunt, inter quos Tacitus ſupra relatus Annal. lib.15. num.44. Neque Julianus, aliique Chriſtianorum oppugnatores id unquam in controverſiam vocarunt, imo id ſemper

Chriſtianis exprobrarunt, quod hominem crucifixum colerent.

IV. Nec dici poteſt, Paganos hoc impoſuiſſe Chriſtianis in contemtum, ac ignominiam. Etenim Chriſtianorum primi conati eſſent, eum à ſe avertere, nec difficile ipſis fuiſſet, cùm de re publicè, ac recentèr acta diſceptaretur. Cùm ergò non ut calumniam eum repulerint, ſed ingenuè Chriſtum crucifixum, ac mortuum confeſſi ſint Dionyſius Areopagita, Polycarpus, Juſtinus, Irenæus, Athenagoras, Origenes, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, ac Cyrillus contra Julianum; imo crucem, quæ Paganis erat in ignominiam, verterent in Chriſtiani nominis gloriam: argumentum eſt, Chriſtum verè crucifixum, ac mortuum, aliàs à ſe repuliſſent falſam accuſationem, quæ multos à Chriſto amplectendo remorabatur, eo quod ſibi perſuadere non poterant, nomen dare religioni, cujus auctor fuerat morti adjudicatus, tanquam ſeductor.

§. III.

Inſuper à mortuis ſurrexiſſe.

V. CHriſti à mortuis reſurrectionem non modò ut veram, ſed ut præcipuum ſuæ fidei fundamentum adferunt omnium locorum, & temporum Chriſtiani. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergò prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra:* ajebat Paulus 1. Cor. 15. 14. Hoc autem fieri non potuit, niſi primi, qui fidem Chriſtianam docuerunt, certò auditoribus ſuis perſuaſerint rem ita geſtam. Certò autem perſuadere hoc non potuerunt hominibus aliquo judicio præditis, niſi affirmarent, ſe ipſos oculatos teſtes eſſe, ſine qua affirmatione nemo mediocriter ſanus illis adhibuiſſet fidem, maximè iis temporibus, quibus à multis exiſtimabatur impoſſibilis reſurrectio; cùm enim eam Paulus Athenienſibus prædicaſſet *quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterum* Act. 17. 32. & inſuper talia affirmantibus credere maximis malis ac periculis conſtabat. Affirmatum hoc ab ipſis magnâ conſtantiâ non ſolùm ipſorum libri, nimirum Evangelia, & ſcripta Apoſtolica docent, inter quos Paulus 1. Cor. 15. provocat ad teſtes quingentos dicens v. 4. 5. & 6. *Quia reſurrexit tertia die, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc undecim. Deindè viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul, ex quibus multi manent uſque adhuc, quidam verò dormierunt:* verùm etiam ſcripta aliorum, ut Joſephi loco ſupra

pra citato, & Celſi apud Origenem lib. 2. Non autem mentientium mos eſt ad teſtes, & tam multos provocare, neque fieri poteſt, ut in falſum teſtimonium tam multi conſpirent.

VI. Inſuper duodecim illos Chriſtianæ fidei primos propagatores, Apoſtolos dico, cur credibile eſt, Jeſu reſurrectionem annunciaſſe, ſi fabula fuiſſet? Nemo certè gratis malus eſt. Oporteret ergò, ut aliquid ex hoc mendacio ſperaſſent. At quid? honorem? Non; cùm omnis honos penes Paganos, ac Judæos eſſet, à quibus illi ob hoc maximis probris, ac ignominiis afficiebantur. Divitias? Nequaquam: quin imo ex tali confeſſione bonorum, ſi qua erant, damno mulctabantur: atque ſi hoc non fuiſſet, Evangelium ipſum, quod prædicabant, doceri ab ipſis non poterat, niſi omnium temporalium curâ omiſsâ. Quid ergò? Vitæ hujus commoda? At ipſa Evangelii prædicatio laboribus, ſiti, fami, verberibus, carceribus eos obiiciebat. Forte famam? At hæc inter ſuos tanti non erat, ut propter ipſam homines ſimplices, & quorum vita ac dogmata à faſtu abhorrebant, tantam vim malorum ſubirent. Neque verò ſperare ullo modo poterant ex hoc mendacio famam apud alios, cùm ei & natura ſuis commodis intenta, & imperantium auctoritas repugnaret. Quamquam licèt ex hoc qualemcumque famam aucuparentur, hanc nullo modo durabilem ſibi poterant polliceri, cùm, Deo de induſtria conſilium ſuum celante, mundi totius exitium quaſi de proximo imminens annunciarent, ut audire eſt à Paulo 1. Teſſalon. 4. 15. 16. & 1. Cor. 15. 52.

VII. Reſtat ergò ut religionis ſuæ tuendæ cauſa mentiti dicantur: quod omnino, ſi res ſeriò expendatur, dici non poteſt: Nam religionem illam, quam docebant veram eſſe, ex animi ſententia crediderunt, aut non crediderunt. Si non credidiſſent veram, imò & optimam, nunquam hanc elegiſſent novam, inviſam, omnibus deſpectam, cujus auctorem viderant morte mulctatum, omiſſis religionibus aliis magis tutis, atque honoratis: imo quamvis veram, profeſſi non eſſent, niſi & profeſſionem ejus credidiſſent neceſſariam: præſertim cùm & facilè prævidere poſſent, & experimento ſtatim diſcerent, hanc profeſſionem ſecum trahere mortem omnium eam amplectentium, quod abſque juſta cauſa promovere, impietas erat. Quod ſi crediderunt, religionem ſuam eſſe veram, imò optimam, & omnibus neceſſariam, etiam poſt Magiſtri ſui mortem: certè id fieri non potuiſſet, ſi pollicitatio Magiſtri ſui de ſua reſurrectione eos fefelliſſet; id enim cuivis ſano homini ſatis fuiſſet ad excutiendam etiam ante conceptam fidem. Hoc argumentum fusè pro-

ſequitur S. Joannes Chryſoſtomus homil. 5. in caput 1. 1. ad Corinth. à viro ſtudioſo videndus.

VIII. Rursùs. Cùm omnis religio, & præſertim Chriſtiana mendacium, ac falſum teſtimonium, maximè in rebus divinis, prohibeat: quî credibile eſt, Apoſtolos religionis, & talis religionis amore ductos mendacium compoſuiſſe, imò ſuam prædicationem in putidiſſimo mendacio fundaviſſe? His adde, eos fuiſſe vitæ, ne quidem ab adverſariis ipſis culpatæ, & quibus nil aliud objiciebatur præter ſolam ſimplicitatem, cujus ingenium maximè abhorret à mendacio. Nemo inſuper eorum fuit, qui non graviſſima quæque paſſus ſit propter illam de Jeſu reſuſcitato fidem, ob quam multi mortem etiam obierunt. Jam ergò ut quis ſenſus ſui compos talia ferat, ac toleret ob conceptam animo opinionem, fieri quidem poteſt: at ut ob falſum, quod falſum eſſe novit, tam dura pati velit, non unus tantum aliquis, ſed plures, quorum nihil interſit, id falſum credi, res eſt planè incredibilis.

IX. Amentes autem eos non fuiſſe, & vita, & ſcripta ſatis teſtantur. Quod de iis, qui Chriſtum poſt reſurrectionem viderunt, & cùm eo converſati ſunt, dicitur, idem de Paulo quoque dici poteſt, qui Chriſtum in cœlo regnantem à ſe conſpectum palam prædicavit 1. Cor. 15. 9. 2. Cor. 12. 4. quæque diſcipulus Pauli Lucas narrat Act. 9. 4. 5. 6. & 22. 6. 7. 8. Paulo autem eruditionis Judaicæ nihil deerat, docto à Gamaliele, viro apud Hebræos peritiſſimo, non in lege tantum, ſed in iis, quæ à magiſtris erant tradita, ut habetur Act. 22. 3. hic autem quomodo credi poteſt pro defenſanda religione, quam noverat eſſe falſam, voluiſſe patriam religionem deſerere, cognatorum ſuorum odium, atque invidiam ſubire, & toto orbe peregrinationes difficiles, periculoſas, ac laborioſas ſuſcipere, ut ipſe narrat 2. Cor. 11. v. 23. 24. 25. 26. 27., ac poſtremò etiam ſupplicium cùm infamia perpeti?

X. Demum veritas reſurrectionis Chriſti probatur diſcurſu S. Joannis Chryſoſtomi homil. 5. in primam ad Cor. cap. 1. ex quo fermè omnia ſupradicta deſumpta ſunt. Apoſtoli toti orbi perſuaſerunt Chriſti reſurrectionem, hoc autem præſtare non potuiſſent, niſi Deo ipſos juvante, & conſequenter niſi verum eſſet, quod ſuadebant. *Nam paſſionem Chriſti univerſus orbis norat: etenim in alto ligno pependerat, & in meridie, & in Metropoli, & in die maximè ſolemni, in qua impoſſibile erat, ut à quoquam ignoraretur. Reſurrectionem autem exterorum novit nemo, quod non parvum eis ad perſuadendum erat impedimentum. Quod enim*

ſe-

ſepultus eſſet, omnium ore ferebatur, & quod furati eſſent corpus ejus diſcipuli, & milites & Judæi omnes aſſerebant; quod autem reſurrexerit, exterorum, inquam, novit nemo. Unde igitur univerſo orbi id perſuadere, niſi ſunt? Nam ſi inter miracula milites perſuaſi ſunt contraria teſtimonio perhibere, unde hi ſine miraculis prædicare ſperabant? Neque obolum quidem habebant, ut mari, & terræ reſurrectionem perſuaderent. Quod ſi gloriæ cupiditate hoc machinabantur, multò magis ſinguli ſibi ipſis, & non mortuo dogmata illa vindicaſſent. Sed nunquid adhibita eſſet eis fides?... *Et quanam ratione, dic quæſo, cum hoc facturi erant, non ſtatim Judæa relictâ in externas profecti ſunt civitates, ſed in ea remorati ſunt? Vel enim ſigna faciebant, vel nulla. Si faciebant: ergò Dei virtus illa operabatur. Si nulla, & tamen perſuadebant; multò erat admirabilius, ut ita contingeret; imò & talia auderent. Noverant enim Judæorum animos, & pravum eorum, ac invidiâ tumentem animum. Quod ſi Moſem poſt tot in gratiam eorum patrata prodigia, in deſerto lapidaverunt: ſi Hieremiam interemerunt, ac multos Prophetas occiderunt: ſi Eliam quæſierunt ad necem, & tamen nullus eorum legem Moſaicam abrogabat: quid ſperare, imo quid non timere poterant Apoſtoli, qui illa eadem innovabant, quorum gratia Magiſtrum ſuum Judæi crucifixerant? Sed nunquid Romanæ leges eis opitulabantur? Verùm hæ majori eis erant impedimento, quippe quibus ſancitum erat: omnis, qui ſe Regem facit, non eſt amicus Cæſaris.* Cùm autem Chriſtus tanta fuerit paſſus, & morti deſtinatus, quia exiſtimatus fuit, velle ſe Regem facere, quid non timendum erat diſcipulis ejus, qui ejus doctrinam annunciare, ſeque ejus aſſeclas profiteri debebant? Hæc paucis mutatis ex Chryſoſtomo, qui poſt multa concludit. *Si inter tot impedimenta non ad perficiendum tantum, ſed ad excogitandum, tanta operati ſunt, & omnium opinionem ſuperarunt, ſanè ubique conſtat, non humanis viribus, ſed divina gratia ea omnia effeciſſe.* Et conſequenter ea, quæ prædicabant, inter quæ præcipua erat Chriſti Reſurrectio, prorsùs vera eſſe.

Tot, talibus, tantiſque teſtimoniis fidem detrahere nemo poteſt, niſi dicat reſurrectionem impoſſibilem eſſe, & talem, quæ involvat contradictionem.

XI. Verùm reſurrectionem non eſſe Deo impoſſibilem, neque ulli contradictioni eſſe obnoxiam, reſpondet S. Juſtinus (quæſt. & reſponſ. ad Græcos) *Aliud enim eſt, quod omnino eſt impoſſibile, & aliud quod alicui eſt impoſſibile. Omnino impoſſibile eſt, ut diametros ſive media linea ejuſdem cum latere ſit menſuræ. Alicui impoſſibile eſt, ut natura abſque ſatu animans procreet. Utri* igi-

igitur impoſſibilium iſtorum reſurrectionem ſubjiciunt, qui eam non credunt? Si priori: falſa fuerit ratio; non enim per reſtitutionem media linea lateri menſura æqualis redditur, reſurgentes autem per reſtitutionem reſurgunt. Sin poſteriori. At Deo omnia poſſibilia ſunt, quæ alicui impoſſibilia non ſunt. Impoſſibile ſanè eſt idem tempore eodem vixiſſe, & mortuum fuiſſe; ceterùm ut mortuo vita reddi poſſit per ejus efficaciam, qui vitam primò homini dedit, quid obſtat? Deus qui ſolo juſſu ſuo hominem, ac cætera creavit, cur eodem juſſu ſuo hominem, qui ex vita excidit, ad vitam non potuit revocare? Cur qui antequam eſſet, Dei potentiæ obedivit, ut eſſet, poſtquam fuit, non poterit eidem obedire, ut iterum ſit? Accuratiores Philoſophi fatebuntur fortè, ſibi tam difficile intellectu eſſe animal in utero matris formari, quàm mortuum revocari ad vitam. Sed homines indocti non mirantur, quod ſolent videre, nec difficile putant, quamvis rationem ejus ignorent. Id autem quod nunquam viderunt, quamvis quotidianis rebus fortè difficilius non ſit, fieri non poſſe, contendunt. Undè D. Auguſtinus tract. 24. in Joannem: conſiderans mirari homines, quod Chriſtus quinque panibus ſaturaverit quinque millia hominum, non mirari autem quod Deus ex paucis granis ſegetes creat, ait: *Et tamen hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia majus eſt, ſed qui rarum eſt.*

XII. Neque ut homo ſuſpicari poſſit, reſurrectionem eſſe poſſibilem, ſpeciali eget illuſtratione; nam viri ſapientes, quamvis Ethnici, eam non impoſſibilem eſſe cognoverunt, refert enim Plato relatus ab Euſebio lib. 11. Præparat. Evangelic. cap. 35. Ærem Armenium die ab interitu duodecimo rogo impoſitum revixiſſe, ac ea, quæ ſibi poſt mortem acciderant, enarraſſe. Plutarchus etiam, referente eodem Euſebio ibid. cap. 36., idem narrat de quodam Antyllo, & Nicarda. Fœminam ſeptem diebus exanimem narrat Heraclides apud Plin. Hiſt. lib. 7. cap. 52. ad vitam revocatam: & quidem opera Empedoclis, ut ſcribit Laertius in Empedocle, qui etiam vult, eam ab 30. diebus fuiſſe mortuam. *Varro quoque auctor eſt*, ait Plinius loco citato, *ſe agros dividente Capuæ, quemdam, qui efferretur, foro domum remeaſſe pedibus. Hoc idem Aquini accidiſſe, Romæ quoque Corfidium Materteræ ſuæ maritum funere locato revixiſſe, & locatorem funeris ab eo elatum.* Alia ejuſmodi referunt laudatus Plinius, & alii Scriptores Ethnici. Quæ licèt vera fuiſſe non aſſererem, ſigna tamen ſunt, Ethnicos non impoſſibilem cenſuiſſe reſurrectionem, aliàs vel hujuſmodi facta non narraſſent, vel qui ea narraſſent, deriſiſſent.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Quod ſi addas, diſſoluta ſemel corpora, impoſſibile eſſe, ut in eandem compagem redeant.

Dicam ego, ut cauſa talis impoſſibilitatis demonſtretur. Cùm enim inter pleroſque Philoſophos conſtet, rebus quantumcumque mutatis, manere materiam diverſarum ſpecierum capacem, quis dicat, aut Deum neſcire; quibus in locis etiam longiſſimè diſtantibus ſint partes illius materiæ, quæ ad humanum corpus pertinuit, aut deeſſe potentiam, qua eas reducat, recomponat; idemque faciat in ſuo univerſo, quod in fornacibus, aut vaſis facere Chymicos videmus, ut quæ ſimilia, & congenera ſunt, colligant, quamvis disjecta? Fortène materia, mutatâ ſemel ſpecie, ad ſpeciem, quam amiſit, impoſſibile eſt, ut revertatur? Ut verò ſpecie quantumvis mutatâ ad ſui originis formam revertatur, in rerum natura aliqualia exempla ſunt in arborum, & animantium ſeminibus; arbor enim emittit ſemen, quod rursùs tranſit in arborem, & animal à ſe decidit ſemen, ex quo iterum ejuſdem ſpeciei animal efformatur.

Nec eſt tantus, ut ſit inſolubilis, nodus ille, qui à multis nectitur de humanis corporibus, quæ in ferarum, aut piſcium alimenta tranſeunt, quibus ita paſtis homines iterum paſcuntur: quaſi quod, ſi in reſurrectione cuique reſtituenda eſſet ſua materia, aliqui ex hominibus paſti belluis, aut piſcibus humana carne nutritis, remanſuri eſſent ſine materia.

XIV. Non inquam. Primò enim dici poſſet, eorum, quæ comeduntur, partem maximam non in corporis noſtri partem abire, ſed in excrementa, aut acceſſiones corporis, quales ſunt pituita, & bilis; & de eo, quod alendi vim habet, tum morbis, tum intimo calore multum abſumitur. Quare ſemper ſupererit, quod redire poſſit ad corpus prioris hominis in reſurrectione. Quod ſi id non contingat, ſed illud, quod poſteriori corpori aliunde acceſſerit, inde debet recedere, & ad prius corpus redire, id tamen non efficiet, ut non ſit idem corpus; cum etiam in hac vita major contingat particularum mutatio, & tamen idem corpus ſemper perſiſtat. Hinc Alfenus leg. *Proponebatur* ff. de Judiciis, *Quod ſi quis* (inquit) *putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipſi non iidem eſſemus, qui ab hinc anno fuiſſemus; propterea quod, ut Philoſophi dicerent, ex quibus particulis minimis conſtiterimus, hæ quotidie ex corpore noſtro decederent, aliæque extrinſecus in earum locum accederent.* Et. Seneca Epiſt. 58. *Corpora noſtra rapiuntur fluminum more: quidquid vides currit cum tempore: nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipſe, dum loquor, mutari iſta, mutatus ſum.*

XV. Hunc nodum vidit D. Thomas, & ſolvit in 4. ſent. diſt. 44. q. 1. art. 2. q. 4. in corpore, & ad 3., ubi, poſtquam dixit, in reſurrectione quemque reſumturum eam partem materiæ, quæ ad integritatem ſuam pertinet, non verò omnem, quæ ei per acceſſionem ſucceſſivè advenit; ſed hanc redituram ad illud corpus, ad cujus naturæ integritatem primo pertinuit: quæ etiam eſt opinio S. Auguſt. in Enchiridio cap. 88. ubi ait: *Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; ſed in quemlibet pulverum cinerem ſolvatur, in quoslibet halitus, auraſque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementi vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur; illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitùs ut homo fieret, viveret, creſceret, animavit*. Subdit poſtea: *Si* aliquis *nullo cibo unquam paſtus fuiſſet, niſi carnibus humanis, divina virtus aliunde* (in reſurrectione) *ſuppleret, quantum indigetur ad perfectionem quantitatis, ſicut ſupplet in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt, nec per hoc aliquid præjudicatur identitati in numero; ſicut nec præjudicatur per hoc, quod partes ſecundum materiam fluunt, & refluunt*. Ita S. Thom. Non enim penes partes materiales, quaſi materialiter ſumtas, penſatur identitas corporis, ſed penes eaſdem, ut ordinatas ad idem compoſitum ſimul cum eadem anima conſtituendum, ſicut idem fluvius eſt, quamvis aquæ ſemper præterfluunt, quia ſemper fluunt per eundem alveum, ex quo habetur identitas fluvii.

XVI. Hunc nodum objecerunt Græci S. Juſtino contra reſurrectionem dicentes: *Si homines mortuos reſurgere oportet integros; ſi fortè accidat, ut homo in mari pereat, ac deinde à piſcibus is devoratus, rurſum aliis hominibus, qui piſces eos ederint, eſca fiat: quomodo carnem ſuam ab aliis hominibus conſumtam, atque in illorum corpus converſam recuperabit? Aut enim hic neceſſariò ſine carne reſurget, quam homines alii eſu piſcium interveniente abſumſerint, ſicut dictum eſt; aut illi membra carnis ſuæ repentè deponent, & partibus ſuis deficientur, ut id, quod per iniquam eorum vorationem deeſt, ſarciatur, impleaturque?* Ecce nodum, quem ſolvit Juſtinus quæſt. & reſponſ. ad Græcos pag. 208. ſic: *Quod homo ſit, aut fiat eſca piſcium, & piſcis eſca hominum; neque hominem in piſcem, neque piſcem in hominem reſolvit, ſed utriuſque reſolutio in elementa ea tranſit, unde eſt primitus utrumque compoſitum, etiamſi utriuſque reſolutionis modus per id fiat, quod alterum alterius eſca factum ſit. Cujuſque enim reſolutionis, quocumque ea eveniat modo, finis eſt, ut in ea abeat elementa, in quæ reſolvitur. Minimè ergò*

eo

eo oportet, quod homo piſcis, & rursùs piſcis hominis cibus fiat, per cavillationem fallacem inſtituere quæſtionem abolendæ reſurrectionis causâ, ſed ad potentiam Dei reſpiciendum, qui non modò mortuos *ſe reſuſcitaturum eſſe, pollicetur, verùm etiam per eam, quæ jam præceſſit, Salvatoris noſtri Chriſti reſurrectionem certam nobis fecit fidem, & perſuaſionem. Porrò ſi elementa ſubjiciuntur ad eorum quæ generantur creationem, & ad eorum quæ intereunt reſtitutionem: quomodo ſi incredibilis, atque impoſſibilis eſſe eorum, quæ intereunt, exiſtimatur reſtitutio, non incredibilis atque impoſſibilis etiam erit eorum, quæ ab initio genita ſunt, creatio? Quod certè eſt perquam abſurdum*. Hæc Juſtinus.

XVII. Breviori via reſpondet Joannes Clericus apud Grot. de verit. relig. Chriſt. lib.2. §.10., minimè neceſſarium eſſe, ut eadem ſit numero materia, quæ excitatur, cum ea, quæ homine moriente in ſepulchrum illata eſt. Neque enim minùs fuerit idem homo is, cujus animus conjunctus fuerit cum materia, cum qua nunquam conjunctus fuerat, ſi ſit idem animus, quàm fuit idem homo ſenex decrepitus, & infans vagiens in cunis, quamvis ne particula quidem fortè ſuperſit in ſene ejus materiæ, quæ fuit in infante propter perpetua effluvia, quæ ex corpore elabuntur. Reſurgere corpus, optimè dici poteſt, cum ſimile ex terra à Deo formatur, conjungiturque menti eidem. Hæc Clericus: quæ reſponſio regulanda eſt cum ea, quam ſupra retulimus ex D.Thom.

XVIII. Cùm ergò tot viis eludi poſſint objectiones contra reſurrectionis poſſibilitatem, cur eam eſſe impoſſibilem quis aſſerat, cauſa nulla eſt; maximè cum eam agnoverint viri Philoſophi, etſi non Chriſtiani, ut Zoroaſter apud Chaldæos, ut refert Clemens Alexandr. Stromat. 5., Stoici propè omnes apud Clementem ibid. ubi de Heraclito: *Noverat enim* (inquit) *ille edoctus à barbara Philoſophia, mundum à malis hominibus purgatum iri per ignem, quod Cepiroſin poſtea Stoici dixere, qui & per eam hunc talem quemque revicturum docent, his vocibus obtegentes* reſurrectionis rem. Et Origenes lib.4. contra Celſum: *Ajunt de porticu Philoſophi, poſt ſeculorum circuitus fore incendium univerſi; deindè ejuſdem formationem, quæ eadem omnia habeat*. Cryſippus etiam lib. de Providentia apud Lactant. lib.7. Inſtit. cap.23. *Hoc cum ita ſe habeat, apparet, non eſſe impoſſibile, ut & nos poſt mortem, ſeculorum certis circuitibus evolutis, reſtituamur in eum, in quo nunc ſumus, ſtatum*. Cùr ergo impoſſibilis fides reſurrectionis aſſeri poteſt, quam non impoſſibilem viderunt, & faſſi ſunt ſolo rationis lumine ducti Veteres Philoſophi?

§. IV.

Inſuper verum Meſſiam fuiſſe.

XIX. MEſſiam jam veniſſe, oſtenſum eſt ſupra; reſtat modò demonſtrandum, an is fuerit Jeſus Nazarenus. Et quidem ſi oracula adducta pro adventu Meſſiæ attentè inſpiciantur, non in alio, quàm in Jeſu eſſe completa quiſquis facilè deprehendet. In eo enim ſolo fuerunt impletæ Danielis Hebdomades: occiſus fuit à Judæis; ex quo ille populus non fuit amplius populus Dei: poſt ipſum ceſſavit hoſtia, & ſacrificium: diruta à Romanis Civitas fuit, ac Templum deſolatum, ac deſolatio adhuc perſeverat. Ablatum fuit, in Jeſu temporibus, á populo Judaico ſceptrum omniſque dominatus, ut prædixerat Jacob: Jeſus fuit lapis, qui pedes ſtatuæ contrivit, ut vidimus, & inter alios fusè oſtendit Martini ſæpè laudatus 2.p. Pugionis fidei cap.7. & 8.

XX. Rursùs eo tempore natus eſt Jeſus, quo à Judæis & Ethnicis Meſſias expectabatur. Ab Ethnicis quidem, ut videre eſt apud Huetium demonſtr. Evangelic. in Calce propoſit. 7. Svetonius enim in Veſpaſiano lib.8. cap.4. *Percrebuerat* (inquit) *oriente toto vetus, & conſtans opinio; eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur*. Et Tacitus hiſtor. lib.5, c.13., ubi excidium Hieroſolymitanum enarravit, ſubdit: *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret oriens, profectique Judæá rerum potirentur, quæ ambages Veſpaſianum ac Titum prædixerant*. Hanc fidem apud præfatos Scriptores manaſſe, crediderim ex Joſepho, qui callidè nimis, atque adulatoriè oracula de Meſſia ad Veſpaſianum retulit de Bello Judaico, tum lib.3. cap.28., vel 14., tum lib.7. cap.31., vel 12., ubi ait, cauſam, cur Judæi à Romanis rebellarint, fuiſſe, quod crederent ex divinis oraculis malè intellectis, aliquem ex eorum gente toti orbi tunc imperaturum: quod poſtea ipſe ad Veſpaſianum refert, dicens: *Sed, quod maximè eos ad bellum excitaverat, reſponſum erat ambiguum, itidem in ſacris libris inventum; quod eo tempore quidam eſſet ex eorum finibus orbis terræ habiturus imperium. Id enim illi quidem quaſi proprium acceperunt, multique ſapientes interpretatione decepti ſunt. Hoc autem planè reſponſo Veſpaſiani deſignabatur imperium, qui apud Judæam creatus eſt Imperator*. Quodnam eſſet illud Oraculum, ex quo Judæi concludebant, eo tempore aliquem ex ipſis do-

dominaturum orbi, & vi cujus expectabant Meſsiam, non adeó facile eſt deſignare. Huetius citatus cenſet, eſſe Oraculum Jacobæum Gen.49., de quo ſupra; & meritò, in eo enim deſignatur tempus, cùm in eo dicitur, non ablatum iri de Juda ſceptrum, donec veniat, qui mittendus eſt: Sceptrum tunc è Juda jam erat ablatum, orbis autem imperium iſta portendunt: *Et ipſe erit expectatio gentium*.

XXI. Utcumque autem ſit; certum eſt, tempore, quo natus eſt Jeſus, expectatum à Judæis Meſsiam fuiſſe. Hac perſuaſione imbutus erat Simeon, quem teſtatur Lucas 2. 25. *Expectaſſe conſolationem Iſrael*; eâdem & illi, quos alloquebatur Anna Propheti ſſa Phanuelis filia, de quibus idem Lucas v.38. ait: *Expectaſſe redemtionem Iſrael*. Eadem mens erat Samaritanæ, cùm Chriſto diceret Joann.4.25. *Scio, quia Meſsias venit: redemtio autem, & conſolatio Iſrael* Meſsiæ adventus eſt, quem Thalmudici *conſolatorem*, aut *conſolationem* appellant; per hanc conſolationem, vel ſanctiſſimum religionis ſuæ myſterium jurare ſoliti. Legitur inſuper in libro Sanhedrim cap. ultimo, ſcholam Eliæ Hebræi Doctoris definiviſſe mundi tempus ſex annorum millibus, quorum duo millia priora fuerint Thohu: duo ſequentia lex: poſtrema duo futura ſint Meſsias. Circa finem autem quartæ Chiliadis natus eſt Jeſus.

XXII. Tralatitia itaque, ac promulgata de venturo iis temporibus Meſsia perſuaſio effecit, ut multi Meſsiæ nomen tunc affectarint; nullus autem ex iis illud jure uſurpare poterat, niſi ſolus Jeſus, quia eorum nullus reliquit ſectam poſt ſe, in qua ea opinio perſeveraret. Primus, qui Meſsiæ nomen aucupatus eſt, fuit Herodes Aſcalonita, ex quo ſecta Herodianorum, ſed hæc vix enata aruit. Hadriani temporibus ſurrexit Judæus quidam nomine *Bar Coſba*, ſeu *Barcochebas*, i. filius Stellæ; hoc nomine donatus, quod ſibi nobile illud Balaami vaticinium *Orietur Stella ex Jacob* num.24.17. accommodaret: deindè *Barcuziba* dictus, hoc eſt *filius mendacii*, poſtquam ut impoſtor repulſus fuit, qui ſe Meſsiam dictitabat; de eo enim legitur in tract. Sanhedrin diſtinct. quæ incipit Chelek: *Bar Coſba regnavit tribus annis, & dimidio; dixit enim Rabbinis: ego ſum Meſsias*. Armiger ejus, ac præcipuus ſectator fuit R. Akiba, de quo Moyſes filius Maimon. in Jad Chazakah: *R. Akiba magnus ſapiens fuit, & de ſapientibus Miſne* (i. de primis Auctoribus Thalmud) *fuit armiger Bar Coſbæ Regis, de quo dixit, illum eſſe Meſsiam; videbatur enim ipſi, & omnibus ſapientibus generationis ejus, eſſe Meſsias, donec ob ſcelera ſua interfectus eſt. Tunc enim patuit, ipſum non eſſe*

Meſsiam, ſapientes verò illi nullum ab eo ſignum, vel miraculum petierunt. Ita apud Martini ſæpè laudatum p. 2. cap. 4. §. 17. 18. &c. Is ergò ab initio Judæis acceptiſſimus, multiſque ſectatoribus, ac ſapientibus ſtipatus, ſolo triennio cùm dimidio duravit, ac ipſo extincto tota ejus ſecta extincta fuit: ſicque de aliis, qui ante, vel poſt, Meſsiæ nomen uſurparunt.

XXIII. Verùm Jeſus Nazarenus, quamvis ſapientibus Judæorum inviſus, quamvis ſolos duodecim viros idiotas ſectatores haberet, quamvis demum à Judæis ut ſeductor accuſatus, condemnatus, crucifixus; tantum abfuit, ut eo mortuo ejus Secta extingueretur; quin potiùs repugnantibus licèt, ne dum Judæis, ſed & Gentilibus, immanibus ab utriſque exagitata perſecutionibus, ad ejus necem toto orbe conſpirante, non ſolùm non ceciderit, ſed ab illis Duodecim in univerſas mundi oras deportata, eò magis creverit, atque uſque in hunc diem per orbem totum diffuſa perſeveret. Cùm ergò, ex jam probatis, tempore, quo natus fuit Jeſus, conſtans eſſet opinio, Meſsiam fore naſciturum; cùm Jeſus ſeſe aſſereret Meſsiam, quis inter tot tale nomen præſeferentes verus Meſsias extitit, niſi ipſe?

XXIV. Nolo præterire Judæorum fabulam; dicunt enim, Meſsiam ſuum natum in die deſtructionis Templi, nondum tamen apparuiſſe. Hæc autem inſania eruitur ex libro Berachoth Hieroſolymitano diſtinct., quæ incipit Hajah: *Illa die, qua natus eſt Meſsias, deſtructa eſt domus Sanctuarii, ut ait R. Joden in nomine R. Ibbo: factum eſt enim quodam Judæo commovente* (i. arante) *mugivit bos ejus coram eo. Tranſivit autem quidam Corvinus* (alii dicunt Arabs, alii Elias) *& audivit vocem, quæ dicit: Judæe fili Judæi, ſolve boves tuos, quia domus Sanctuarii deſtructa eſt. Mugivit bos tempore ſecundo, & ait* (ille Corvinus, aut Arabs, aut Elias) *Judæe fili Judæi, junge boves tuos, quia natus eſt Rex Meſsias. Dixit ei: quod eſt nomen ejus? Dixit ei: Menachem Conſolator. Dixit ei: quod eſt nomen Patris ejus? Dixit ei: Hiſkia virtus Domini. Et undè eſt? Dixit ei: de Domo Regia, de Bethlehem Juda &c.* Idem narratur in prima Bereſchit Rabba; diverſo tamen modo, quia nunquam ſibi ipſis conſtant mendacia; & additur, Meſsiam iſtum fictitium natum fuiſſe ſanguine cruentatum ob ruinam Sanctuarii, & flantibus ſuper eum ventis deductum fuiſſe ad mare magnum, ubi quadringentis annis morabitur, *& octoginta in aſcenſu fumi apud filios Kore, & octoginta in portis Romæ, & reliquo annorum revertetur ſuper omnes civitates magnas uſque ad tempus finis*. Et in libro Sanhedrin diſtinct. Chelok interroganti, quid faciat Meſsias in porta Romæ, reſpon-

ſpondetur: *Sedet inter pauperes patientes infirmitates, ſeu inter leproſos*.

At cui riſum non excutiant iſta deliria? Si ergò verus Meſſias natus fuit in die deſtructionis Templi, cur poſt deſtructionem Templi ſapientes Judæorum Bar-Cosbam, de quo ſupra, ut Meſſiam receperunt? Si quingentis, & ſexaginta annis debuit latere, & deindè apparere; cur hactenus non apparuit? Cur inter pauperes, ac leproſos in porta Romæ ſedentes hactenus inventus non eſt? Meſſiam inter fabulas, & ſomnia quæritant infelices Judæi, ne videant verum Meſſiam meridiano ſole clariorem in Jeſu Nazareno.

XXV. At velint nolint, videant neceſſe eſt omnia, quæ in Meſſia implenda erant, in Jeſu ſigillatim impleta. Meſſias naſci debuerat ex Davidis poſteritate pſalm.88.4. 2. Reg.7.16., Eſaiæ 11.10. *In die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum ejus glorioſum*. Jerem.23. 5. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum &c.* Ezech.34.23.24. *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcit eas, ſervum meum David... & ſervus meus David princeps in medio eorum*. Secundo naſci ex Virgine Eſaiæ 7. 14. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*: in Bethlehem Micheæ 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael*: in Galilæa trans Jordanem doctrinam ſuam primo ſpargere debuerat Iſaiæ 9.1. *Aggravata eſt via maris trans Jordanem Galileæ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam &c.*: omne genus morborum ſanare Eſaiæ 35. 5. &c. *Tunc aperientur oculi cæcorum &c.* imo mortuos ſuſcitare inter præcipuas Meſſiæ notas ponit R. Levi ben Gerſon. In Jeſu autem omnia prædicta fuiſſe impleta, cuivis legenti Evangelia palam fit. Eum enim ortum ex David affirmant Matthæus cap. 1. 1. & 20. ep. 9. 27. c.12. 23. c.15. 22. c.20.30.31. c.21.9.15. c.22.42. &c. Marcus c.10.47. c.12.35.36. 37., Lucas 1.27.32.69. c.2.4. c.18.38.39. c.20.42.44., Joannes c.7.42., Acta Apoſt.13.34. c.15.16., Paulus Roman. 1. 3. &c. De Virgine natum aſſerunt Matthæus c.1.18.22.23., Lucas 1.35. Natum in Bethlehem affirmant Matth. c.2.1.2.3.4.5.6. Lucas c.2. 4. Doctrinam ſuam evulgare cœpiſse Jeſum in Galilæa, enunciant Matthæus c.4.12.13.15., Marcus c.1.9.14., Lucas 4. 14., & alibi ſæpè. Omne inſuper morborum genus ſanaſſe, & mortuos ſuſcitaſſe, oſtendunt Matthæus c.11.5., Lucas c.4.19. ejuſque ſimilia miraculoſa per totam Evangelicam hiſtoriam ſparſa ſunt.

XXVI.

XXVI. Unum tamen, quod Judæorum jugulum petit, cujus effectus in hanc uſque diem permanet; Ex Davidis pſalm.2. v.8. pſalm.22. v.28., pſal.78. v.32., pſal.72. v.8. & 17., Eſaiæ c.2.2. c.11.10., c.14.1., c.6.3. &c. c.66. 19. &c. Zachariæ c.2. 11., c.8.20. &c., c.9.9.10.11. c.14.16., & Oſeæ c.2. 24. vaticiniis manifeſtiſſimè apparet: nimirùm Meſſiam non tantùm Judæorum, ſed aliarum gentium magiſtrum fore, & per ipſum collapſuros cultus falſorum Deorum, & ad unius Dei cultum perducendam univerſam alienigenarum gentium multitudinem, ut prædixerant Eſaias c.2.18.20., c.31.7., c.46.1., Sophonias c.1. 4.5.6., Zacharias c.13.2. Hoc per Jeſum factum, per ejus Apoſtolos proſecutum fuiſſe, nemo non videt. Ante Jeſu adventum ſub falſis cultibus Idolorum totus fere orbis jacebat; vix autem Jeſus miſit ſuos ad annunciandum orbi univerſo Evangelium ſuum, paulatim decreſcere cœpit falſorum numinum cultus, nec ſinguli tantum homines, ſed & populi, & regna, obnitente quamvis tota humana potentia, ad unius Dei veri cultum reduci. Hæc certè Judæorum Rabbinis non debentur, ſed Jeſu diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus. Ita populus Dei factus eſt, qui ante non erat, ut prædixerat Oſeas c.2.24. *Et dicam non populo meo populus meus es tu: & ipſe dicet: Deus meus es tu*: Et qui erat ante populus Dei factus eſt non populus Dei, ut prænunciaverat Daniel c.9.26. *Et non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt*. Et impletum, quod etiam prædictum retulimus per Jacob Gen.49. nimirum, antequam planè tolleretur civilis poteſtas à poſteris Judæ, venturum Siloh, i. Meſſiam, cui parituræ eſſent etiam exteræ gentes, ut poſtea Eſaias dixit cap.11.10. *Ipſum gentes deprecabuntur*.

XXVII. Nunc, ſi placet, expendendum pro coronide nobis eſt argumentum, quod ex pſalmo ſecundo inter alia contra Judæos intorquet Euſebius demonſtr. Evangel. lib.4. cap.16. Duobus characteribus debet inſigniri Meſſias, ſeu Chriſtus; nimirùm, quod contra ipſum aſtituri ſint Reges terræ, & Principes convenient in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Altero, quòd tandem Deus dabit illi gentes hæreditatem, & poſſeſſionem ſuam terminos terræ. Hæc in Jeſu fuiſſe impleta, quis non videt? Quid non tentarunt Reges terræ contra ipſum, ut ejus religionem diſſiparent? Et tandem nonne gentes factæ ſunt hæreditas ejus, quia converſæ ad ipſum? Nonne termini terræ poſſeſſio ejus facti ſunt, dum ejus nomen ad terminos terræ protenditur? Hæc certè non poſſunt referri ad Meſſiam, quem Judæi expectant, ac ſi iſte rurſus eſſet circumve-

Digitized by Google

veniendus à terræ principibus; nec credo, eos id unquam dat uros; quippe qui magnum quemdam Principem, Regemque æternum fore dicunt Chriſtum, quem expectant: quod ſi dabunt, & ille etiam, cum venerit, eadem patietur, quæ jam paſſus eſt qui venit; cur illi potiùs, quam iſti credendum erit? Quod ſi ad David, aut quempiam ex illius nepotibus oraculum torqueant, quis unquam illorum fuit, qui aut filius Dei aliquo Oraculo ſit dictus, aut ab ipſo Deo genitus, ſicut iſte, de quo pſalmus vaticinatur? Quis eorum fuit, contra quem aſtiterunt Reges terræ, & cui tandem datæ ſint gentes in hæreditatem, & termini terræ in poſſeſſionem; cum ſemper fuerit eorum regnum inter anguſtias Palæſtinæ concluſum? Si ergò hæc omnia in nullo eorum impleta; cur Jeſum, in quo omnia impleta demonſtramus, ut eorum Meſsiam non venerantur?

§. V.

Judæorum momenta, Jeſum non fuiſſe Meſsiam.

XXVIII. Opponi à Judæis ſolet, quædam de temporibus Meſsiæ prædicta eſſe, quæ in Jeſu non fuerunt impleta, nimirùm Meſsiæ tempore habitaturum lupum cùm agno, pardum cùm hædo, leonem cùm pecore ſtabulaturum, luſurum cùm anguibus infantem, ut ait Eſaias c.11. v.6., & ſequentibus. Secundò montem Dei ſurrecturum ſupra alios montes, venturos eò alienigenas, ut ſacra faciant, quod ait Eſaias c.2. v.2., Michæas c.4. v.1. & ſequent. & quod confluxuræ ad eum ſint omnes gentes, Eſaias loco mox relato. Nihil autem horum in Chriſto Jeſu fuit impletum.

XXIX. Reſpondeo cùm **D. Hieronymo** in dictum Caput 11. Eſaiæ, quærendo à Judæis, num ſicut volunt, ad litteram intelligi, quod lupus habitabit cùm agno; ita etiam ad litteram velint intelligi omnia, quæ in dicto capite dicit Eſaias. Si reſpondeant non: cur (dicam) ad litteram intelligi volunt, lupum habitaturum cùm agno, & non omnia? Si reſpondeant ſic. Inferam ego: ergò cum ibi exprimit Meſsiam nomine Virgæ, & floris egredientis de radice Jeſſe, verba hæc erunt ſumenda ad litteram, & ut ſcripta ſunt; & ſic Meſsias erit verè Virga, flos de radice naſcens. Ergò dum dicitur terra percuſſa verbo Dei, & interfectus impius ſpiritu verborum ejus, debent intelligi ad litteram; ſicut etiam dum ait, quod Juſtitia erit cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus, omnia hæc ad litteram
erunt-

erunt ſumenda; & ſic res ſpirituales, quales ſunt juſtitia & fides, erunt propriè cingulum, quo cinguntur lumbi & renes Meſsiæ: quo quid magis ridiculum? Rursùs quid dignum Dei majeſtate diceret Eſaias, ut lupus & agnus paſcantur ſimul, & pardus cùm hædo accubet, & Leo paleas comedat, & puer parvulus mittat manum ſuam in foramine aſpidum? Niſi fortè juxta fabulas poetarum aureum nobis Saturni ſeculum reſtituant, in quo lupi & agni paſcentur ſimul? Quod ſi reſponderint, hæc in beatitudine futura eſſe; nimis viliter loquuntur de beatitudine habenda per Meſsiam, quæ non bonis corporis, ſed animi in virtutibus ſtatuenda, quæ coram Deo, imo & coram verè ſapientibus ſolæ verum bonum ſunt.

XXX. Diſcant ergò Judæi, Scripturas interpretari; & norint, in eis aliqua equidem eſſe ſumenda litteraliter, ſed alia etiam, præſertim in propheticis, ſumenda eſſe per figuram, aut metaphoram, aut ſpiritualiter. Sicut ergò ipſi non ſument florem, & virgam, nec cinctorium, aut lumbos, & renes litteraliter, ſed ſpiritualiter: ita lupum tempore Meſsiæ habitaturum cùm agno, & reliqua hujuſmodi ſpiritualiter dicta percipiant, nimirùm vel gentes genio feroces per ipſum ad manſuetudinem redigendas, populoſque feritate tumidos colla ſuæ legi ſubdituros. Hoc D. Petro oſtenſum fuit in linteo ſibi à cœlo demiſſo (Act. 10.) habente quatuor principia, quæ quatuor mundi plagas intelligimus, ut repletam terram Dei ſcientia cognoſcamus; in quo erant quadrupedia, & ſerpentes, & beſtiæ, & volatilia cœli, ut quod arca litteraliter in diluvio, hoc ſpiritualiter præſtet Eccleſia in mundo. Hæc cùm D. Hieronymo.

XXXI. Miror ſanè, quod Judæi dicta verba ad litteralem ſenſum trahere velint, cum nedum S. Hieronymus, aut quivis alius ex noſtris, ſed, ut advertit Martini 2.p. c.12. §.17. Jonathan ipſe, cui nefas eſt contradicere Judæis, ea in Chaldaicum transferendo ſpecialiter interpretatus ſit, dicens: *Et egredietur virga de trunco Iſai*, ait: *Et egredietur Rex de filiis Iſai*: *& planta de radicibus ejus germinabit*, ait: *Et Meſsias de filiis filiorum ejus ſe nutriet*. Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides lumbare renum ejus, ſic legit: *Et erunt juſti circumcirca ei, & agentes fideliter appropinquabunt ei*: & habitabit Lupus cùm Hædo ſic exponit: *Et in diebus Meſsiæ Iſraelis multiplicabitur pax in terra*. Hæc autem omnia temporibus Jeſu, & in ipſo verificata fuiſſe, quis non videt? Neque debet eſſe novum, beſtiarum ferarumque nomine figurari homines, nam ſuper pſalm. 36. v. 7. hominem & beſtiam ſalvabis Domine Rab. Juda dixit: *Hi ſunt*
filii

ſilii Adæ, qui ſunt aſtuti per ſcientiam, & ſtatuunt ſemetipſos velut jumentum, quaſi dicat: illos ſalvabit Deus, qui ſunt homines, i. prudentes ad faciendum bonum; & jumenta, i. ſimplices ad patiendum malum, i. ad onus legis ac Dei portandum.

XXXII. Item Meſsias dicitur figuratè *Mons* ab Eſaia cap. 2. ſicut à Daniele cap. 2. dicitur *Lapis*, qui crevit in montem: *Mons*, in quo fundata eſt Eccleſia; mons, inquam, in vertice montium, quia elevatus ſuper omnes alios montes; montes enim dicuntur non ſolùm Meſsias, ſed & Patres, de quorum ſemine erat naſciturus. Ita nedum S. Hieronymus in dictum Caput, ſed etiam Bereſchit Rabba ſuper illud Geneſ. 28. 10. *Quis tu mons magne coram Zorobabel?* Hoc eſt: *Mons magnus*, ideſt Meſsias, & quare ipſum vocas montem magnum? Quia major eſt, quam Patres; exaltabitur plus, quàm Abraham... & elevabitur pluſquàm Moyſes &c. Ita ex Martini 2. p. cap. 12. §. 6.

XXXIII. Fluent item ad eum omnes gentes, omnes enim gentes ſervient ei Pſ. 71. 11. cui dictum eſt Pſ. 2. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*; ut ſerviant ei juxta Sophoniam 3. 9. ſub jugo uno. Ita S. Hieronymus in Eſaiam c. 2. *Omnes*, inquam, *gentes*, non ita amplè, ut ſumatur pro omnibus & ſingulis univerſim, & pro quovis tempore; ſed pro multis, ſeu ex omnibus gentibus multæ ad eum fluent; unde quaſi ſe reſtringens Eſaias ſubjungit: *Et ibunt populi multi*: nec ſemper ly *omnes* univerſitatem, ſed ſæpè multitudinem exprimit; ut cum dicitur 2. Reg. 16. 22. *Ingreſſus eſt* (Abſalom) *ad concubinas Patris ſui coram univerſo Iſrael*, & ibi cap. 17. verſ. 14. *Dixitque Abſalom, & omnes viri Iſrael*; & verſ. 11. *Congregetur ad te univerſus Iſrael à Dan uſque Berſabee, quaſi arena maris innumerabilis*. Hic quis tam inſulſus dicet, ly *univerſus & omnis* debere accipi diſtributivè & rigoroſè, ita ut nullus deficeret ex Iſrael, qui non videret Abſalonem perpetrantem illud flagitium, quique non loqueretur, aut congregaretur ad ipſum, cum multi abſque numero eſſent abſentes, cum multi eorum vel eſſent cum David, vel in domibus ſuis remanſiſſent? Sumto autem ly *omnes* cùm diſtributione accommoda, quis negare audebit, omnes gentes prædicatione Apoſtolorum, ac ſucceſſorum ejus, ad Jeſum confluxiſſe; in eoque oraculum fuiſſe impletum?

Dici etiam poteſt, quod cùm Meſsiæ regnum duraturum ſit uſque ad ſeculi conſummationem, etiamſi omnes omnino gentes hactenus ad Chriſtum non confluxerint, confluent tamen

omnes ante ſeculi finem. Unde Chriſtus Joann.10.16. ait: *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet unum ovile & unus paſtor*. Hinc D. Hieronymus in cap.25. Jerem. loquens de liberatione totius orbis terrarum facienda per Chriſtum ait: *Quod ex parte & nunc completur in mundo, & ex toto complebitur, quando de oriente, & occidente ſeptentrione & meridie venient & diſcumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob. Ut poſtquam ſubintraverit plenitudo gentium, tunc omnis Iſrael ſalvus fiat.*

XXXIV. Offendit ſecundò Judæos ſtatus humilis & pauper Jeſu, ſicut & ejus ignominioſa mors; credunt enim, Meſsiam venturum cum Regio apparatu ac majeſtate; tali enim, ajunt, pompa deſcribitur à Prophetis.

Verùm in hoc etiam turpiter falluntur; Meſsiam enim fore humilem ac mitem prænunciavit Eſaias c.61.1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem contritis indulgentiam, & clauſis apertionem.* Hoc in ſe ipſo impletum oſtendit Jeſus Matth.11.5. Futurum pauperem præcinit Zacharias c.9.9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam, & ſuper pullum filium Aſinæ*; hoc in Jeſu conſummatum indicat Matth.21.5. Non clamorem excitaturum in publico, ſed acturum leniter, prædixit Iſaias cap. 42. v.2.3.4. *Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, in veritate educet judicium* &c. quæ mirè conſonant cum eo, quod Matth. ſcribit de Jeſu c.12.19.20. Dolores, ignominias, ac demum mortem Meſsiam paſſurum, clarè expreſſit Iſaias c.53., ubi de Meſsia ſermonem fieri, interpretantur Chaldæi Paraphraſtes, & Gemara Babylonica titulo de Synedrio. Ibi ergò ſic legimus: *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus ... deſpectum & noviſſimum virorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos putavimus eum, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ovis ad occiſionem ducetur &c.* Dicant, quæſo, Judæi, cuinam aut Regi, aut Prophetæ ejuſmodi congruant?

XXXV.

XXXV. Dicent, hæc congruere populo Judæorum diſperſo in omnes gentes, ut ſuo exemplo, ac ſermone multos proſelytos faceret. At quo fundamento id aſſeritur? Hunc, quem Iſaias deſcribit afflictum atque attritum, dicit ejuſmodi non pati propter peccata propria, ſed aliena, quæ in ſe tulit, atque portavit. Quomodo autem Judaico populo id aptari poteſt, quem Scripturæ nobis exhibent ſemper afflictum propter peccata ac ſcelera propria; cuique nihil mali tam grande accidit, ut non ipſum, & inſuper multò majora non eſſet promeritus? Rursùs is, cui peccata populi non ſunt ſua, non poteſt eſſe unus de populo.

Meliùs ergó Hebræorum antiqui putabant, hujuſmodi de Meſſia dicta eſſe. Verùm, cùm ex una parte convicti faterentur Meſſiæ labores, anguſtias, ignominias, violentam mortem, fœdumque ſupplicium; & cùm ex alia ſupremos illi paratos honores, maximam potentiam, ampliſſimumque regnum ex prophetarum oraculis perſpectum haberent; ut hæc concordarent, duos futuros Meſsìas commenti ſunt: unus horum erat naſciturus ex Joſepho Jacobi & Rachelis filio, qui Nehemias Uzielis filius dicendus erat, quem infelicem fore dicebant, ærumnis devotum, ac morti cruentæ in prælio obeundæ adverſus impium, & monſtroſum Armillum: Alter ex Davidis proſapia gignendus Iſraelici regni vindex, ſummam geſturus gloriam, diſperſos Iſraelitas congregaturus, per quem alter Meſsìas Joſephi filius ad vitam ſit revocandus; poſtquam Armillum Deus, & univerſum Armilli exercitum, igne & ſulphure de cœlo emiſſis, deleverit. Hæc Judæorum infelicia ſomnia, tradita lib. 6. p. 2. Thalmudis, qui eſt de feſto Tabernaculorum cap. 5. traduntur & in Bereſchit Rabba, & apud Rabbi David Kimhi, Aben Ezram, R. Makirum in pulvere aromatico, alioſque complures ex recentioribus Rabbinis; in quo tamen mirabiliter hallucinantur; cùm enim oracula de Meſsìa prædicunt labores, anguſtias, ignominias, & mortem, & deindè etiam regnum, majeſtatem, & ſupremos honores, non duos indicant futuros Meſsìas, unum ærumnis devotum, alterum glorioſum: ſed unum ac eundem, qui per adverſa & mortem ad regnum & gloriam majeſtatis, eſſet perventurus; unde ait Chriſtus Lucæ 24. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Vel duos ejuſdem Meſsìæ portendunt adventus, unum humilem ac ingloriumm, nimirùm Meſsìæ ut Redemptoris; alterum ſplendidum ac magnificum, nimirùm Meſsiæ ut Judicis. Uterque adventus indicatus fuit à Chriſto paſſim in ſuis Evangeliis:

unde etiam ex hac parte evincitur, eum fuiſſe Meſsiam.

XXXVI. Retinet Judæorum multos à ſuſcipienda vera Chriſti fide præconcepta opinio de virtute & probitate majorum ſuorum, & maximè Sacerdotum, qui Jeſum condemnarunt, ac ejus doctrinam repudiarunt, ex quo inferunt, eum non fuiſſe Meſsiam, alias viri tales probitate ac ſcientia præditi, eum amplexati fuiſſent, quem à tot ſeculis expectabant.

Verùm quales ſæpè fuerint majores Judæorum, non ex me audiant, ſed ex verbis legis ſuæ, ac Prophetarum, à quibus ſæpè vocantur *incircumciſi auribus, & corde* Jerem. c.4. 4. & c.6.10. *Populus* labiis,& rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotiſſimus à Deo. Deuter.32.5.6.15.28., Eſaiæ 29.13., Amos 5. 21., Ezech.16.3. At videamus, quinam fuerint majores eorum. Majores eorum fuerunt, qui Joſephum fratrem ſuum parum affuit, quin interficerent Gen.38., re autem ipſa in ſervum vendiderunt. Majores ipſorum & illi, qui Moſen perpetuis ſeditionibus ad vitæ tædium egerunt, Moſen, inquam, ducem ſuum ac liberatorem, cui terra, mare, aer obediebant, ut legitur Exodi cap.14.11., c.15.24., c.16.27., c.17.2.4. &c. Qui panem cœlitùs miſſum faſtidierunt num.11.6. Qui velut de ſumma penuria conqueſti ſunt,cum comeſtas aves adhuc ructarent Num.11. in fine. Majores eorum fuere, qui Davide bono ac pio Rege deſerto, ſecuti ſunt rebellem filium 2. Reg.15. Majores ipſorum fuerunt, qui Zachariam Jojadæ filium in loco quidem ſanctiſſimo trucidarunt 2. Paralip. 24.21., victimam crudelitatis ſuæ facientes ſacerdotem. Jam verò ad Pontifices quod adtinet, Pontifices fuere, qui Hieremiæ falſo crimine mortem machinati ſunt (Hierem. 26.) & perfeciſſent, niſi procerum quorumdam obſtitiſſet auctoritas; extorſerunt tamen, ut captivus haberetur ad ipſum uſque momentum captæ urbis, Jerem.38.

XXXVII. Si autem quis putet, meliores fuiſſe eos, qui Jeſu temporibus vixerint, facilè ab errore liberari poteſt, ſi adierit Joſephum, qui atrociſſima eorum facinora deſcribit, & pœnas graviores omnibus unquam auditis, & tamen, ut ipſe cenſet, infra meritum. Crimina Judæorum illius temporis exprobrat Joannes Baptiſta Scribis, ac Phariſæis, qui tunc populo dominabantur Matth.3. 7. Chriſtus ipſe Matth.16.4. c.23. ubi eorum ſuperbiam atque hypocriſim redarguit, monens populum, ne ſecundum opera eorum faceret. Neque de Synedrio meliùs exiſtimandum; maximè cùm eo tempore Senatores non veteri more cooptari meritis, ſed ex potentium nutu, ac ſtudio partium legi ſolerent, ut ait Joſephus lib.14. 19., ut & Pontifices non

jam perpetua, ſed annali, & ſæpè emta dignitate, ut ex Joſepho lib.18. antiq. c.3. & 6. Non ergò mirum, ſi homines arrogantiâ tumidi, ambitione & avaritiâ inſatiabiles, in furorem acti ſint, conſpecto homine, qui ſanctiſſima præcepta adferens, vitam ipſis ſuam, & facto, & verbis exprobrabat. Sic Michæam Joſaphati tempore in cuſtodiam dedere, quòd intrepidè veritatem contra quadringentos falſos Prophetas adſereret 3. Reg. 22. ſic Eliam Achabus perſecutus eſt eodem titulo, quo Sacerdotes Jeſum (Lucæ 23.2.) quod ſcilicet turbaret pacem, ac plebem commoveret 3. Reg.18. 17. Sic Jeremiæ crimini dedere, ſicut Jeſu (Matth. 26. 61. Joann. Marci 13. 2.) quòd adverſus Templum vaticinaretur Jerem.7. 4. &c. 26.6. 11. His omnibus adde, magiſtros Hebræorum veteres ſcriptum reliquiſſe, Meſſiæ temporibus homines fore caninâ impudentiâ, aſininâ contumaciâ, ferinâ crudelitate inſignes; ſic in Thalmud de Synedrio, Ketuboth, & Sota. R. Salomon ad dictum titulum de Synedrio C. Helech., & Traditio R. Judæ ad eundem titulum de Synedrio C. Helech ſic habet: *Quo tempore adveniet filius David, domus inſtitutionis divinæ fiet lupanar*. Idem prædixerat Deus ipſe Oſeæ 2.24. temporibus Meſſiæ, ut qui populus ſuus non fuiſſet, in populum adſumeretur: ex Judæorum etiam urbibus vix unum aut alterum iturum ad ſacrum montem, ſed quod ad eorum numerum deeſſet, id expleturos extraneos. Jerem.3.14.17. Hæc ex Grotio lib.5. de verit. relig. Chriſt. §.20.

XXXVIII. Attamen demus Hebræis (quod falſum eſt) Viros, qui Judæis Chriſti tempore præerant, eumque condemnarunt, fuiſſe ceteroquin probos, atque à criminibus alienos. Quæſo: unde ortum habuit totius Judaici populi exterminatio, Civitatis ac Templi irreparabilis deſolatio? Dicent fortè, odium, quod erat inter Judæorum principes, tanti excidii cauſam fuiſſe? At Joſephus, qui rem probè noverat, dicit, id factum alto Dei decreto, quo ſtatuerat populum illum exterminare, ſic lib.6. de bello Judaico cap.15. narrans, Romanos milites à cædibus Judæorum nec mandatis ducum coerceri potuiſſe, ſubdit: *Deus autem, qui damnaverat populum, omnem viam ſalutis ad interitum verterat*: & lib. 7. cap. 28. referens Eleazari verba ad Judæos, ait: *Olim enim quantum apparet contra omne Judæorum genus hoc decretum poſuit Deus, ut vita careremus, qui eâ non eramus, quemadmodum oportebat, uſuri*. Cùm ergò juſtus Deus non decernat pœnam, niſi ob flagitia, quæro, quodnam fuit ſcelus, quod illi viri ceteròquin probi admiſerunt, ob quod finem totius populi Judaici decrevit Deus? Mutuum inter ipſos odium non videtur

cer-

Digitized by Google

certe in eos tantam cladem accerſiſſe, tamque diuturnam: oportet ergò hanc decretam propter odium in Jeſum, gratis & ſine rationabili cauſâ exercitum, & conſequenter, cum tantum odium conceperint, quòd aſſereret, ſe eſſe Meſsîam Deique filium; concludi debere, eum veritatem dixiſſe, eoſque in ipſum atrociter peccaſſe, atque ob hanc cauſam gentem totam in perniciem traxiſſe.

§. VI.

Jeſum fuiſſe verum Deum, ac Hominem.

XXXIX. MEſsîam in lege promiſſum nullum alium fuiſſe, quàm Jeſum, Hebræis demonſtratum eſt. Supereſt aliud controverſiæ caput, an fuerit purus homo, an verò homo ſimul, ac Deus. In quo non ſolùm nobis res eſt cùm Judæis negantibus, Meſsîam fore verum Deum, ac idcirco id Jeſu inficiantibus, dato etiam, quod fuiſſet Meſsîas; ſed cùm aliis, qui licèt Chriſtum agnoverint Meſsîam, eum tamen aliqui negarunt fuiſſe verum Deum, ut Ebionitæ; alii fuiſſe verum hominem, ut Manichæi. Attamen in præſenti ſolùm cùm Judæis agemus, nam contra alios arma ſumſimus Tract. de Incarnat. qu.5. dub.1. & qu.6. dub.1.

XL. Jeſum ergò Meſsîam Deum fuiſſe probo primò. Meſsîas eſt Salvator, non temporaneus, ſed perpetuus; at perpetuus Salvator eſt Deus; ergò Meſsîas eſt Deus. Mi. probatur primò ex Iſaia cap.43.11. *Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me* (*i. me excepto*) *Salvator*. Cui conſonat illud Oſeæ 13.4. *Et ego Dominus Deus tuus de terra Ægypti, & Deos præter me, vel abſque me neſcias, & Salvator non eſt, niſi Ego, vel præter me*. Hinc in Midraſch Tillim dixit R. Jochanam. *Iſrael ſervi facti fuerunt in Ægypto, & ſteterunt Moyſes, & Aaron, & redemerunt eos: rursùs redacti fuerunt in ſervitutem in diebus Siſſeræ, & redemit eos Barak, & Debbora. A Madianitis verò Gedeon, & ſic per manus Samgar. Sic quoque per manus cujuslibet Judicum ſteterunt & redemerunt eos. Iterum facti ſunt ſervi in Babylonia, rurſumque redemti fuerunt per manus Ananiæ, Miſael, & Aſariæ. Et rurſum redacti ſunt in ſervitutem per manus Edom* (i. per Romanos) *Dixerunt igitur Iſrael, ecce laſſati ſumus ſubjugationibus, & redemtionibus, non ſumus ulteriùs quærentes, ut illuceſcat nobis caro, & ſanguis, ſed Deus ipſemet, ſicut dictum eſt pſalmo* 118. *v.*27. *Dominus Deus, & illuxit nobis; & dicitur Eſaiæ* 45. *verſ.* 17. *Iſrael ſal-*

ſalvatus erit in Domino ſalvatione ſeculorum. Item in Midraſch Vaykra. *Dixit Deus in ſeculo iſto, vos fuiſtis ſalvati per manum filiorum Adæ: ex Ægypto per manus Moyſis, & Aaronis; in diebus Siſſeræ per manus Barak, & Debboræ. A Madianitis per manus Samgar filii Anath, ſicut dictum eſt Judic.3.v.31. & ſalvavit etiam ipſe Iſrael: ſic quoque per manus Judicum aliorum: & quoniam fuerunt caro, & ſanguis, fuiſtis iterum ſervituti ſubjecti: ſed in futuro Ego in ſubſtantia mea ſalvabo vos, & rursùm non redigemini in ſervitutem, ſicut dictum eſt Eſaiæ 45. 17. Iſrael ſalvatus eſt in Domino ſalvatione ſeculorum: non erubeſcetis, neque confundemini uſque ad ſecula ſeculorum*. Hæc hebraica Traditio. Cùm ergò ſolus Deus ſit Salvator ſalvatione perpetua ſecundum Rabbinos, & Meſsìas ſecundum eoſdem ſit Salvator ſalvatione perpetua, ſit conſequens, Meſsìam ſecundum ipſos non eſſe purum hominem, ſed Deum.

XLI. Secundò idem probo ex Oſea 1. v.6. *Non addam ultra, ut miſerear domus Iſrael, quoniam obliviſcendo obliviſcar eorum, & domus Juda miſerebor, & ſalvabo eos in Domino Deo ſuo*. Hinc in Targum Jonathæ dicitur: *Quia non addam ultra ad miſerendum ſuper domum Iſrael: tamen ſi pœnituerint ignoſcens ignoſcam illis. Et domus Judæ miſerebor, & ſalvabo eos in Verbo Domini Dei ſui*. Salvator ergò, per quem ſalvanda eſt domus Juda, nimirum Meſsìas, ſecundum Oſeam erit Dominus Deus ſuus, & ſecundum Targum ſalvanda eſt per Verbum Domini Dei ſui: igitur Salvator, ſeu Meſsìas, erit Verbum Dei, & Dominus Deus.

XLII. Meſsìam quoque Deum in Scripturis vocari, teſtatur Jeremias cap.23. v.5. & 6. ubi de eo ſic legitur: *Ecce dies venient dicit Dominus, & ſuſcitabo David germen juſtum (vel ſtatuam Davidi germen juſtum) & regnabit Rex, & ſapiens erit (vel & intelliget) & faciet judicium & juſtitiam in terra. In diebus illis ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit confidenter (ſive ad fiduciam) & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*. Hic obſervandum eſt, quod, ubi vulgatus Interpres vertit *Dominus*, Hebræus ponit *Jehovah juſtus*. Pluribus autem nominibus conſuevere Judæi, Deum exprimere, & S. Hieronymus epiſt. ad Marcellam decem nomina Dei recenſet, primum & maximum eſt *Jehovah* dictum à Græcis *Tetra-grammaton*, i. quatuor litteris ſcriptum, nimirùm *Jod*, *He*, *Vau*, *He*, quibus conjunctis Vox Jehovah modo redditur, etenim de vera hujus nominis pronunciatione non convenit; imò hoc nomen antiquis videtur fuiſſe incognitum, S. enim Hieronymus nomen, quod dicit eſſe Dei magnum, non exprimit, ſed tantum dicit eſſe nomen quatuor

lit-

litterarum. Illud autem tanta veneratione proſequebantur Judæi, ut nec illud ore uſurpare auderent, nec ſcribere, ne ſi liber fœdè & ignominiosè tractaretur, prophanatio ſacri nominis fieret: & 70. Interpretes quoties tale nomen occurrebat, ſubjiciebant puncta vocalia nominis *Adonai*, quod Græcis idem ſonat, ac *Chirios*, Latinis veró *Dominus*. Solus Pontifex teſte Joſepho lib. 3. antiq. cap. 8. lamina aureâ ſculptum illud in fronte geſtabat, nec tamen illud pronunciabat, niſi cùm populo benedicebat, & cum Sancta Sanctorum ingrediebatur. Hoc nomen, putat Cornelius à lapide, primò revelatum fuiſſe Moyſi Exod. 3. v. 14. quando ei dixit Ego *ſum* qui *ſum*, nec ab ullo ex Patriarchis ante ipſum uſurpatum; ſignificát enim propriam Dei naturam, ut incommunicabilem aliis, nimirùm, ipſum eſſe per eſſentiam, ſeu comprehendens omne eſſe. Quare Grammatici Hebræi obſervant, tria tempora ſubſtantivi verbi *ſum* ſimul complecti, præteritum, præſens, ac futurum, fui, ſum, ero. Soli autem Deo hæc tria conveniunt, ut ab æterno in æternum ſit, & ſimul omne eſſe, & omnia in ſe tempora comprehendat. Alia verò nomina, licet Dei propria, aliis quandoque applicabantur, ut *Elohe* in ſingulari, & in plurali *Elohim*, quod paſſim in Scripturis Diis falſis accommodatur. Solùm *Tetra-grammaton*, ſeu *Jehovah* eſt incommunicabile.

XLIII. Hæc non ſoli Theologi Chriſtiani, verùm etiam Hebræi Rabbini ſentiunt. R. enim *Moſes Ben Maymon* in L. directionis perplexorum, quem Hebræi vocant *Moreh Hannebochim* part. 1. cap. 6. ait: *Omnia nomina Creatoris benedicti inventa in libris omnibus derivata ſunt ab operibus... præter unum Nomen, quod eſt Jehovah, & eſt nomen appropriatum Creatori Altiſſimo. Et propter hoc vocatur Schem Hamephoraſch nomen expoſitum. Vult autem dicere, quod ipſum ſignificat ſubſtantiam Creatoris, & qaidditatem ejus ſignificatione perfecta, & manifeſta, in qua non eſt æquivocatio, neque mixtura* (i. nihil eſt quod cum Deo communicet, ſive participet in hoc nomine.) *Reliqua vero nomina ipſius glorioſæ ſignificant æquivocè, & cum mixtura, eo quod ſunt derivata ab operibus ſimilibus eis, quæ reperiuntur in nobis. Ita quod etiam nomen Adonai derivatum eſt ab hoc verbo Adon, quod eſt Dominus. Et jam dictus eſt Angelus Adonai, ſicut dicitur Gen. 18. 4. Domine, ſi quæſo inveni gratiam in oculis tuis.... Nomen autem quod ſcribitur ex Jod, He, Vau, He neſcitur ejus derivatio nota; nec in eo participat cum alio*. In diſtinctione *Chelek Abba Saul* dixit: *Qui pronunciat ipſum nomen quatuor litterarum cùm litteris ſuis, non erit ei pars ad ſeculum futurum, & non eſt dubium, quod hoc nomen*

men glorioſum, quod non profertur, niſi in Sanctuario, ſicut noſti à Sacerdotibus Domini ſanctificatis, & ſolùm in benedictione Sacerdotum, & tunc etiam à Sacerdote magno: & in die jejunii glorioſæ ſanctificationis eſt (vel ut MS. alii habent *glorioſæ ſignificationis eſt*) *in qua non eſt communicatio, neque participatio inter Creatorem, & aliquem alium*. Multa alia profert ex R. Moſe Ben Maymon Martini 3.p. diſt.3. c.2. § 9.

XLIV. Communi ergò conſenſu Chriſtianorum, ac Rabbinorum nomen Dei quatuor litterarum *Jehovah*, utpotè ſignificans ſubſtantiam Dei propriam, non autem aliquam ejus operationem participabilem ab aliis, nulli alteri quam Deo Creatori poteſt appropriari. At ex dictis ex cap.23. Jerem.6. hoc nomen *Jehova* appropriatur Meſsìæ; ergò Meſsìas eſt verus ac ſubſtantialiter Deus. Cui accedit Iſaias 9.6. celebri illo de Meſsìa teſtimonio: *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis... & vocabitur nomen ejus admirabilis conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis*.

XLV. Judaica tamen perverſitas fingit ſibi viam, qua hæc teſtimonia eludat: dicit ergò, in verbis Jeremiæ non legi *vocabunt*, ſed *vocabit*; & ideo ſenſum verborum eſſe: & hoc eſt nomen illius, qui vocabit eum Dominus (Jehovah) juſtus noſter. Item ad teſtimonium Iſaiæ dicunt, vocem illam El, qua hebraicè ſcriptum eſt, nil aliud ſonare, quam fortem, robuſtum, potentem.

XLVI. Atqui Judæos, vel falli, vel fallere oſtendit eorum Targum, dum ait: *Et hoc eſt nomen ejus, quod ipſi vocant illum, ſeu quod ipſi dicent ipſi*. Ita etiam verterunt 70. Interpretes; & confirmatur ex eodem Jeremia cap.33. v.16., ubi eadem repetens, nimirùm: *In diebus illis ſalvabitur Juda... & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter*: exponitur in Targum: *Et hoc eſt nomen ejus, quod ipſi dicent*.

Quod autem dicunt ad teſtimonium Iſaiæ, falſitatis convincitur ipſis Eſaiæ verbis, ſi enim vox *El* fortem hic ſignificat, cur poſtea ei adjicitur alia vox *Ghevor*, quæ ſignificat iterum fortem, & dicitur *Deus fortis?* Idem evincunt 70. Interpretes, qui vertunt *Theos Iſchyros*, i. Deus fortis: quod & teſtantur Irenæus lib.4. cap.66., Euſeb. demonſtr. Evang. lib.7. & 9., Procopius in Eſaiam 9.6., & Theodoretus ibidem, qui meritò falſi accuſat Aquilam, quòd verterit *Iſchiròs Dinatòs fortis potens*, cum vertere debuiſſet *Theos Iſchyros Deus fortis*. Rem hanc planè conficit Procopius in Eſaiam cap.9., qui obſervat, ipſa hæc verba *El Ghevor* in ſequenti cap.10. Eſaiæ referri manifeſtè ad Deum, ibi enim v.22. dicitur: *Reliquiæ convertentur, reliquiæ inquam,*

Jacob ad Deum fortem El Ghevor. Si *El Ghevor* in capite 10. refertur ad Deum, cur *El Ghevor* poſitum in cap. 9. ad Deum referri non debet? Tandem ille, qui cap. 9. dicitur *El Ghevor*, vocatur etiam immediatè *Pater futuri ſeculi*. Quis autem eſt fortis ille, qui erit Pater futuri ſeculi, niſi Deus? Scio, nomen *El* ſeu *Elohim* in ſacris Codicibus non ſoli vero Deo, ſed etiam Idolis, quæ ab Ethnicis pro Diis habentur, tribui: ſed in citato loco alii, quam vero Deo, tribui non poſſe, quis non videt?

XLVII. Propterea videntes alii, nullius eſſe roboris reſponſionem datam, ad aliam fallaciam confugiunt; dicunt enim, non eſſe legendum: *Et vocabitur nomen ejus admirabilis* &c., ſed legi debere, *& vocabit*; unde totius ſententiæ ſit ſenſus: *Et admirabilis conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi vocabit eum Principem pacis*. Sed iſti primó ſeſe opponunt ſuis, qui aliter exponunt dicta verba. Secundò etſi fatear, dictionem illam pro diverſitate punctorum, vel activam, vel paſſivam ſignificationem habere, quamvis ſæpiùs habeat paſſivam; undè probant habere potiùs activam? Undè oſtendunt, dictum locum potiùs eſſe legendum: *Et admirabilis conſiliarius, Deus fortis &c. vocabit eum Principem pacis*, quàm hoc modo: *Et admirabilis conſiliarius vocabit eum Deum fortem, Patrem futuri ſeculi, Principem pacis*, vel iſto: *Et admirabilis vocabit eum Conſiliarium, Deum fortem, Patrem futuri ſeculi, Principem pacis*? Demùm quid reſpondebunt 70. Senibus, qui vertunt *Caliſte*, ideſt vocatur; Aquilæ qui vertit *Eclithi*, i. vocatus eſt; & Simmaco vertenti *Clithiſete*, i. vocabitur?

XLVIII. Reſpondent alii, nomen Dei magnum *Tetragrammaton*, ſeu *Jehovah* aliis, quàm Deo, tribui; hinc in libro Baba Bathra diſtinct., quæ incipit *Hannocher Haſſephinah* dixit R. Jonathan: *Tres ſunt vocati nomine Dei Sancti benedicti, & ſunt hi: Juſti, Meſsias & Hieruſalem*. Ergò ex quo Meſsiæ tribuatur nomen Dei proprium, non infertur eum eſſe naturaliter Deum.

XLIX. Sed hi contradicunt Rabbi Moyſi Ben Maymon ſupra citato, qui ut vidimus, aſſerit, nomen *Jehova* taliter eſſe Dei proprium, ut nulli valeat communicari. Reſpondeo itaque primò, reperiri quidem in Scripturis, hominibus tribui nomina *El* ſeu *Elohim*, quod eſto Dei nomen ſit, non tamen eſt prorsùs incommunicabile, quin imò etiam ad falſos Deos extenditur; non tamen reperire erit nomen *Tetragrammaton* ſeu quatuor litterarum de alio, quàm de Deo, propriè dictum. Quod ſi aliquibus videtur nomen *Tetragrammaton* applicatum, hoc non eſt intelligendum directè eis convenire: ſic juſti dicuntur Dii, quia amici, & ſervi Dei, Hieruſalem dicitur Deus, quia eſt ſedes

Digitized by Google

des Dei, vel quia Deus eſt in ea: ſic Altare, quod erexit Abraham Gen.12.14. vocatur *Dominus videt*, quia eſt ſignum Domini, qui ibi apparuit. At de Meſsia nomen magnum Dei dicitur directè. Obſervandum enim eſt, quod, cum nomen *Tetragrammaton* dicitur de Deo, dicitur cum adjuncto nomine, nimirùm *Juſtus*, *fortis &c.* ut pſalm.129.4. *Dominus juſtus concidit vincula impiorum*, & Threnor.1.18. *Juſtus eſt Dominus*, & hic modus loquendi ejus eſt, qui vult exprimere veritatem, qualitatem, imò & quidditatem cujuſque rei, ſeu quid ſit res illa; nomina enim debent eſſe conſona rebus. At cum de Hieruſalem ſuperna dicitur nomen *Tetragrammaton*, non dicitur cum adjuncto, ſed cum adverbio *ibi Dominus*, *Jehovah ibi*, ut oſtendatur non quidem eam eſſe Deum, ſed Deum eſſe in ea. Porrò cum Deus vocaverit Meſsiam nomine ſuo, cum adjecto *Dominus juſtus*, quod nulli convenit, niſi Deo; cumque nomina concordent rebus; conſequens eſt, Meſsiam eſſe Deum ſecundum naturam, & quidditatem. Hoc argumento perſtringit Judæos Calvinus ipſe tum in comment. ad hunc locum Hierem.23., tum in 1. inſtit. c.13. §.9.

L. Validum argumentum pro divinitate Meſsiæ miniſtrant ipſimet Hebræi; cum enim Dominus Jeſus Joan.10.30. &c., ut revera erat, ſe Meſsiam Judæis aſſereret, divinitatem quoque ſuam aſſerebat, dicens: *Ego, & Pater unum ſumus*. Quod indignantes Judæi reſponderunt; *Tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum?* Ubi nota, Judæos fuiſſe indignatos, non quia patrem ſuum dicebat Deum, ſicut & ceteri homines; hoc enim Hebræos non offendiſſet, cùm Eſaiæ 64.8. legerent: *Et nunc Domine Pater noſter es tu*: indignati ergò fuere, quia Patrem dicebat Deum longè alio modo, quàm dicant ceteri hominum. Sic ergò diſcurro: Vel Judæi fatebuntur, Jeſum fuiſſe Meſsiam, vel non. Si fatebuntur, eum fuiſſe, cogentur fateri, cum ſeipſum fecerit Deum, Deum revera fuiſſe; nam ſi non fuiſſet, quis credat, Meſsiam, virum quippe ſanctum ac juſtum, tam nefariæ & atrocis impietatis fuiſſe, ut non ſolum divinos honores ambiſſet, ſed Dei quoque titulos ſibi uſurparit? Si verò, Jeſum Meſsiam fuiſſe, negabunt, ſaltem fateri debebunt, cum ſe Meſsiam, & ſimul Deum jactaret, id feciſſe, quia ſciebat Judæis perſuaſum fuiſſe, eum, quem expectabant Meſsiam, Deum fore.

§. VII.

Jeſum fuiſſe Deum miracula oſtendunt.

LI. Ex hoc naſcitur validum argumentum pro Jeſu divinitate, ſumtum ex Jeſu teſtimonio, & adjunctis in ejus confirmationem miraculis hoc pacto: Jeſus paſſim aſſerebat, ſe eſſe Deum: Joan.5.18. *Propterea ergò magis quærebant eum Judæi interficere, quia non ſolum ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Joann.10.30. & ſequentibus: *Ego & Pater unum ſumus... reſponderunt ei Judæi... Tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum? Reſpondit eis Jeſus... Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum?* Joann.14.1. *Creditis in Deum, & in me credite... Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Joann.16.15. *Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt.* Et hanc illi ut blaſphemiam exprobabant ejus accuſatores, quia dixiſſet, ſe filium Dei eſſe Matth. 27.43. c.26.63.64.65., Lucæ 22.70.71. Joann.19.7. Quibus manifeſtus apparet error Lactantii, qui lib.4. inſtit. cap.14., Jeſum nunquam ſe ipſum Deum dixiſſe, auſus eſt aſſeverare hoc frivolo ductus motivo: quia miſſus, ut unum Deum colendum doceret, ac plures Deos tollendos, non ſervaſſet fidem, ſi alium Deum induceret præter unum: non intelligens, non deſtrui Dei unitatem, etiamſi Jeſus Deum, ac filium Dei ſe diceret, ut ipſe teſtatur Joan.10.30., Joan.16.15. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt.* Et Joan.17.10. *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*, & alibi docens inter Patrem, & ipſum ſummam eſſe unitatem. Inſuper apparet impudentia Apoſtatæ Juliani, quam refellit Cyrillus contra Julian. lib. 10., qui dixit, neque Paulum, neque Matthæum, neque Marcum, neque Lucam Chriſto Jeſu divinitatem tribuiſſe.

LII. In teſtimonium autem ſui dicti, nimirùm, ſe eſſe Deum Deique filium, miracula coram omnibus edebat. In hujus confirmationem illuminavit cæcum à nativitate Joan.9.; quod miraculum ab ipſo patratum fuiſſe in manifeſtatione ſuæ divinitatis, ait ipſe, dum reddens rationem, cur illud patraſſet, ait v.3. *Ut manifeſtentur opera Dei in illo*, i. ut me eſſe Deum in hoc opere oſtendam. Cumque cæcus ille palam miraculum prædicaret, & ob id à Synagoga ejectus fuiſſet, incidens in illum Jeſus v.36. ait: *Tu credis in filium Dei?* Et cum ille reſpondiſſet: *Quis eſt Domine, ut credam in eum? Dixit ei Jeſus: & vidiſti eum,*

eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. In hujus veritatis confirmationem teſtatus fuit, ſe Lazarum quatriduanum e morte ac ſepulchro revocaſſe Joann. 11. v. 4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem ſed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam*, & verſ. 42. *Ut credant, quia tu me miſiſti*. Hæc inſuper, aliaque miracula ad hunc finem fuiſſe directa, Jeſus ipſe teſtatur; tum quia Joann. 10. 25. Judæis poſt patratum miraculum cæci nati eum rogantibus: *Si es Chriſtus dic nobis palam*, reſpondit: *Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perbibent de me*; tum quia Judæis volentibus ipſum lapidare, quod homo cum eſſet, faceret ſe ipſum Deum, reſpondit verſ. 37. *Vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*.

LIII. His ergò firmatis, ſic formo diſcurſum: Jeſus Nazarenus de ſe ipſo dicebat, ſe eſſe filium Dei naturalem, verumque Deum, & in confirmationem hujus doctrinæ evidentia edidit miracula; ſed vera edere miracula quis non poteſt, niſi ſolius Dei virtute in eo operantis, qui nequit ea facere in confirmationem doctrinæ falſæ; ergò Jeſus dicens ſe eſſe Deum filium Dei, verum dicebat. Mi. hæc probanda eſt primò, quia ut ait S. Auguſtinus de miraculis epiſt. 49. q 6. *Divina potentia etiam factis loquitur*, unde ſicut conſuetudo humana eſt loqui per verba, ita conſuetudo Dei eſt loqui per facta mirabilia, ut homines ſciant, ipſum eſſe, qui loquitur. At Deus, qui eſt prima veritas in dicendo, nec verbo, nec facto poteſt loqui falſum, ſive mentiri, Ergò &c. Secundò miracula ſunt quaſi ſigilla, quibus Deus obſignat & atteſtatur, doctrinam, in cujus confirmationem fiunt, eſſe à Deo, ſicut ſigillum Regium diplomati impreſſum atteſtatur, diploma illud eſſe verè Regium; undè Marci ultimo v. 20. Apoſtolorum prædicatio dicitur miraculis confirmata: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Et Paulus Hebr. 24. *Conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus* &c., ut promiſerat Chriſtus ipſe Marci 16. 17. 18. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent* &c. Atqui nec Deus poteſt facere vera miracula ad confirmandam doctrinam falſam, nec poteſt communicare poteſtatem ea faciendi homini, quem ſcit ea abuſurum ad confirmandum falſam, hoc enim perinde eſſet ac concurrere, ut ſeductor conſignaret mendacia ſigillo illo, quo Deus ipſe veri-

ritatem conſignat. Ergò doctrina Jeſu, quam tot miraculis ipſe confirmavit, fuit vera; & proinde cùm dicebat, ſe eſſe Deum ac filium Dei, & id miraculis confirmabat, verum dicebat. Plura hac de re dicemus, cum veritatem religionis Chriſtianæ ex miraculis demonſtrabimus.

LIV. Porrò frivolum eſt, quod reſpondebant Pagani apud Origenem lib. 1. contra Celſum, nimirùm miracula & ſigna Chriſti fuiſſe præſtigias, & ſenſuum ludificationes. Nam quod Lazarus quatriduo jacens in ſepulchro, & jam fætens, vivus è ſepulchro prodierit, & poſtea multo tempore vixerit: item quod à nativitate cæcus poſtea viderit, non erat ſenſuum ludificatio; nam & hic experiebatur, verè ſe videre, & ille ſe vivere; & miraculum illud fatebantur, idque manifeſtum erat omnibus, non minùs quàm ſit manifeſtum, me vivere, & vobiſcum loqui: præſtigiæ autem, ac ſenſuum ludibria ſtatim evaneſcunt, & ille, qui deluſoriè ab aliis exiſtimatur vivere, ac videre, id in ſe non experitur, ſicut Lazarus, & cæcus in ſe experiebantur. Addo, Scribas, & Phariſæos invidiâ, ac odio omnia Jeſu opera calumniantes, nunquam auſos fuiſſe, dicere opera ejus verum effectum non habuiſſe, imò poſt diligentiſſimum examen deprehenderunt, Lazarum verè vivere, ac cùm aliis diſcumbere Jo. 12. 2. *Multi accurrerunt, ut eum à mortuis excitatum viderent*, ibi v. 9. *Quare in rabiem verſi cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut eum interficerent*, ibid. v. 10. De cæco autem talem eum fuiſſe à nativitate, teſtati ſunt parentes ejus Joann. 9. 20.; eum autem lumen à Jeſu recepiſſe ibi v. 25. 32., nedum ipſe, ſed omnes experiebantur; quare non valentes Jeſu gloriam in hoc facto obſcurare, furore perciti cæcum ab eo ſanatum ejecerunt è Synagoga ibidem verſ. 34.

LV. Nec minùs blaſphemabant Judæi, Jeſu miracula virtuti Dæmonis adſcribentes; primò, quia multa fecit, ad quæ nec Diabolica, nec ulla creata virtus pervenire poteſt, ut mortuos vitæ reſtituere, ac cæco nato lumen donare: ſecundò quia eſtò aliqua fecerit, quæ abſolutè Diabolus facere potuiſſet, in modo tamen ea faciendi omnem Diaboli virtutem exceſſit, fecit enim abſque alicujus naturalis virtutis applicatione ſolo verbo, fecit in iſtanti, & ſine ulla mora, quod Diabolus facere nequit: tertiò ea fecit orando Deum, & imperando, cordis ſecreta pandendo, quod ſupra Dæmonis facultatem eſt: quarto, ſi finis, ob quem ea fecit, inſpiciatur, manifeſtum erit, Jeſum virtute planè divina, non dæmoniaca, miracula edidiſſe; non enim iis gloriam ſuam quærebat, non aliquid temporale, non pravum, ſed unicè gloriam

riam Dei, ejuſque cognitionem 2.Joann.17.3. ceſſationem à peccatis, morum rectitudinem, ac Dæmonum exterminationem, quos nedum à corporibus, ſed ab animis ejiciebat: quæ omnia apertè probant, non Dæmone, ſed Deo in Jeſu operante, miracula illa proceſſiſſe. Satan enim contra ſe ipſum non operatur, nec Satan ejicit, ut ajebat Jeſus ipſe Judæis id ei opponentibus Matth.12.26. Marci 3.23.

LVI. Impietatem ſuam alio mendacio cumularunt Chriſti Jeſu inimici: dixerunt primò, eum compoſuiſſe librum magicas artes complectentem, quibus miracula fecit, quem librum Petro ac Paulo inſcripſit, & quo eadem patrarunt & ipſi. Dixerunt ſecundo hanc aliam fabulam: narrant, Helenæ Reginæ temporibus in Hieroſolymitano Templo extitiſſe lapidem, cui olim Arca imponi ſolita erat, in eoque fuiſſe deſcriptum nomen Dei propriis elementis expreſſum, cujus ea vis erat, ut quicumque illud didiciſſet, omnium prodigiorum potens eſſet: veritos autem Sapientes, ne quis ea facultate abuteretur, canes æneos portæ cuſtodes appoſuiſſe, hac arte fabricatos, ut ſi quis memoriæ mandato nomine vellet exire, canes illi latratu adeo ingenti eum terrerent, ut ſacri nominis penitus obliviſceretur. Hac fabula ſuppoſita ajunt, Jeſum horum conſcium Templum ſecretò ingreſſum fuiſſe, ſacrum nomen in membrana deſcripſiſſe, eamque facto vulnere cruri inſuiſſe: ſicque egreſſum è Templo canum latratus eluſiſſe, nam membrana extracta oblitum nomen iterum didicit, & ejus ope tot deinde prodigialis virtutis opera edidit.

LVII. Verum contra primum impudentiſſimum mendacium excandet S. Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap.9. &c., illudque refellit primò, quia vel liber iſte continens magica, quo Chriſtus utebatur, adhuc extat, vel deperiit. Si deperiit, unde probant aliquando fuiſſe, & Chriſtum eo uſum? Si adhuc extat, cur qui ipſum legere poſſunt, eadem, quæ ipſe, miracula patrare non poſſunt? Secundò ſi beneficio illius libri tanta, & vivus, & etiam mortuus operatus eſt Jeſus, potuit ne ejuſdem ope, antequam natus eſſet, efficere, ut ſancti Prophetæ divino Spiritu afflati de ſe ea prædicarent, quæ opere deindè completa ſunt? Tertiò: quomodo magicis artibus tribui poſſunt opera Jeſu, quæ pro fine habebant Dæmonis, ac Idolorum cultum evertere, ac peſſumdare; homines ab omni actorum, verborum, ac cogitationum pravitate revocare, ad quæ omnia magicæ artis auctor Dæmon impellit? Quartò, ſi Jeſu doctrina & ars magica erat, cur docet nos Lucas Act.19.19. ad Pauli prædicationem:
Om-

Omnes, qui fuerant curioſa (i. magica) *ſectati, contuliſſe libros: & combuſſiſſe coram omnibus?* Debuiſſent eos retinere Epheſii tali ſtudio dediti, non autem illos tradere abſumendos. Demùm ſe ipſam prodit calumnia; quomodo enim dicit, librum illum magicum, quo Jeſus ad mira operanda utebatur, fuiſſe inſcriptum Petro & Paulo? An fortè Jeſu familiaris fuit Paulus, & non paulo poſt Jeſu mortem ad Chriſti fidem tranſivit, cujus vivente Jeſu fuerat contumax perſecutor?

LVIII. Ad ſecundum verò mendacium. Placet imprimis hæc Judæorum confeſſio, nimirùm non præſtigiis, aut incantationibus, aut Dæmonum ope, ſed divini nominis virtute atque invocatione miracula patraſſe. Verùm & quem narrationis hujus teſtem dabunt? Quis lapidis hujus, & deſcripti in eo divini nominis auctor? Quis canum latrantium? An teſtes dabunt libros ſacros? An Joſephum, qui Templum, & quidquid in Templo memoratu dignum erat, accuratè recenſuit? Minimè ſanè. Quæſo, cur Salomon, aut quicumque rei artifex fuit, arte ipſa ſua uſus non eſt, & miracula non patravit & ipſe? Cur ſapientes ipſi canum æneorum fabricatores virtute illa, edendis miraculis idonea, in gentis ſuæ ſalutem, Urbiſque, ac Templi tutelam uſi non ſunt? Helenam illam Adiabenorum Reginam vixiſſe non nego, eam ſuſcepta religione Judæorum Hieroſolymam veniſſe, ibique beneficentiæ ſuæ perpetuam memoriam reliquiſſe, non diffiteor. Sed cùm hæc evenerint poſt Agrippæ obitum, & fortè Claudio imperante, quomodo abſque ſumma ignorantia hiſtoriæ facient temporibus hujus Helenæ æqualem Jeſum? Idcirco R. Azarias in Meor Enaiim ut ſolemnem Rabbinorum ignorantiam hanc fabulam rejicit, & R. Abrahamus in veteri Nitzachon docebat, Jeſum non vi nominis hujus patraſſe miracula, ſed magica arte, quam in Ægypto didicerat. Quis autem ad hæc deliramenta non rideat.

LIX. Alia afferuntur ab Ethnicis, aut impiis edita prodigia, quibus Chriſti miracula enervare quidam conati ſunt, ut de Veſpaſiano, qui cæcum ſanaſſe perhibetur de Apollonio Thianæo, de Hadriano, à quibus mira patrata recenſeri ſolent, ſed quia hæc retulimus, ac rejecimus ſupra cap.4. de Idololatria §.10. n.40., ideo ad ibi dicta ſtudioſum remitto.

LX. Supereſt rejiciendum, quod ajunt: Chriſtum re ipſa illa miracula non feciſſe, quæ Evangeliſtæ narrant, ſed ejus diſcipulos ad ſui magiſtri commendationem ea finxiſſe, & litteris vulgaviſſe.

Ad hanc putidam impoſturam diſſipandam aliqua diximus cap.9. §.4., modò addam, id omnino incredibile eſſe. Primò, quia

quia ſimili audacia dici poſſet, nec etiam Moſen patraſſe miracula, quæ ipſe narrat in Exodo, ſed ab ipſo eſſe conficta, nec Alexandrum extitiſſe, omniaque in hiſtoriis, ſive ſacris, ſive prophanis contenta ſuppoſita eſſe, & non vera. Secundò quomodo Apoſtoli viri probi, ac ſimplices poterant comminiſci miracula, ut probarent Jeſum eſſe Deum, quem homines ſcirent? Apoſtoli, inquam, Moſaicæ legis lacte imbuti, quam à Deo latam ſciebant, hæc fingere poterant, ex quibus ſciebant, eam fore abrogandam; maximè cum hinc nihil honoris, aut emolumenti ſperare poſſent, ſed timere potiùs pœnas ac ſupplicia, quæ Jeſus eorum Magiſter, & ob id, paſſus erat? Tertio ſi Evangeliſtæ, qui Jeſu miracula narrant, referunt etiam ejus ignominias, cur infideles in iſtis eos dignos fide credunt, in illis verò impoſtores volunt? Si in gratiam ſui Magiſtri illa ſcripſiſſent, ſtultè nimis, ac ineptè illa jactaſſent, quæ multis ignominioſa, & dura viſa ſunt, adeo ut multi ſibi perſuadere non potuerint, eum, qui talia paſſus eſt, fuiſſe Deum. Hæc ex Chryſoſtomo Orat. quod Chriſtus ſit Deus.

LXI. Quartò Apoſtoli & Evangeliſtæ enarrant hæc miracula, non ut clanculum & ſemotis arbitris facta, ſed ut edita in mediis Hieroſolymis, & teſte populi multitudine; cæcus enim natus, oculis luto linitis, juſſus eſt per mediam civitatem ire ad Natatoria Siloe ad abluendos oculos, ut in longa via quamplurimos & cæcitatis, & curationis ſuæ teſtes colligeret. Lazari reſurrectionem coram multis operatus eſt, coram iis præſertim, qui à Hieruſalem venerant in Bethaniam, ut Mariam, & Martham conſolarentur ſuper morte fratris, quorum aliqui propterea crediderunt in eum, alii verò abeuntes ad Phariſæos narraverunt eis miraculum, ob quod ſtatim coegerunt Concilium contra Jeſum dicentes, quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Hydropicum inſuper coram Legis-peritis & Phariſæis, Paraliticum Probaticæ Piſcinæ coram innumera languentium multitudine ſanaſſe, panes & piſces coram multis hominum millibus multiplicaſſe narrant. Aut ergò verum erat, quod narrabant, aut falſum, & ab eis confictum; ſi verum: Ergò Jeſus, qui ea ediderat in confirmationem ſuæ divinitatis, verus erat Deus. Si falſa: cur ea non ſolùm ſcribentibus, ſed etiam prædicantibus Apoſtolis, nullus fuit ex Judæis, qui detegeret mendacium; præſertim Scribis, Phariſæis, atque Sacerdotibus, omnem viam tentantibus, ut Jeſum à ſe occiſum omni fide ac honore ſpoliarent; nullus præſto fuit adducendo teſtes, qui contrarium aſſererent, atque Apoſtolos proderet ut mendaces: imò potiùs multi iis au-

auditis crederent, & Jeſu nomen darent, ut legitur Act.2. v.22. & 42.; adeo ut Actorum 4.2. ad ſecundam Petri concionem quinque millia converſi ſint? Quis enim crederet, ſi hac in civitate eſſet quis novam doctrinam prædicans, eamque aſſerens miraculis confirmatam, populum, & maximè viros doctos, ei aſſenſuros, niſi eis de veritate talium miraculorum apertè conſtaret?

CAPUT XI.

De Veritate Religionis Chriſtianæ.

Veritas Religionis Chriſtianæ ex hactenus dictis ſe ipſam prodit; cùm enim ſit evidens, dari aliquod ſupremum ac verum Numen, ſeu Deum, qui ſupremam hominum, quos creavit, curam habeat, & velit ab ipſis amari, & religiosè coli; evidens eſt, dari aliquam veram Religionem, ſeu aliquem cœtum hominum, qui verè religiosè eum colat: cumque evidens etiam ſit, hoc ſupremum, ac verum Numen eſſe unum; evidens etiam eſt, Religionem veram eſſe illam, quæ Deum unum veneratur & colit, & conſequenter religionem Paganicam colentem plures Deos non eſſe veram. Cùm autem inter Religiones, quæ profitentur, ſe colere unum Deum hiſce temporibus, tres præcipuæ enumerentur, nimirùm Judaica, Mahumetana, & Chriſtiana, & ex ſupradictis conſtet, Judaicam non eſſe ampliùs veram religionem, licèt aliquando fuerit vera: Mahumetanam autem nec eſſe veram, nec unquam fuiſſe, ſequitur à ſufficienti diviſione, Religionem veram, colentem verum Deum cultu debito, & ab ipſo vero Deo præſcripto, eſſe ſolam religionem Chriſtianam.

Probari ſecundò poteſt hoc ratiocinio: Cùm tota lex vetus, & religio Judaica ordinata ſit ad Meſſiam veluti ad finem, illa religio cenſenda eſt vera, quæ ipſum Meſſiam auctorem habet; atqui religio Chriſtiana auctorem ſuum habet Meſſiam, nimirùm Jeſum Nazarenum, quem Meſſiam fuiſſe in Lege Veteri prænunciatum, & in eo complementum habuiſſe omnia, quæ de Meſſia prædicta fuerant, & inſuper Jeſum Nazarenum fuiſſe non purum hominem, ſed verum Deum filium Dei, ſupra oſtenſum eſt: ergò religio Chriſtiana vera eſt.

Verùm ut hæc veritas in tota ſua luce ſtatuatur, exponemus ſucceſſivè momenta ulteriora, quibus maximè confirmatur.

§. I.

§. I.

Prima Ratio ex præſtantia ejus Auctoris.

I. VEram, imò & omnium præſtantiſſimam eſſe religionem Chriſtianam demonſtrat præſtantia Jeſu Nazareni ejuſdem auctoris. Ut enim hic ſuperſedeam ab ejus Divinitate, demonſtrabo, eum ſuper omnes Religionum auctores, ſive promulgatores fuiſſe præſtantiſſimum. Ante Chriſtum quotquot famam ſapientum habuere, aut circa veritatis indaginem caligaverunt, aut aliquo vitio laboraverunt. Grecæ ſapientiæ auctores, nihil fermè certi ſeſe adferre, ultrò fatebantur: veritatem in puteo demerſam ajebat Democritus: mentem noſtram caligare ad divina, ut noctuam ad lumen ſolis, effatum eſt Ariſtotelis lib.2. Metaph. cap.1. & ſi qui eorum *Deum cognoverunt, non ſicut Deum glorificaverunt* (ait Paulus Rom.1. 21. 22.) *ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Ipſorum proindè nemo non aliquo vitio obſitus. Maximo conſenſu omnium laudatur Socrates; at ejus ſummam iracundiam, qua in dictis & factis ſeſe accendit, ante oculos nobis Porphyrii verbis ponit Cyrillus lib 6. adverſus Julianum. Alii Regum adulatores, ut Plato & Ariſtippus. Alii ſcortorum amoribus fœdi; maſculorum Zeno, Stoicæ ſcholæ Princeps; fœminarum prope omnes, Plato, Ariſtoteles, Epicurus, Ariſtippus, Athenæo lib. 3. & 13. Laertio & Lactantio teſtibus. Alii canina impudentia obſcœni dicti, proindè Cynici. Invidiæ verò omnium inter ſe magnum argumentum ſunt rixæ de verbis, aut nullius momenti rebus, quas legere eſt apud Clement. Stromat. lib.5., Euſebium Præparat. Evang. in lib.15. in fine, & Theodoretum ſermone ſecundo.

II. In Dei verò cultu adeò frigidi, ut & qui Deum unum crediderunt, tamen illo ſepoſito, aliis, & quidem quos Deos non credebant, cultum exhibuerint; religionis normam ſtatuentes omne id, quod publicè receptum eſſet. Quare Xenophon Memorabilium lib. 5. recitat Oraculum, quo jubentur Dii coli ex lege cujuſque civitatis; & de Seneca ſcribit S. Auguſtinus lib. de Civit. Dei cap.10. quia illuſtris populi Romani Senator erat: *Colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.* Ut enim Plato dixit in Timæo, & alibi, & Porphyrius apud Euſebium Præparat. Evang. lib.4. cap.8. periculo non caret vera de Religione apud vulgus diſſerere; quod periculum latina,

græca, barbaraque Philoſophia pluris fecit, quam veri ſinceram confeſſionem; quod vel unum ſufficeret, ne quis tales viros ſibi per omnia ſequendos putaret, quod in Platone obſervat Juſtinus Martyr Paræneſi ad Græcos. De præmio quoque pietatis nihil adſeverabant certi. Omiſſis namque Sadducæis, qui ſpem omnem de bonis poſt hanc vitam adipiſcendis projiciebant; apud Græcos, qui de vita poſt hujus conſpicuæ vitæ interitum ſpem aliquam habebant, mirum quàm hæſitanter ea de re loquerentur. Socrates apud Platonem in Phædone: *Hoc* (inquit) *ſcitis, venturum me ad viros bonos, quod tamen non nimium affirmaverim*. Et poſtea: *Si enim vera ſunt quæ dico, pulchrum eſt ea credere. Si verò mortuo nihil ſupereſt, hoc tamen tempore, quod mortem antecedit, minus torquebor præſentibus: hic autem meus error non manebit* (*id enim malum foret*) *ſed paulo poſt interibit*. Undè Tertullianus de anima ait, omnem Socratis ſapientiam veniſſe *de induſtria conſultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis*. Eadem fluctuatione agitabatur Tullius Tuſculanar. 1., & Seneca, qui epiſt. 64. *Et fortaſſe* (inquit) *ſi modo ſapientum vera fama eſt, recipitque nos locus aliquis, quem putamus periiſſe, præmiſſus eſt*. Alii videri poſſunt apud Juſtinum Dialogo cum Triphone, ubi deprehendentur Sapientiores de ſtatu poſt hanc vitam hæſitantes, adeò ut cùm de hac rē argumenta conquirerent, nihil fermè adferebant certi. Quod cum alii animadverterent, nihil ſcilicet ab iis adferri de homine, quod de beſtiis procedere non poſſet, commenti ſunt tranſitum animarum de hominibus in beſtias, & de beſtiis in homines, ut Brachmanes olim, & modò, ex quibus Pythagoras, & ejus Schola. Quia tamen hoc nullis certis teſtimoniis, aut momentis nitebatur, eo perducti ſunt alii, ut dicerent virtutem ſibi eſſe præmium, & ſatis beatum eſſe ſapientem etiam in Phalaridis tauro; contra quos Cicero Tuſculan. 2., Lactantius lib. 3. inſtit. cap. 27., & D. Auguſtinus epiſt. 52. Verùm quia multis viſa eſt felicitas ſolius nominis: ac virtutem, quoniam in perferendis malis tota vis ejus eſt, non poſſe per ſe ipſam eſſe beatam, ut ait Lactantius lib. 3. cap. 12. advertens ex Seneca, quod cùm virtus quæratur propter vitam beatam, non poterit virtus eſſe ipſa beatitudo, ſed medium ad beatitudinem habendam; idcircò placuit beatitudinem ponere in fruitione earum rerum, quarum voluptas ſenſibus perciperetur. Ita Epicurei ex Auguſtino ſerm. 150. & Ariſtippus Cyrenæus, qui teſte Euſebio lib. 1. præparat. Evang. cap. 8. bonorum finem in voluptate conſtituit. Verùm hæc inſania reprobata meritò eſt, ut quæ honeſtum omne, cujus ſemina quædam

in

in animo condita habemus, extingueret, hominemque ad ſublimia erectum dejiceret in cenſum pecudum, quæ pronæ nihil niſi terreſtre reſpiciunt. In tantis dubitationibus fluctuabat genus humanum ante Jeſum, in iis etiam, à quibus ceteri veluti à ſapientioribus normam religionis accipiebant.

III. Mahumetes, qui Jeſu ſectam ſuam oppoſuit, qualis fuerit jam demonſtravimus. Ipſe quidem unum Deum colendum eſſe admiſit, attamen projectus totus ad libidinem, quod nec à ſuis quidem negatur, in ea, & epulis præmium propoſuit ſectatoribus ſuis. Hoc verò præmium revera extiturum, nullam dedit fidem, cum ejus corpus ad vitam nondum rediverit, imo in hunc diem jaceat in ſepulchro.

IV. Moſes Hebrææ legis auctor vir quidem eximius fuit, Deique legatus ad Regem Ægypti, & Internuncius ad populum Iſraeliticum, cui Deus loquebatur *facie ad faciem*, *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum* Exod. 33. 11. non tamen omnis culpæ expers fuit. Legationem ad Regem Ægypti ſibi à Deo demandatam multo cùm renifu vix ſuſcepit Exodi 4. v.2.19.73. 14. Ad promiſſionem Dei de aqua è rupe excitanda diffidentiæ non nihil oſtendit Num.20.12. Eorum veró, quæ per legem ſuis promittit, præmiorum vix quicquam ipſe conſecutus eſt: promiſit uberem ac felicem manſionem in terra Chanaam, & tamen ipſe jactatus continuis ſeditionibus in deſerto Exod.22. Num.11. 12.14.16.20.25. feſſus tandem 40. annorum itinere nec pedem ponere in terram illam felicem ei conceſſum eſt. Numer.20. v.12. Deuteron.34.4.

V. At Jeſus Nazarenus unius ac veri Dei cultum mirificè extulit, de ipſo altè diſſerens, ejuſque cognitionem velut in meridie poſuit. Veram finis & præmii notitiam intulit, promittens ſectatoribus ſuis poſt hanc vitam aliam felicem ac æternam, ſummo gaudio refertam, non ſoli animæ (de qua ſperanda aliqua vel conjectura extabat, vel Traditio) verum etiam corpori (quod pleriſque impoſſibile videbatur) & id quidem juſtiſſimè, quia corpori, quod ob legem divinam incommoda, cruciatus, ac mortem ſæpè patitur, deeſſe ſua merces non debuerat. Gaudia verò, quæ Jeſus promittit in alia vita, non vilia ſunt, qualia ſperant Judæi craſſiores, ut epulæ; nec concubitus, quos ſibi promittunt Mahumetiſtæ, ut in Alcorano Azoara 2.5. 47. 54. 65. 66.; ſed in corporibus vigor perpetuus, ceteræque corporis glorioſi prærogativæ, inter quas immortalitas; in animabus verò perpetua viſio Dei, ac fruitio ſummi boni, extra quod nil ſuperſit deſiderandum.

VI. In

VI. In ſe ipſo autem omnis criminis expers fuit Jeſus, quod non ſolùm ex libris Chriſtianorum colligitur Joann. c.8. 46. c.10.32. 2. Cor.5.21. 1. Petri 2.22. Hebr. 4.15.; verùm & pietas ejus Oraculis apud Gentes auctoritatem habentibus commendatur, ut videre eſt apud Auguſtinum lib.10. de Civit.Dei cap.27., & lib.19 cap.23., imo nec à ſuis hoſtibus aliquo crimine notatur, ut obſervat Origenes lib.3. contra Celſum. Non ſolùm ſancta ſunt, quæ præſcripſit, ſed quidquid præſcripſit aliis, id præſtitit ipſe. *Qui fecerit, & docuerit, erit magnus &c.* ajebat aliis Matthæi 5.19. *Cæpit Jeſus facere, & docere* ſcribit Lucas Actor.1.1. Hinc Lactantius in fine lib.7.Inſtitut: *Nec monſtravit tantum* (inquit) *ſed etiam præceſſit, ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret.* Inſuper quæ ſibi à Deo mandata erant, implevit fideliter, factus ei obediens uſque ad mortem, injuriarum, & cruciatuum patientiſſimus, quod in ſui paſſione, quamvis acerbiſſima, & in ipſo crucis ſupplicio demonſtravit. Amantiſſimus hominum etiam inimicorum, eorum, inquam, à quibus in crucem actus fuerat, ita ut pro iis etiam ad Deum deprecaretur Lucæ 23. 34.

VII. Quod autem ſuis promiſit præmium, ejus ipſum compotem factum excellentiſſimo modo, & perhibetur, & certa fide comprobatur. Reſurrectionem promiſit: ipſum ad vitam redditum, ut ſupra oſtendimus, viderunt multi, audierunt, palparunt etiam Joann.20.21.28.29. Matth.28. Marc.16. Lucæ 24. Cœlum quod ſuis promiſerat, ipſe ingreſſus eſt, ſpectantibus undecim. Marci 16. 19. Lucæ 24.51.52. Actor.1.9. &c. Supremam in cœlis eum habuiſſe poteſtatem, oſtendunt ea, quæ ſuis inde largitus eſt, nimirùm linguarum, quas non didicerant, loquelam Actorum 2.3.4. c.10.46. c.19.6. &c. aliaque mirifica dona ita, ut ſe facturum diſcedens promiſerat Joann.14.12. c.17.28. Marci 16.17. Cujus rei veritatem oſtendunt & Juſtinus cum Triphone diſputans, & Irenæus lib.2., Tertullianus in Apologetico, Origenes, lib.3. contra Celſum, Lactantius, aliique. Similem ergò proferant ceterarum religionum ſectatores, qui talis fuerit in doctrina, in moribus, in vita, quique ea, quæ promiſerat tam exactè, ac fidelitèr impleverit. Cùm ergò id proferre non valeant, fateantur oportet, unicam religionem Chriſtianam, ratione ſui Auctoris, præſtare ſupra ceteras, ac proinde ex hoc motivo veram eſſe, falſaſque ceteras, quæ illi contradicunt.

§. II.

§. II.

Secunda Ratio ex præſtantia, & ſanctitate Doctrinæ.

VIII. Religionem Chriſtianam eſſe veram, ejus doctrinæ ſanctitas, tum circa Deum, tum circa proximum, tum circa alia, apertiſſimè demonſtrat. Si reſpicimus Paganorum ſacra, hæc fermè per totum orbem terrarum (Porphyrio teſte de abſtinentia ab eſu animalium, ex quo multa ſumſit Cyrillus lib.4. contra Julianum, & noſtri ſeculi etiam navigationes docent) plena intuebimur crudelitate; receptum enim ferè ubique, ut & humano ſanguine Dii placarentur, quem morem nec Græca ſapientia, nec Romanæ leges ſuſtulere: humanarum victimarum meminit inter ceteros Clemens Alexandr. admonit. ad Gentes pag.27., noſque ſupra aliqua tetigimus: huncque ſuum morem antiquum fuiſſe apud Italos, docet nos Halicarnaſſeus lib. 1., ac uſque ad ſuam ætatem manſiſſe, ſcribit Plinius lib.28. c.1. imò uſque ad Juſtini, & Tatiani tempora; Juſtinus enim ſic Romanos alloquitur Apolog.1. *Ut ei, quod vos colitis, Idolo, cui non tantùm ratione carentium animantium ſanguis adſpergitur, ſed & humanus, nobiliſſimo atque illuſtriſſimo veſtrum, occiſorum hominum affundente ſanguinem.* Tatianus verò: *Cum compererim apud Romanos Latialem Jovem humano cruore, & per homicidium fuſo ſanguine delectari.* Videatur Lactantius lib.1. inſtit. c.21.

IX. Quæ autem humano ſanguine non fœdabantur, pleniſſima fuere omnis obſcœnitatis: talia erant myſteria Cereris, & Liberi Patris; quod apparuit, poſtquam perrupta arcani religione evulgari cœperunt. Id latè exſequuntur Clemens admonit. ad Gentes, & inter alios Arnobius. Dies verò illi, qui Deorum honori ſacri erant, talibus ſpectaculis celebrabantur, ut eis intereſſe Catonem puduerit, teſtibus Martiale Epigramm.1., & Valer. maximo lib.2. cap.10., noſque etiam ſupra aliqua diximus.

X. Judaica verò religio, licèt nihil haberet illicitum, aut inhoneſtum, utpotè à Deo; populum tamen illum multis onerabat præceptis circa res, quæ per ſe nec bonitatis, nec malitiæ quidquam haberent, & hoc ut pronus ad Idololatriam populus iis intra veram religionem contineretur: hanc cauſam reddit Maimonides. Hujuſmodi erant pecudum mactationes, circumciſio, quies perfecta Sabbati, ciborum aliquorum perpetua interdictio (quorum nonnulla Mahumetani mutuati ſunt, addita vini

vini prohibitione); hæc autem omnia, & alia multa etiam exactè obſervata, ad perfectum homines non adducebant, nec veram juſtitiam dabant coram Deo.

XI. At religio Chriſtiana Deum mentem puriſſimam pura mente colendum docet, iiſque operibus, quæ ſuapte natura etiam citra præceptum honeſtiſſima ſunt. Sic non carnem vult circumcidi, ſed cupiditates Rom. 2. 28. 29. Philipp. 4. 8. non pecudum mactationes, & ſanguinem Deo ſacrare, ſed ſanguinem filii Dei, pro noſtra ſalute ſemel oblatum, continuò præſentare Deo Hebr. 9. 13. 14.; & ſi opus fuerit vices ei rependere, nimirum pro veritate ejus teſtanda noſtrum offerre ſanguinem 1: Cor. 10. 16. Hebr. 124. 1. Petri 2. 21. De bonis noſtris egentibus dare, Deo data credere, ab ipſo remunerationem expectantes. Non certis ciborum generibus quaſi immundis perpetuò abſtinere, ſed omnibus indifferenter cum ſobrietate uti: parati tamen interdum & jejuniis, & certorum ciborum abſtinentia, cum nobis præceptum fuerit, corpus mortificare, ac ſubigere, ut alacriùs ſerviat ſpiritui Matth. 6. 18. c. 17. 21. 1. Cor. 7. 5. Præcipua vero Religionis pars ubique oſtenditur poſita in Fide, ut in fundamento, ex qua naſcitur Spes, inde Caritas, & verus Dei amor & proximi, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ Matth. 22. 40., & fit, ut præceptis Dei pareamus, non ſerviliter formidine pœnæ Rom. 8. 15., ſed ut ipſi placeamus Hebr. 12. 28., ipſumque habeamus pro ſua bonitate Patrem, quin imo remuneratorem Coloſſ. 3. 24. 2. Teſſalon. 1. 6.: quo fit, ut præcepta ejus digniſſima ſint, & naturæ noſtræ ita conveniant, ut meliora, aut æquè convenientia nemo comminiſci poſſit. Quare & grati animi cauſa, & quod optima ac præſtantiſſima ſint ejus præcepta, ei nos parere decet; quamvis nullæ eſſent pœnæ luendæ non parentibus, præter ipſius facti turpitudinem; quod eſt Deo parere ſicut filios Patri, non ſicut ſervos Domino. Precari verò jubemur, non ut divitias, honores, & quæ alias multum optata plurimis male ceſſerunt, ſed primo quidem, ut ea fiant, quæ Deo ſunt glorioſa; de caducis autem non multum ſolliciti, curam Divinæ Providentiæ permittentes; ea verò, quæ ad æterna ducunt, omni ſtudio petere, nimirùm peccatorum retrò commiſſorum veniam, impoſterum auxilium gratiæ contra hoſtis communis illecebras, ſeu minas, tandem æternam vitam. Ita Jeſus docuit Matth. 6. 19. &c.

XII. Nec minus ſancta ea ſunt præcepta, quibus dirigimur ad proximum: hunc enim nedum diligere tenemur, ut olim, quando amicus eſt, ſed quando nobis eſt infenſus ac inimicus. Mit-

Mitto Paganos, quibus in bellis, ac hoſtium ſtragibus non vivere religio erat; unde Laconum inſtituta, oraculo Apollinis laudata, tota ad vim bellandi directa erant, (quòd Ariſtoteles ipſe Polit. 7. c. 14. cenſura dignum notavit.) Et Romani occiſarum gentium cædes, velut glorioſum facinus, triumpho oſtentabant, quorum Reſpublica tantum nomen conſecuta eſt, bellis ſæpe manifeſtè injuſtis, ut de bello in Sardiniam, & Cyprum teſtatur Polybius l. 3. hiſt., Florus lib. 3. c. 9., Appianus 2. Civilium, Dion l. 38. &c. Ultionis poſtea exactionem Ariſtoteles lib. de moribus ad Nicomachum 4. c. 2., & Cicero de Inventione l. 2. in virtutis parte collocant. Adeó necibus delectabantur, ut Gladiatorum mutuæ dilaniationes eſſent oblectamenta publica Paganorum, teſte Lactantio lib. 2. inſt. c. 17., & Tertulliano de ſpectaculis c. 19. Prætereo etiam Mahumetanos, quorum religio in armis nata, nihil ſpirat, niſi arma, armiſque propagatur, ut ſupra vidimus. Siſto in Hebræis, quibus lex quidem melior, ſanctiorque diſciplina, attamen ſeptem populorum internecione ſedem ſuam ſtabilivit in terra Chanaam, ut legitur Exod. 34. 11. 12., & Deuteron. 7. 1. 2., nec contentus, impotentis iræ populus, omnes a ſe diſſidentes odio crudeli eſt proſecutus, quod cum modò alia via ii non poſſint, ſaltem voto ac deſiderio, in eorum precibus adverſus Chriſtianos præſtant, quibus omnia mala uſque ad exitium imprecantur, ut conſtat ex libello precum Venetiis edito fol. 8. & Maimonide ad 13. articulos, ubi perdendos ait, qui eis non credunt. Similia ſunt R. Iſaaci in Bereſchit Rabba, & Thalmud in Baba Kama, & Baba Bathra. Quare ad frænandum vindictæ furorem permiſit Deus talionis judicium, quo vices rependere poſſent pro offenſa, & homicidam propinqui ſui propria manu occidere lege ipſa permittebantur. Levit. 24. 20. Deuter. 19. 21.

XIII. At religio Chriſtiana nedum in armis, ac hoſtium ſuorum ſtrage vim non ponit, ſed etſi laceſſita prohibet, injuriam ſive verbis, ſive rebus factam, ulciſci Matth. 5. 38. 44.; imò potius mandat, inimicos diligi, benefieri bonis quidem præcipue & nos diligentibus, ſed etiam malis, qui nos oderunt, ad Dei exemplum, a quo ſol, aſtra, alimenta communia in omnes deſcendunt, quique *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos* Matt. 5. 45.

XIV. Sancta quoque eſt lex Chriſtiana circa conjunctionem maris & fœminæ, qua genus humanum propagatur. Hanc non mirum ſi neglectam habuerint Pagani, qui in ſuis Diis colebant ſtupra & adulteria, ut ſupra recenſuimus, imò, quod horreo di-

dicere, concubitus maſculorum dignos divinitate cenſuere, ut in Ganymede, & Antinoo: quæ referunt Juſtinus Apologet. 2., Clemens in Protreptico, Origenes l. 3. & 8. contra Celſum, Euſeb. hiſt. l. 4. c. 8. &c. Hoc flagitium apud Mahumetiſtas frequens, apud Sinas, & alios, ut licitum habetur; Græci autem ſapientes conati ſunt rei turpi honeſtum nomen imponere. Videndi Nazianzenus orat. 3. contra Julianum, Cyrillus l. 6. contra eundem, Theodoretus l. 13. ad Græcos, & Philo l. de vita contemplativa, loquens de Platone, cui cæteroquin plurimum favit, ait: *Platonicum autem convivium totum ferè in amoribus conſumitur, non virorum modo in mulieres, mulierum in viros inſanientium; tales enim cupiditates lege naturæ explentur; ſed virorum in ſexus eoſdem ſola ætate diſpares: nam ſiquid ibi de Venere, & amore cœleſti ſpecioſe dici auditur, id honeſti obtentus cauſa aſſumitur*. Inter eoſdem Græciæ Philoſophos, qui præſtantiſſimi videbantur, communione mulierum laudata, ex rebuspublicis lupanaria fecere, ut Plato de republica 4. Cùm vero inter muta animantia ſpecies ſit aliqualis conjugii, ut de palumbis ait Plinius l. 10. c. 33., & Porphyrius de non eſu animantium; quantò magis decens eſt, inter homines, ut non incerto ſemine naſcantur, ſed certos habeant parentes, qui affectibus perpetuò conjuncti ejus educationi incumbant?

XV. Lex hebræa omnem quidem ſpurcitiem vetat, ſed & plures uni concedit uxores Deuter. 17. v. 16. 17., & 21. art. 15. 2. reg. 12. 8. Sic legem intelligunt Hebræi: Unde Joſephus Antiquit. l. 17. c. 1. *Mos enim*, inquit, *nobis eſt patrius plures ſimul uxores habere*. Idem teſtatur Chryſoſtomus homil. 56. in Geneſ., & homil. 26. in c. 11. 1. ad Cor. Idem Auguſtinus l. 3. de doctrina Chriſt. c. 12. Inſuper marito dimittendæ uxoris ob quaſvis cauſas jus facit Deuter. 24. 1. 2. 3. 4. Levit. 2. 4. Hoc & hodie uſurpant Mahumetani, ut vidimus, & olim Græci, ac Latini tanta licentia, ut & uxores ad tempus utendas aliis darent. Vide Herodotum l. 6., & Plutarchum de Lycurgo, & Catone Uticenſe.

XVI. Verùm Chriſti lex omnia hæc intemperatioris libidinis licentias ſuſtulit, & ad ipſas penetrans vitiorum radices, reum habet & eum, qui attentaverit mulieris cujuſpiam pudicitiam, vel oculis aut corde libaverit. Matth. c. 5. 28. Conjugia prorſus inſolubilia mandat Matth. 5. 32., Marci 10. 11., Lucæ 16. 18., 1. Cor. 7. 10., hoc enim veram amicitiam fovet, quæ perpetua eſſe debet, ac inſolubilis; & rectæ liberorum educationi eſt utilius. Unam tantum ſuis permittit uxorem 1. Cor. 7. 4.,

& La-

& Lactantius l.6.Inſt.c.23., & Hieronymus adverſus Oceanum ut ſcilicet animus ab uxore in ſolidum marito datus æquali retributione penſetur: *Apud eos enim* (ait Salluſtius de bell. Jugurt.) *qui plures uxores habent, levis iſta ducitur neceſſitudo, quod animus multitudine diſtractus nullam pro ſocia obtinet, omnes viles habet*, & Ammianus de Perſis lib. 23. *per libidines varias caritas diſperſa torpeſcit*: & ut rectiùs procedat ſub una præſide domeſticum regimen, nec diverſæ matres diſcordiam liberis inſpirent; quod in iis, qui plures habuere uxores, ſæpius accidiſſe, Scriptura ipſa teſtatur.

XVII. Si verò bona alia ſpectemus, quæ vulgò externa dicuntur, non minus in iis ſanctitas Chriſtianæ Religionis apparebit. Furta a Paganis quibuſdam permiſſa videntur, ut Ægyptiis, teſte Diodoro Siculo hiſtor. l.1., & Spartiatis, Plutarcho aſſerente in Lycurgo. Quibus autem furta privata interdicebantur, publica adeò erant in uſu, ut de Romanis dixerit Cicero, ipſos ad caſas reducendos fore, ſi ſuum cuique reddere deberent. Hoc etiam Lactantius in Epitome Inſtitut.c.1. his verbis. *Quod ſi omnes populi, penes quos ſit imperium, ipſique Romani, qui orbem totum poſſedere, juſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere quod vi, & armis occupavere, ad caſas & egeſtatem revertentur*, quod & de Turcis, & Mahumetanis noſtro ævo repetere poſſumus.

Hebræis verò nihil quidem tale; quod armis occuparunt, id Deo volente, ac concedente fecerunt. Attamen fœnerari in extraneos ipſis permiſſum erat Deuteron.23. 19., lege eorum ingenio ſeſe aptante, quæ etiam illis nil aliud clare, quam divitias, ac temporalia bona pollicebatur (Levit.26.5. Deuteron.28. 4. 5. 6. 7. 8. 11. 12.) genti in iis unice occupatæ, nec ita facile ad ſuperiora bona aſſurgere valenti.

XVIII. Chriſtiana autem Lex non modò omne injuſtitiæ genus cuivis, & in quoſvis prohibet (Matth. 6. 12, Epheſ. 5. 3.) ſed & vetat, ſtudium rebus illis caducis impendere Matth. 6. 24. &c. c. 13. 22. Lucæ. 8. 14. 1. Timoth. 6. 9. quia ſollicitudo nimia ſervitutem quandam, & cruciatum ſecum fert. Matth.6. 34. Philipp. 4. 6. Facultates quidem ac divitias indulget, ſed non ita, ut in illis ſpes ponatur 1. Timoth. 6. 17. & qui utuntur hoc mundo, ſint tanquam non utentes 1. Cor. 7. 31. Quæ autem nobis ſuperflua ſunt, non in mare projicere jubemur, ut inter Philoſophos imprudenter egit Ariſtippus, teſte Laertio, & affirmante Philoſtrate etiam Crates: neque detinere, quod nobis eſt inutile, neque prodigere, ſed inde aliorum inopiæ ſubvenire,

ſive gratioſè largiendo Matth. 5. 42., ſive mutuum dando id rogantibus Matth. ibidem, *nihil inde ſperantes* Lucæ 6. 35., ut decet eos, qui ſe non dominos harum rerum, ſed Dei procuratores habent, ac diſpenſatores 1. Timoth. 6. 17. 18. Theſaurizantes nobis theſaurum non in terra, ſed in Cœlo Matth. 6. 20., ubi centuplum quiſque accipiet, & vitam æternam poſſidebit Matth. 16. 20. Hujus admirabili exemplo prævivere nobis Chriſtianorum primi, cum uſque ex Macedonia & Achaja (teſte Paulo Rom. 15. 25. 26. &c., 2. Cor. 9. 1. 2. 3., Philipp. 4. 18.) ea mitterentur, quæ Palæſtinorum egeſtatem ſupplerent, eòuſque procedentibus aliis, ut ea, quæ habebant, ut communia omnia reputarent Act. 4. 32. 34., & ponerent ante pedes Apoſtolorum, ut dividerentur ſingulis, prout cuique opus erat, Act. 4. 35., ac ſi Chriſtianorum omnium eſſet una familia. Atque in Chriſti lege hæc quòque additur cautio, ne qua recompenſationis, aut honoris ſpes beneficentiam deſloret, cujus apud Deum perit gratia, ſi aliud præter Deum reſpiciat Matth. 6. 1. 2., Lucæ 14. 12. Ne autem quis tenacitati ſuæ obtendat velum, quaſi metuat, ne temporis tractu aliquid ſit ei defuturum, promittit lex curam ſpecialem pro talia præcepta ſervantibus Matth. 6. 32., Lucæ c. 12. 7., & c. 21. 18., opponens ei, qui fortè minus confideret (ibid. v. 26. 28.) conſpicuam Dei providentiam in alendis feris, ac pecudibus, & in omnibus herbis, ac floribus &c. Hæc aliaque ſimilia, quæ prætereo, quis non videat, evidenter oſtendere Chriſtianæ Religionis ſanctitatem, atque præſtantiam ſupra ceteras?

§. III.

Solutio quarumdam objectionum.

XIX. SAnctitatem Chriſtianæ Religionis obſcurare contendunt Hebræi primò, quod Chriſtiani, colentes tres Divinas Perſonas, plures Deos æque ac Ethnici colant.

Sed hoc nil aliud eſt, quam falſa imaginatio ex odio Chriſtiani dogmatis concepta. Quod Ethnicos tangit jam diximus ſupra c. 4. §. 11. Quod verò tangit Judæos: quæro ab ipſis: cur id nobis magis objiciant, quam Philoni Judæo? Is enim lib. de Cherubin. pag. 112. ponit in uno ſummo Deo, tanquam duas ſupremas poteſtates, *Bonitatem, & Potentiam; tertium verò medium ſermonem, ſive rationem* lib. de ſacrificiis Abelis, & Caini pag. 139. In Deo recognoſcit duas ſupremas potentias, *principa-[illegible] imperium, & bonitatem*, inter quas *medius eſt ipſe unus Deus*,

Deus, has dicit eſſe incircumſcriptas: *incircumſcriptus enim Deus, & incircumſcriptæ ejus potentiæ*, dicit eſſe myſteria, *quæ ut divina nemini homo proloquatur facile, ſed ſervans ea recondita, & tenens ſilentium, fruatur eis in abſcundito*, Lib. inſuper 2. de agricultura, ſeu de plantatione Noë pag. 226. diſtinguit in Deo *qui eſt, Dominum, & Deum*; dicens *Qui eſt indicat potentias, Dominus eam, qua imperat, Deus eam, qua eſt beneficus*. Loquens autem de Divino Verbo l. de mundi opificio pag. 4. dicit, quod ſicut Civitas ab Architecto præſignata nullum locum habet extra; *tantùm impreſſa artificis animo, eodem modo ne ille quidem ex ideis conſtans mundus alibi locum habere poterat, quàm in Dei Verbo, quod adornavit hæc omnia &c.*, & ibi pag. 6. *Ceterùm inviſibile illud, & intelligibile Divinum Verbum, & Dei Verbum imaginem dicit Dei, & hujus imaginem lucem illam intelligibilem, quæ facta eſt imago Divini Verbi ſuæ generationis interpretis*. Lib. autem quis rerum Divinarum hæres pag. 497. dicit, quod qui aperit ſingulorum mentes ad percipienda intelligibilia.... *Eſt ille Dei ſermo inviſibilis ſator, & artifex, qui convenientèr ad Patrem refertur*. De eodem etiam Dei ſermone ibid. pag. 509. ait: *Nec ingenitus ut Deus, nec genitus ut nos, ſed inter extrema medius, apud utroſque agens obſidem*. En ergo quomodo citatis in locis, & alibi paſſim Philo in Deo ponit potentiam, bonitatem, ac ſermonem, ſeu imperium, ac bonitatem, quas inter medius ut unus Deus, has dicit incircumſcriptas, ſicut incircumſcriptus eſt Deus. Divinum Verbum, ſeu ſermonem dicit eſſe Dei Verbum, imaginem Dei, ſatorem, & artificem, qui refertur ad Patrem, nec ingenitum, ut Deus, nec genitum, ut nos. Vel ergo Philo hæc ponendo iu Deo, & in Deo adorando, ponit, & adorat plures Deos, vel unum Deum in tribus illis Dei proprietatibus. Si Philo unum Deum non plures ponit, & adorat in Potentia, Sermone, & Bonitate (ut certè dicent Hebræi) quare nos ponentes, & adorantes in Deo perſonam in Patre, ſermonem Dei in Verbo, & bonitatem in Spiritu Sancto, plures ponemus Deos, & adorabimus?

XX. Quæſo iterum Hebræos, cur id nobis magis objiciunt, qui ponimus in Deo Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum; quàm Joſeph Albo, & R. Maimonidi, qui initio libri de fundamentis diſtinguit in Deo *id, quod cognoſcit, quo cognoſcitur, & cognitionem?* Quàm Moyſi Nehemanni filio, qui, ut refertur apud Maſium ad cap. 5. Joſue, Angelum miſſum ad Joſue dicit eſſe Angelum primum Redemtorem, quem vocat Deum faciem Dei, qui Moſi in rubo apparuit, aſſerens: *Atqui*

qui facies Dei ipſum ſignificat Deum : quod apud omnes Interpretes eſt in confeſſo? Si nos plures Deos ponimus, cur non & Cabaliſtæ, qui Deum diſtinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iiſdem, quibus nos, nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti? Vide additamenta ad Lexicon Hebraic. Schindleri, & ut id ſumam, quod Hebræis maximè commune eſt, cur dicunt ipſi, Spiritum illum, quo agitati ſunt Prophetæ, non eſſe aliquid creatum, & tamen à mittente ipſum diſtingui? Quid de Spiritu illo, quem dicunt Schechina, quem à Spiritu Sancto diſtinguunt Gemara Hieroſolymitana tit. de documentis cap. 3., & Gemara Babylonic. tit. Jona cap. 1. de quo Schechina ait R. Joathan in præfat. Ecka Rabthi, per annos tres & dimidium ſe tenuiſſe in Monte Oliveti, expectantem converſionem Judæorum? Hæc docent Hebræi, & unitatem Dei ſe non tollere, aſſeverant; ecquid ergò nobis opponunt, adorantes in Deo Trinitatem Unitatem Dei è medio tollere?

XXI. Præterea nobis objiciunt, humanam naturam in Jeſu à nobis adorari, quod Idololatriæ vitium eſt.

Sed quid hoc nobis vitio vertunt, cum jam oſtenderimus, Jeſum fuiſſe Meſſiam, & propterea hominem quidem, ſed ſimul Deum? Sane in Meſſia habitaturam vim divinam, quam ſapientiam vocant, plures Hebræorum tradidere, inter quos R. Salomon, qui etiam ad Geneſ. 19. 18. agnoſcit, à Deo adſumi poſſe humanam naturam, quam & olim ad tempus adſumtam putat, cui conſentit Thalmud tit. Schebuoth, & Sabbathoth. Unde Chaldæo Paraphraſte Meſſias *Verbum Dei* dicitur, Verbo autem Dei divinum aliquid in Deo manens ſignificari, oſtendimus ſupra ex Philone, ſicut & Meſſiam auguſto illo Dei Nomine *Jehovah* appellari, ut Joatham, & David Kimchi ad Jerem. cap. 23. 6. exponunt, quibus conſentit R. Abba in Ecka Rabbathi in Zahar. 10. 16., & futurum, ut eo tempore Deus digito monſtretur, ait Thalmud in Taanth ex Eſaia 25. 9. Meſſiam inſuper nomine Domini inſigniri, i. Adonai, ut ex Pſalm. 45. 7. quem pſalmum de Meſſia loqui fatetur Chaldæus Paraphraſtes ibi.

XXII. Quid ergò mirum, ſi hominem Deum, ac humanam naturam ratione divinitatis, ei tam intimè inſidentis ac unitæ, adorent Chriſtiani? Ad id enim eos invitat Pſalmus 2., imò & 109. vel 110., quorum primus in Davide quidem rudi modo impletum, ſed præſtantiſſimo modo in Meſſia implendum David Kimchi magnus Chriſtianorum adverſator, ex ſententia majorum ſuorum, in comment. ejuſdem Pſalmi non audet diffi-
te-

Digitized by Google

teri; imò apertè fatetur Rabbi Saadia. 2. verò Pſalmus non de alio, quam de Meſsia poteſt opponi: nam quæ recentiores Judæi, alii de Abrahamo comminiſcuntur, alii de Davide, alii de Ezechia, frigida ſunt. Pſalmus ille 109. vel 110. Davidis eſt, quod teſtatur Hebraica inſcriptio. Ergò cum ibi David loquatur dictum *Domino ſuo*, id nec Davidi ipſi, nec Ezechiæ, qui ex poſteris Davidis fuit, nec ulli rei Davide excellentiori aptari poteſt: neque Abrahamo; in eo enim sacerdotium nullum fuit; imoMelchiſedechus ei,tanquam ſe minori,benè precatus eſtGen. 14.18.19., & Hebr.7.1., & ab eo decimas ſacerdotali jure accepit Geneſ. ibid. v. 20. Imo id, quod additur in eodem Pſalmo: *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion*, ideſt ſceptrum exiturum ex Sion, & perventurum in oras ultimas, cuinam alteri convenire poteſt, quàm Meſsiæ, ut ex locis ſupra adductis ex Prophetis manifeſtè apparet, & maximè ex Oraculo Jacobæo Gen.49.10.? Cum autem hæc omnia in Jeſu Nazareno impleta ſint, & ipſe ſit Meſsias promiſſus, ut ex jam probatis elucet; cur nos reprehendunt, ſi Jeſum tanquam Deum adoramus, ejuſque humanitati ſubſternimur? Non enim hoc ad imminutionem Dei Patris; ſed ejus potiùs excellentiam prædicat, à quo accepit Jeſus hanc dignitatem, quod fatetur ipſe Joann. cap. 5. 19. 30. 36. 43. cap.6.36.58. cap.8.28.43. cap.10.18.29. cap.14.28.31. cap.16.28. cap.20.21. & ad Hebræos cap.5.5. Rom.6.4. 1. Cor. 11.4., & ad quem reditura eſt fatente Apoſtolo 1.Cor.15.24. & cujus honori illa inſervit Joann.13.31. cap.14.13. Rom.16.27. Ideo Thalmud in titulo de Synedrio negat, Jeſum Idoli eſſe nomen, quando Chriſtiani in ejus honore reſpiciant Deum mundi opificem: hoc autem modo Chriſti carnem adoramus. Undè Athanaſ. epiſt. ad Adelphium ait: *Noverint igitur, nos, cum Dominum in carne adoramus, non rem creatam adorare, ſed Creatorem creato indutum corpore.*

XXIII. Tertiò objicient Ethnici: Vos Chriſtiani noſtra ſacrificia ut crudelia deteſtamini,quia ſæpè humano ſanguine polluta; at vos, qui colitis Deum vobis implacabilem, donec Jeſus in ſacrificio crucis, veluti victima totius generis humani ſanguinem fudit, & in hoc ſanguine veſtram reconciliationem operari creditis, qua fronte in nos inſurgere poteſtis?

Reſpondeo, nos deteſtari quidem, & meritò, humana ſacrificia Paganorum, ut ea deteſtatur Lactantius lib.1. inſtit. c.21. quia & facta falſis Diis, ſeu veriùs Dæmonibus; & quia nulla ex cauſa iis placebat humano ſanguine ſibi litari: *Quid enim* (ajebat Lactantius) *illis iſti Dii amplius facere poſſent, ſi eſſent irati*,

ti, quàm faciunt propitii? Cùm ſuos cultores parricidiis inquinant (loquitur de parentibus filios innocentes Diis ſacrificantibus) *orbitatibus mactant, humanis ſenſibus ſpoliant?* &c. Hæc horrent Chriſtiani, ſacrificant enim Deo vero, non victimas pecudum, & multò minus hominum, ſed cordis, & affectus juxta illud Pſalm. 50.: *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Offerunt quidem ſanguinem Jeſu in reconciliationem, recolentes ſacrificium ſui corporis, quod fecit in cruce: ſed hoc crudelitas non fuit, ſed ex parte Dei juſtitia, ex parte Jeſu amor immenſus. Cum enim ob peccatum primi parentis totum genus humanum addictum eſſet morti; Verbum Dei filius Patris aſſumens carnem, & cum carne hominis peccatum, ſeſe exhibuit vadem, ac ſponſorem pro homine, ac ſua morte delevit culpam, ſuo ſanguine abluit maculam, unico hoc ſacrificio omnia implens, ac Deo reconciliavit mundum, *delens* (ait Paulus Coloſſ. 2. 14.) *quod adverſus nos erat, Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci*. In hoc quænam apparet crudelitas? Crudelitas equidem fuit ex parte Judæorum, Jeſum innocentem morti adjudicantium, non tamen fuit crudelitas ex parte Jeſu mortem propter noſtram ſalutem obeuntis; neque ex parte Dei, eam in noſtram expiationem acceptantis.

XXIV. Quod ſi reponas, Deum noſtrum ſibi complacere in ſuorum ſanguine, ac nece, ut videre eſt in tot millibus Martyrum, qui præcipiente Chriſto vitam dedere.

Dicam. Si multi vitam prodegere pro patria, pro parentibus, & adhuc laudantur; cur laudandi non erunt, qui pro vero Deo, pro religione, pro veritate ſanguinem fundunt? Sane in circumſtantiis, quibus periclitaretur honor Dei, nihili facienda eſt vita, ut illum tueamur. Chriſtus autem ipſe, qui talia jubet pro nomine ſuo pati, pollicetur etiam ea patientibus gloriam æternam. Quid autem Dii Paganorum, ſeu Dæmones, polliceri poterant, & multò minùs conferre iis, qui propter ipſos jugulum præbuiſſent?

XXV. Quarto objicere poſſent diſcordias, quæ quovis ſeculo fuere, & adhuc ſunt inter Chriſtianos, præſertim in religionis negotio, ut tot hæreſes, ac diſcrepantes opiniones quæ diſtrahunt animos Chriſtianos.

At qui ita objicit, vel Paganus eſt, vel Judæus. Si Paganus: qua fronte Chriſtianis exprobrat diſcordias, quaſi Pagani in religionis negotio concordes fuerint? Chriſtiani ſaltem omnes unum, eundemque Deum colunt; at Pagani neque in Divinitate con-

conveniunt; uni enim genti unus Deus eſt, alii alius, quique uni Deus eſt, alteri victima eſt, ſuo Deo immolanda. Videantur quæ diximus c.4.§.8. Si verò, qui ſic arguit, Judæus eſt; miror: quaſi neſciremus in quot ſectas Synagoga foret conſciſſa temporibus Jeſu, Sadducæorum, Phariſæorum, Herodianorum, Eſſenorum, Samaritanorum. Poſt Chriſtum autem Rabbini eorum; ſpiritu vertiginis circumacti, quaque verſus feruntur.

XXVI. Quod ad nos attinet in promtu reſponſio eſt Vel enim ſermo eſt de Chriſtianis, quatenus complectuntur etiam Hæreticos, ac Schiſmaticos: vel de Chriſtianis Catholicis, & in eadem fide conſentientibus. Si de iſtis, dico, nullam eſſe diſcordiam voluntatum, ſed omnium opinionum, quæ fidem & caritatem non lædunt: ſicut enim in Mathematicis diſputatur quidem, an quadrari poſſit circulus; attamen de principio hoc: ſi æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia: nullus diſputat, nullus controverſiam excitat. Sic diſcrepant quidem Catholici in aliquibus, fidei ſummam non tangentibus, verùm in præcipuis, ac fundamentalibus, quibus fides Chriſtiana, imo & Catholica innititur, unius mentis, cordis, ac labii ſunt; adeo ut ubi æſtu diſputationis ventum fuerit ad iſta, eò progredi non auſint, ut hæc negent. Si veró loquatur de Chriſtianorum univerſitate, omnes baptizatos etiam Hereticos claudente, non inficior, acres diſcordias fuiſſe: ſed has etiam concedatur mihi demum fuiſſe extinctas: quod ſi modo aliquæ ſuperſunt, has eundem exitum, ac olim antiquæ, habituras, annuente Jeſu, confidimus.

XXVII. Sit item reſponſio noſtra ea, quam nobis exhibet S. Auguſtinus lib. de utilit. Jejunii cap.8., ubi poſtquam hortatus eſt Chriſtianos, ut ad pacem, & unitatem veniant colendi unum Deum, ut ex hoc moneantur Pagani ad deferendos multos Deos, ſubdit: *Et ſi fortè faſtidiunt, & hinc nobis calumniantur, quòd unitatem inter nos Chriſtiani non habemus, & inde ſunt tardi, & pigri, ne veniant ad ſalutem: alloquar & ipſos paululum, & dicam, quod eis dicatis. Non præferant nobis, quaſi concordiam ſuam, non ſibi tanquam de unitate ſua placeant. Hoſtem quippe, quem patimur, illi non patiuntur: illos, & non iſta agentes, ipſe poſſidet. Videt conadoratores falſorum Deorum; videt eos ſervos, & ſervos Dæmoniorum: quid illi lucri eſt, quia litigant, aut quid damni eſt, quia non litigant? Et unum quamvis falſum, & vanum ſentientes, ſibique conſentientes; ſic eos poſſidet. At cum desereretur, & multi ad unum Deum concurrerent ... vidit, ſe perdidiſſe, quos tenebat, vidit à ſua familia receſſiſſe, verum Deum cognoviſſe. Quid faceret? Quomodo inſidiaretur? Concordes nos, ſcit, quod poſſidere non poſſit,*

 unum

unum Deum nobis dividere non poteſt: falſos Deos nobis ſupponere non poteſt: ſentit eſſe vitam noſtram caritatem, mortem noſtram diſſenſionem: lites immiſit inter Chriſtianos. Quia multos Deos non potuit fabricare Chriſtianis, ſectas multiplicavit, errores ſeminavit, hæreſes inſtituit. Sed quidquid fecit, de palea dominica fecit...., Fratres, frumentum de area aut non recedit, aut redit. &c.

XXVIII. Quintò opponere poſſunt, Chriſtianam religionem multa præcipere aſpera, & creditu difficilia.

Reſpondeo, imo ex hoc emicare ejus ſanctitatem, quòd aſpera ſit erga corpus, ut animo indulgeat, quod ſummæ virtutis eſt, cui genium inſidet pugnandi contra vitia, eaque debellandi: *Virtus* (inquit S. Auguſtinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 4. *quid hìc agit, niſi perpetua bella cùm vitiis, nec exterioribus, ſed interioribus; nec alienis, ſed planè noſtris, & propriis: maximè illa, quæ Græcè Sophroſini, latinè Temperantia nominatur, quæ carnales frænantur libidines, ne in quæque flagitia mentem conſentientem trahant?* Ad hoc tendunt præcepta religionis Chriſtianæ, de quibus ſupra, quorum honeſtas adeò manifeſta eſt, ut qui inter Paganos virtutem coluerunt, ea probarint; Adulterum enim eſſe etiam qui adulterium committere voluit, ſenſit Ovidius lib. 3. amorum Elegia 4. ubi ad virum ſervantem conjugem ait, eum poſſe quidem ſervare corpus, non autem mentem, ne adulteret,

Nec mentem ſervare potes, licet omnia claudas.
Omnibus occluſis, intus adulter erit.

Et Seneca lib. 4. de benef. cap. 14. *Non dicam pudicam, quæ amatorem, ut incenderet, repulit: aut legem, aut virum timuit, ut ait Ovidius.*

Quæ quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præſtitit, & non ſibi. Non reponendam injuriam cenſuit Plato in Critone, Maximus Tyrius diſſertat. 2. Ariſton Spartianus dicenti cuipiam: Regium eſſe amicis benè, inimicis malè facere: imò, inquit, amicis benè facere, inimicos amicos reddere: & apud Plutarchum Dion ille Siciliæ liberator, Philoſophici ſtudii veram demonſtrationem in eo ait poſitam, non ut quis in amicos benignus ſit, ſed ſi quis injuria affectus, ſit exorabilis, & clemens in eos, qui peccarunt. Uni autem marito unam uxorem eſſe jungendam cenſuit Euripides in Andromache.

Contentus imò conjugis vivat toro
Quicumque cupiet ritè curatam domum.

Fœdus etiam matrimonii debere eſſe perpetuum, cenſuerunt Ro-

Romani ad annum urbis vigeſimum, & quingenteſimum, teſte Valerio maximo lib.2. cap.1. Hominis officium eſſe benefacere, præſertim indigenti, aliaque pietatis opera, quæ Chriſtianis præcepta ſunt, quilibet in eruditione prophana mediocriter verſatus facile deprehendet, ab ipſis Paganis, in quibus veſtigium aliquod virtutis fuit, laudata fuiſſe, & non ſemel opere impleta.

XXIX. Quod autem religio Chriſtiana multa præſcribat credenda, humanam rationem ſuperantia, ideoque creditu difficilia; tantum abeſt, ut ejus lædat veritatem, ut potiùs ex hoc evidens confici poſſit argumentum, eam non homine, ſed Deo, qui humanum captum excedit, dictante ac docente eſſe fundatam: eo vel maximè, cum, ut infra dicemus, non obſtante credendorum tanta arduitate, à tot viris etiam ſapientiſſimis ſuſcepta fuerit, & penè totius orbis conſenſu fuerit approbáta. Adverto inſuper ſi aliqua ardua creditu Religio Chriſtiana proponit, alia multa non minùs aſpera Paganiſmus exhibuit. Quod enim de animorum immortalitate, & reditu corporum ad vitam docemus, hoc Paganorum aliquos confeſſos fuiſſe ſupra oſtendimus. Quæ de Trinitate in Deo credimus, adumbrata legimus in Platone epiſt. ad Dionyſium, qui divinam naturam diſtinguit in Patrem, mentem paternam, quam & Dei germen vocat, mundi opificem, & animam, qua cuncta contineantur. Videantur & Plato epiſt. ad Hermiam Eraſtum, & Coriſcum, & D. Auguſtinus de Civit. Dei lib.10. cap.29. aſſerens, Platonicos utcumque Trinitatis cognitionem habuiſſe, quod repetit de Porphyrio ibid. cap.23. Videndus etiam Euſebius præparat. Evang. lib. 11. cap.17.18. & 19., & Cyrillus contra Julianum lib. 3. 4. & 8. Naturam autem divinam jungi poſſe cum humana, nec Julianus, quamvis tantus Chriſti hoſtis, refragari auſus eſt, ponitque exemplum in Æſculapio, qui ex Jovis mente genitus, è cœlo in terram delapſus fuit, ut ſub humana forma hominibus mederetur. Verba Juliani apud D. Cyrillum lib. 6. ſunt ſequentia: *Jupiter enim inter ea, quæ mente cernuntur, ex ſe genuit Æſculapium. In terram autem per fœcundi ſolis vitam editus eſt. Hic è cælo in terram progreſſus hominis forma unicè quidem circa Epidaurum apparuit; inde longiùs provectus in omnem terrarum orbem ſalutarem dexteram extendit.* Crux Chriſti multos offendit: at nonne majoris offenſionis ſunt, quæ de Diis narrant Pagani? Alios ſcilicet Regum famulos fuiſſe, fulminatos alios, vulneratos, diſſectos aſſerunt. Honeſto viro infortunia non nocere, Sapientes Paganorum dixere, unde Tullius lib.3. de Republica: *Bonus* (inquit) *ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique affe-*

 ran-

rantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur: & Lactantius lib. 6. inſtit. cap. 17. hunc nobis locum Senecæ ſervavit: *Hic eſt ille homo honeſtus, qui ſive toto corpore tormenta patienda ſunt, ſive flamma ore recipienda eſt, ſive extendenda per patibulum manus, non quærit, quid patiatur, ſed quàm benè*. Imo Plato 2. de Republica ait, ut verè juſtus exhibeatur, opus eſſe, ut virtus ejus omnibus ornamentis ſpolietur, ita ut ille habeatur ab aliis pro ſcelesto, illudatur, ſuſpendatur denique. Talibus encomiis vel nolentes Pagani celebrarunt Jeſu Chriſti virtutem, ac patientiam in ſua paſſione, & cruce. Quid ergò Chriſtiani credunt, cujus ſimile apud Paganos non fuerit, vel quod eorum teſtimonio non commendetur?

§. IV.

Tertia Ratio ex admirabili ejus propagatione.

XXX. Ex præſtantia Magiſtri, atque ſanctitate Doctrinæ hactenus ſtabilivimus Chriſtianæ religionis ſupra omnes excellentiam. Nunc nos ad effectus, qui ex iſto dogmate ſecuti ſunt, convertamus, inter quos primus eſt admirabilis Chriſtianæ Religionis per totum orbem propagatio.

Equidem Chriſtianam religionem eſſe toto orbe ſparſam, nemo non videt. Eam enim latè doceri per totam Europam, ne Septentrionis quidem receſſibus excluſis, teſtantur Adamus Bremenſis, Hermoldus, & qui de Islandia ſcripſere: per Aſiam, Ægyptum, Æthiopiam, Africam, & Americam, aſſerunt quotquot de iis regionibus verba faciunt, ita ut nulla ſit, ad quam Chriſtianum dogma non pervenerit, & non ſit, qui illud non profiteatur. Neque id nunc tantum fieri, ſed & olim factum tradunt omnium temporum Hiſtoriæ, Acta Conciliorum in iis celebratorum, libri Chriſtianorum; vetuſque Traditio nunc quoque apud Barbaros manens de cineribus, ac miraculis B. Thomæ, de quibus Abdias lib. 9., Euſebius hiſt. lib. 1. in fine, & lib. 2. cap. 1., & initio libri 3., Ruffinus lib. 10. cap. 9., Oſorius de Luſitanicis &c. D. Andreæ, & aliorum Apoſtolorum, de quibus idem Euſebius lib. 3. initio, & Origenes ad Geneſim. Quam latè ſuis temporibus Chriſti nomen celebraretur apud Britannos, Germanos, aliaſque ultimas gentes, notant Irenæus, Tertullianus, & alii, quos audire non pigeat.

XXXI. Irenæus, qui ſecundo ſeculo floruit, lib. 1. cap. 3. ait: *Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſint, virtus Traditionis una &*

ca-

eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente; neque hæ, quæ in Ægypto: nequo hæ, quæ in Lybia, neque hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ, ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus, ac idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.

XXXII. Tertullianus autem adverſus Judæos cap.1. *In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphyliam immorantes, Ægyptum, & Regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, inhabitantes Romani, & Incolæ: tunc & in Hieruſalem Judæi, & ceteræ gentes: ut jam Gætulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpanorum omnes termini, & Galliarum diverſæ Nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum: & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum: & quæ enumerare minùs poſſumus, in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat.* Mox oſtendit, quantò latiùs Chriſti regnum ſuis temporibus, ideſt in fine ſecundi ſeculi, patuerit, quàm olim Nabucodonoſoris, & Alexandri, aut Romanorum. *Chriſti autem regnum, ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus ſupra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter.* Videndus inſuper Origenes Homil.4. in Ezechielem, Arnobius lib.2. adverſus Gentes, Athanaſius epiſt. Synodica, quæ eſt apud Theodoretum lib. 4. Hiſt. cap.4., ubi Eccleſias Chriſtianas commemorat Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, Dalmatiæ, Myſiæ, Macedoniæ, Græciæ, Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Lybiæ, Ponti, Cappadociæ. Theodoretus adverſus Græcos ſermone 8. de Apoſtolis loquens, Hieronymus in Epitaphio Nepotiani Chriſtianis annumerat Indos, Perſas, Gothos, Ægyptios, Beſſas, & Pellitos populos: in epiſt. ad Lætam addit Æthiopes, Armenios, Hunnos, Scythas, Getas: in Orthodoxi & Luciferiani Dialogo Britannos, Gallos, Orientem Indorum, populos Iberos, Celtiberos. Chryſoſtomus homil. 6. in 1. ad Corinth. Homil.2. in Pentecoſtem, & in demonſtratione Chriſtum eſſe Deum, quaſi per totam

XXXIII. Quæ ergo Religio eſt, quæ cum tam lata, ac ſubita extenſione, & continua poſſeſſione audeat contendere? Nam ſi Paganiſmum dixeris, hic à Religione Chriſtiana everſus, eo maximè tempore, quo toto orbe extendebatur, ejus mirabilem potentiam deprædicat. Addo, Paganiſmum eſſe quidem nomen unum, non tamen religionem unam; nam nec idem adorabant omnes; alii enim aſtra, alii elementa, alii pecudes, alii res non exiſtentes, ut monſtra; nec eadem lege, nec communi magiſtro, ut vidimus. Judæi ſparſi quidem, ſeu potiùs diſperſi, omnia ſuæ Religionis inſignia, ritus, ſacrificia, Templum amiſerunt, nec poſt Chriſtum amplius creſcere valuerunt, imo lex ipſorum magis per Chriſtianos, quàm per ipſos innotuit. Mahumetiſmus certè multas Terras occupat, ſed non ſolus, nam in eiſdem, quibus Mahumetes dominatur, regionibus, Chriſtiana floret Religio, aliquibus in locis numero prævalens; cum è contra in partibus pleriſque, ubi ſunt Chriſtiani, nullus Mahumetanus reperiatur. Quis ergo in tanta, tamque conſtanti propagatione Religionis Chriſtianæ, non admiretur Dei potentiam, & Chriſti Inſtitutoris divinitatem? *Etenim* (ait Chryſoſtomus Demonſtr. quod Chriſtus ſit Deus) *non eſt puri hominis tantum Orbis brevi ſpatio peragrare, terra, marique, ad res tales tali modo vocare homines mala conſuetudine occupatos, imò a tanta malitia poſſeſſos, & tamen ab his malis liberare humanum valuit genus, non Romanos tantum, ſed & Perſas, & omnes Barbaras gentes &c.*

§. V.

Religionis Chriſtianæ propagatio admirabilis ratione qualitatis Doctrinæ.

XXXIV. EO mirabilior eſt Religionis Chriſtianæ tanta, tamque celeris propagatio, ſi ſpectemus qualitatem doctrinæ, quam prædicat. Non ſolùm enim nova, nec antea audita, ſed prorsùs contraria antiquis dogmata cœpit evulgare, eaque aſpera, & abducentia a voluptatibus ad carnis macerationes, ab amore opum ad amorem paupertatis, ab ira ad manſuetudinem, a cultu Numinum ad cultum Chriſti, quem tamquàm Deum proponebat, cùm tamen ſcirent homines a Judæis tanquam hominem ſeductorem fuiſſe crucifixum. Hoc ratiocinium fusè proſequitur Chryſoſtomus Demonſtr. quod Chriſtus ſit Deus, tali pacto: *Magna res foret, & excellenter magna, divinæque virtutis, etiamſi nemo interturbaret . . . . , & reluctante nullo poſſe intra*

tra tam breve tempus totum Orbem a conſuetudine ſua mala, qua præoccupatus fuit, liberari, & ad aliam induci. Verùm hoc multò majus, quod non ſolùm in aliam inducitur, ſed in multò difficiliorem, non ſolùm enim diverſa conſuetudo erat, ſed & voluptate firmata. Dico violenta: quæ enim acceperat a patribus, avis, & proavis, aliiſque ſuperioribus progenitoribus, & Philoſophis, Rhetoribus, ea reſpuere, docebatur; quod ſanè difficillimum erat. At difficilius novam accipere conſuetudinem, quæ nunquam irrepſerat, illamque valdè laborioſam; abduxit enim Chriſtus a voluptate, & induxit ad jejunium; abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis; abduxit a luxu, & induxit ad temperantiam; abduxit ab ira, induxit ad manſuetudinem .... abduxit a via lata, & ſpatioſa, & induxit in anguſtam & arctam, & præruptam; & induxit aſſuetos viæ latæ. Neque enim alios homines extra hujuſmodi conſuetudinem viventes aſſumſit; ſed illos ipſos, qui in talibus vitiis computruerant, & luto molliores erant, juſſit, ut anguſtam & arctam viam, aſperamque illam & duram ambularent; & perſuaſit eis. Quos autem perſuaſit? non duobus, vel decem, vel viginti, vel centum, ſed omnibus fermè ſub Sole habitantibus. Hæc ibi Chryſoſtomus. Tanta autem, tamque ſubita mutatio a deliciis ad aſperitatem in toto Orbe quis poterat, niſi Orbis Dominus, ac Creator, niſi Deus? Quid inſuper magis alienum, & aſperum, quàm homines aſſuetos Idolorum cultui, quem a progenitoribus acceperant, hortari, ut Idola deteſtarentur, riderent ſolemnitates, reſpuerent ſacrificia, ac propter quid? Ut crederent tanquam in Deum in natum ex Maria, in ductum ad tribunal Præſidis, in damnatum, & tandem crucifixum, mortemque maledictam paſſum. Addebant quidem, eum poſtea ad vitam ſurrexiſſe, & in cœlum aſcendiſſe; verùm quo argumento toti Orbi, cujus maxima pars negabat poſſibilem reſurrectionem, eam perſuadere poterant? Quæ ad Chriſti paſſionem pertinebant, omnibus manifeſta erant, utpote flagella, colaphi, alapæ, ſputa, crux, irriſio, quæ omnes in eum jactabant; at reſurrectio non item; nam reſurgens ſolis diſcipulis apparuit, ſoli illi teſtes erant reſurrectionis, ſicut & adſcenſionis ejus in cœlum. Act. 1. Verumtamen & hæc dicendo, toto Orbi perſuaſerunt, eſſe Deum, quem noverat illuſum, & tandem cruci affixum. *Quo pacto & qua ratione?* ait D. Chriſoſt. laudato loco. *Virtute ejus, qui juſſit: ille enim prævius omnia faciebat, reddens etiam facilia, quæ dura. Niſi enim divina quadam virtus effeciſſet, nequaquam hæc, vel principium, vel præludium accepiſſent.*

§. VI.

§. VI.

Ex qualitate eorum, qui eam propagarunt, & modo quo eam propagarunt.

XXXV. Totius mundi ad Chriſtum converſio eò majus prodigium apparebit, ſi qualitatem eorum, quos ad tantum opus aſſumſit, inſpiciamus. Non enim viros doctos, ſapientia celebres, potentia, vel exiſtimatione inſignes elegit, ut ejus nomen glorificarent coram mundo, & eum ad ſui cultum traherent; ſed duodecim homines principio ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos: ac per eos perſuaſit toti mundo, nedum idiotis ac ſimplicibus, ſed & ſapientiſſimis; nedum præſentibus, ſed & futuris, ſe eſſe Deum unice colendum, aliaque Numina, quæ a tot ſeculis colebantur, eſſe a cultus poſſeſſione deturbanda. Res ceſſit, ut Chriſtus ſtatuerat, ac fore prædixerat. Horum virorum adeò rudium, & abjectorum prædicatio ad ejus fidem traxit, non ſolum pauperes ac viles, ſimplices ac idiotas, ſed & potentiâ ac ſapientiâ celebres, quales (ut de Judæis nunc taceam) fuere Sergius Cypri præſes Actor. 13. 12., Dionyſius Areopagita act. 17. 34., Cornelius Centurio act. 10., aliique. Succeſſivis autem temporibus Chriſto nomen dederunt: Polycarpus, qui paſſus eſt martyrium in Aſia anno 169. ſecundum Euſebium: Juſtinus Philoſophus, qui pro Chriſtianis egregias edidit Apologias anno 142. juxta eundem Euſebium: Irenæus, ſcriptis ac martyrio præſtans anno 183. Athenagoras Athenienſis circa annum 180.: poſtea Tertullianus, & Clemens Alexandrinus circa annum 208.: Origenes circa annum 230., atque eodem ſeculo Cyprianus. Hi, aliique homines docti, cur homini crucifixo ſe cultores addixerint: præſertim cum ferè omnes in aliis religionibus educati eſſent, nec in amplectenda Religione Chriſtiana quicquam aut honoris, aut commodi eſſet, quod eos alliceret? Cauſam nullam poterant habere, niſi quod diligenti inquiſitione (qualis viros doctos in maximi momenti negotio decet) evidenter comperiſſent, doctrinam, quam Apoſtoli eorumque ſucceſſores prædicabant de Chriſto, eſſe veram, & firmis teſtibus ſubnixam famam, quæ ipſum filium Dei, verumque Deum aſſerebat.

XXXVI. Si dicas, Apoſtolos principio rudes, factos repente ſapientes, omnique ſcientia imbutos, ac inſuper dictis ſuis miraculis atque prodigiis fidem apud omnes conciliaſſe, atque religionem Chriſti hac via propagaſſe. Eſto.

Eſto. At hoc multò magis evincit, id, quod Apoſtoli prædicabant, eſſe a Deo; verumque eſſe, quod Chriſtus prædixerat, ipſos induendos virtute ex alto. Lucæ 24. 49. & Spiritum Sanctum docturum eos omnem veritatem Joann. 16. 13.: quod accidiſſe narrat Lucas Act. 2. 4. &c. Quis enim poterat e rudibus ac idiotis repentè viros doctiſſimos, ac in omni ſcientia ac lingua peritiſſimos facere, niſi Spiritus Dei? Rurſus ſi eorum ſermonem conteſtabatur, & confirmabat Deus ſignis atque prodigiis, quodnam fortius erit argumentum, eorum doctrinam eſſe veram? Falſam certè aſſertionem Deus, qui veritas eſt, vero ſuorum miraculorum teſtimonio non comprobaſſet.

XXXVII. Attamen etſi miracula, quæ Apoſtolica dicta ſecuta ſunt, validum ſint Chriſtianæ fidei præſidium, ut ſupra intendimus c. 7. §. 7. Verum ſi quis ea negaret, adhuc eum convinceret Chriſtianæ Religionis propagatio ſine miraculis facta. Hinc D. Joannes Chryſoſtomus celebri Demonſtr. quod Chriſtus ſit Deus, ita diſcurrit: *Non tibi dixi mortuos ſuſcitatos, non lepro-ſos mundatos: ut ne dicas, hæc mendacia, figmenta, & fabulas: quis vidit? quis audivit? Et quamvis qui dixerunt, quod crucifixus ſit, & à Judæis conſputus, & alapis cæſus & colaphis; illi etiam hæc dixerunt: quomodo dignos fide putas in illis, in his verò arguis, quaſi dixerint non facta? Et ſi ad gratiam magiſtri ſui hæc ſcripſiſſent, ſtultè & fruſtra jactaſſent, ſi non tacuiſſent, quæ multis ignominioſa, & dura videntur.... Verùm nihil horum tibi dixi: de ſignis & miraculis loquor, ut abundantèr omnem impudentis linguæ furorem compeſcam. Sed in medium attuli ea, quæ nunc apparent, & quæ nunc ante oculos ſita ſunt, quæ Sole clariora, quæ ubique in toto Orbe diſperſa, in toto Orbe recepta factaque ſunt, ita ut humanam naturam tranſcendant, ſintque Dei ſolius. Quid dicis? Non ſuſcitavit mortuos? An & hoc potes dicere, quod Eccleſiæ non ſint per totum Orbem? &c.* En quomodo Chryſoſtomus exiſtimat; etiam omiſſis miraculis, haberi invictum pro veritate Religionis Chriſtianæ argumentum ex propagatione Eccleſiarum per totum Orbem.

XXXVIII. Hinc S. Thomas lib. 1. cont. Gentes c. 5. ex hac mirabili converſione probat veritatem miraculorum dicens: *Hæc tam mirabilis mundi converſio indicium certiſſimum eſt præteritorum ſignorum, ut ea ulteriùs iterare neceſſe non ſit, cum in ſuo effectu appareant evidentèr. Eſſet autem omnibus ſignis mirabilius, ſi ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & ad ſperandum tam alta, mundus abſque mirabilibus ſignis inductus fuiſſet a ſimplicibus & ignobilibus hominibus. Quamvis non ceſſet Deus etiam*

noſtris temporibus in confirmationem fidei per Sanctos ſuos miracula operari, hæc ſanctus Thomas.

XXXIX. Sed audire præſtat ſanctum Auguſtinum lib. 22. de Civit. Dei c. 5., ubi primò ſubtilitèr & acutè redarguit eos, qui credere nolunt carnis reſurrectionem; ſumitque argumentum à mundo jam credente reſurrectionem Chriſti, ejuſque Aſcenſionem, formans hoc dilemma: Vel mundus credens reſurrectionem Chriſti credit rem credibilem; & ſic ſtolidi ſunt, qui rem credibilem credere nolunt: vel credit rem incredibilem, & ſic jam admittitur, eveniſſe aliquid incredibile; nimirùm mundum tam firmiter credidiſſe id, quod erat incredibile. Si ergo jam factum eſſe vidimus unum duorum incredibilium, ideſt quod mundus crederet rem incredibilem; cur non credemus futurum alterum incredibile, nimirùm noſtrorum corporum reſurrectionem; cum utrumque in divinis litteris prædictum ſit? Ecce illationem ſancti Doctoris. *Unum duorum incredibilium jam factum videmus, ut, quod erat incredibile, crederet mundus. Cur id, quod reliquum eſt, deſperatur, ut etiam hoc veniat, quod incredibile credidit mundus; ſicut jam venit, quod ſimiliter incredibile fuit, ut rem tam incredibilem crederet mundus: quandoquidem hoc utrumque incredibile, quorum videmus unum, alterum credimus, in eiſdem litteris prædictum ſit, per quas credidit mundus?*

Deinde veniens ad modum, quo mundus credidit, dicit eſſe tertium incredibile majus aliis hoc pacto: *Et ipſe modus, quo mundus credidit, ſi conſideretur, incredibilior invenitur. Ineruditos liberalibus diſciplinis, & omninò, quantum ad iſtorum doctrinas adtinet, impolitos; non peritos grammaticâ, non armatos dialecticâ, non Rhetoricâ inflatos; piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare hujus ſeculi pauciſſimos miſit; atque ita, & ex omni genere tam multos piſces, & tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipſos Philoſophos, cepit. Duobus illis incredibilibus, ſi placet, imo, quia placere debet, addamus hoc tertium. Jam ergo tria ſunt incredibilia, quæ tamen facta ſunt. Incredibile eſt, Chriſtum reſurrexiſſe in carne, & in Cœlum aſcendiſſe cum carne: incredibile eſt, mundum rem tam incredibilem credidiſſe: incredibile eſt, homines ignobiles, infimos, pauciſſimos, imperitos, rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium, primum nolunt iſti, cum quibus agimus, credere; ſecundum coguntur & cernere; quod non inveniunt, unde ſit factum, ſi non credunt tertium. Reſurrectio certè Chriſti, & in Cælum cum carne, in qua reſurrexit, adſcenſio, toto jam mundo prædicatur, & creditur; ſi credibilis non eſt, unde toto terrarum Orbe jam credita eſt?..*

eſt? . . . Si autem, ut verum eſt, paucis obſcuris, minimis, indoctis eam ſe vidiſſe, dicentibus, & ſcribentibus credidit mundus; cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſi mundo jam credenti, adhuc uſque non credunt? Inde ſubjungens, mundum propterea credidiſſe, quia *eloquia* Apoſtolorum *perſuadentium mira fuerunt facta, non verba;* concludit poſtea: *Si vero per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, reſurrectionem atque adſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe, non credunt: hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.*

XL. Ex hoc pulcherrimo Auguſtini diſcurſu hoc conficio dilemma: Vel hæc tria incredibilia: Chriſtum reſurrexiſſe: Mundum hoc credidiſſe: & hoc credidiſſe paucis, iiſque rudibus ſuadentibus: facta ſunt credibilia, imò credita ſunt, mediis ſignis ac miraculis, vel ſine miraculis? Si primum; evincitur, doctrinam, quam prædicabant, eſſe veram, Deumque habere Auctorem, quia Deus nequit facere miracula in confirmationem doctrinæ falſæ. Si ſecundum; hoc certiùs convincit: quia ſolus Deus poterat dare efficaciam nudis paucorum verbis, ut toti Orbi perſuaderent veritatem doctrinæ, quæ humanæ rationi divina luce deſtitutæ videbatur omninó incredibilis; & ſine ullis miraculis inducerent homines ad tam arduam, & impoſſibilem mutationem. Hoc certè majus miraculum eſt.

XLI. Non eſt omittendus alter modus, quo facta fuit hæc propagatio per illos paucos viros: nimirùm ſine armorum ſtrepitu, Poteſtatibus mundi non ſolùm non juvantibus, ſed apertè obnitentibus, atque contradicentibus. Quare ita diſcurro: Quòd Romani temporis tractu totum fermè Orbem occuparint, quòd Alexander Magnus brevi annorum curſu ſumma rerum potitus ſit, non eſt mirabile: diſcimus enim ex Hiſtoriis comparaſſe exercitus, quorum vi ac robore expugnarunt Regna, genteſque ſubjugarunt. Quod etiam Mahumetes, vir ceteróquin idiota, ac vilis, ſectam ſuam late per Orientem effuderit, creditu difficile non eſt: ſcimus enim, Mahumetem primò factum caput prædonum, deinde militum Ducem, rapina, vi, ſtragibus, ac terrore homines captivaſſe; eo vel maximè cum doctrina ejus ſenſui, ac voluptatibus nimiùm indulgens, facilè poſſet eos allicere ad eam amplectendam. At quod pauci homines, qui nudi, ac illitterati, ſine armis, nullo exercitu ſtipante, nullo humanæ potentiæ præſidio roborante, imò mundi Principibus generaliter obſiſtentibus, mortemque, nedum exilia, ac bonorum ſpoliationes minantibus iis, qui fidem illorum verbis præſtitiſſent;

quodque doctrinam ſenſui humano incredibilem, a voluptatibus ac deliciis avertentem, taliter perſuaſerint, ut totum Orbem viderint ſibi devinctum: quis non videt, altioris virtutis, quàm humanæ, opus ac negotium fuiſſe?

In hoc potentiam virtutis, ac divinitatis Chriſti admiratur Chryſoſtomus ſæpè laudata Demonſtratione: Quod Chriſtus ſit Deus, ait enim: *Inſuper quod hæc confecit nullis uſus armis, nullos faciens ſumtus, nullos movens exercitus, nulla prælia committens, ſed per undecim viros principio ignobiles .... Quid? quot ſubvertit leges patrias, abolevit conſuetudines inveteratas, evellit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis ſuas alias implantavit? Abduxit ab his, in quæ propenſi eramus, & in ardua & difficilia induxit: cumque hæc faceret, infeſtabantur & ſui ab omnibus, & crucem Ipſe, genus mortis ingnominioſiſſimnm, ſuſtinuit.*

§. VII.

Quia propagata inter perſecutiones.

XLII. EX incremento, quod inter infidelium perſecutiones accepit, probat S. Auguſtinus Ep. nunc 137. olim 3. ad Voluſianum, mirabilem fuiſſe, & ſubinde a Deo promotam ejus propagationem. *Numero*, inquit, *exigui per mundum diſſeminantur, populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, perſecutionibus creſcunt, per afflictionum anguſtias uſque in terrarum extrema dilatantur* &c. Nec ſoli Apoſtoli, ſed quot alii, quò magis a perſecutoribus afflicti, anguſtiati, eò magis conſtantes in tuenda uſque ad mortem Chriſti fide ſteterunt? & tanta quamvis ubique contra Chriſti aſſeclas laniena graſſaretur, tantum aberat, ut numerus credentium minueretur, quin potiùs ſub ipſis carnificum oculis multiplicaretur. *Quis enumeret*, ait S. Auguſtinus l. 22. de Civit. Dei c. 6. *quam multi quantalibet ſævitia crudelitatis occidi, quàm Chriſtum Deum negare, maluerunt? Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, trucidabantur; & multiplicabantur;* adeo ut, eodem Auguſtino teſte ſerm. 252., aliàs 5. de diverſis: *Si computentur non ſolùm omnes fideles, qui in bona vita exierunt de corpore, ſed ſoli Martyres, unus dies paſſionis Martyrum ſi computetur, millia hominum inveniuntur coronatorum*, & P. Arias 1. p. de imit. Chriſti tract. 3. c. 35. in fine cum Genebrardo reputat veriſimile, tantum uſque ad ſua tempora excreviſſe Martyrum multitudinem, ut, ſi illorum feſta per totius anni dies diſtribuerentur,

ſin-

ſingulis diebus occurrere poſſint celebrandi triumphi triginta millium, qui vitam pro Chriſto dederunt.

XLIII. Hinc cum Lactantio lib.5.Inſtit. c.13. formari poteſt diſcurſus hoc modo: Stultitia eſſe non poteſt, *in quam tanta hominum millia per orbem totum una & pari mente conſentiunt: ſi enim fœminæ ſexus imbecillitate labuntur..., viri certè ſapiunt; ſi pueri, ſi adoleſcentes improvidi ſunt per ætatem, maturi certè ac ſenes habent ſtabile judicium: ſi una Civitas deſipit, ceteræ utique innumerabiles ſtultæ eſſe non poſſunt: ſi una Provincia, una Natio providentiâ caret, ceteras omnes habere intelligentiam recti, neceſſe eſt. Cùm ergo ab ortu Solis uſque ad occaſum Lex divina ſuſcepta ſit, & omnis ſexus, omnis ætas, & gens, & regio unitis ac paribus animis Deo ſerviant: eadem ſit ubique patientia, idem contemtus mortis; intelligere debuerant, aliquid in ea re eſſe rationis, quod non ſine cauſa uſque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac ſoliditatis, quod eam Religionem, non tantum injuriis ac vexatione non ſolvat, ſed augeat ſemper, & faciat firmiorem.* Ita ratiocinatur Lactantius.

XLIV. Adeò potens eſt hoc ratiocinium, ut eo permotus JuſtinusMartyr ex Ethnico Philoſopho factus ſit Chriſtianus; ita enim ipſe loquitur Apologia 1. pro Chriſtianis non longe a fine: *Nam & ego Platonis diſciplinæ ſectator, cum calumnioſè audirem Chriſtianos deferri, intrepidè autem ad mortem, & alia, quæ terribilia eſſe cenſentur omnia, adire conſpicerem: ſtatui ipſe mecum, fieri haudquaquam poſſe, ut illi in vitiorum pravitate, & voluptatum amore viverent. Quis enim voluptatis conſectator, aut per animi impotentiam intemperans, & humanarum carnium dapes pro bono ducens, mortem libenter complecti queat, ut bonis ſuis ſe ipſum privet; ac non potiùs modis omnibus, ut hanc ſibi continentèr vitam agere, & celando, Principes & Magiſtratus fallere liceat, operam navet, ne dum per denunciationem, & judicium ſe ipſum cædi offerat?*

XLV. Verùm non ſolùm teſtimonio Chriſtianorum, qui pro fide vitam dederunt, probatur veritas religionis Chriſtianæ, ſed & ipſorum Infidelium mirabili converſione, qui repentè amplexi ſunt eam fidem, pro qua videbant, Chriſtianos tam dira pati, & pro ea ſtrenuè occubuerunt. Quis enim, niſi Deus omnipotens, potuit ſubitò cor infidelium ita mutare, ut eam fidem profiterentur, pro qua videbant homines igne torreri, liquefacto plumbo aduri, uncis ferreis dilaniari, ad aliaque diriſſima ſubeunda compelli? Et tamen ſimilia leguntur in Actis Martyrum.. Romanus miles videns Angelum abſtergentem ſudorem B. Laurentii in craticula poſiti, repentè converſus, ac publicè pe-

petens baptiſmum, capite plexus conſummavit martyrium, ut ex Beda, Uſuardo, Adone Amalario, Gregorio in ſacramentario, & aliis. Talis fuit converſio S.Gineſii, de quo Martyrolog. 25. Auguſti; S. Ardelionis, de quo idem 14. Aprilis; S. Porphyrii, de quo 25. Septembris, qui omnes Mimi, dum publicè Chriſtianorum ritibus illuderent, ſubitò Chriſtianos ſe eſſe proteſtati, mox etiam percuſſi vita mortali cecidere evolantes ad æternam. Idem Claudio Tribuno contigit, qui cum adeſſet martyrio SS. Chryſanthi, & Dariæ, eos una cum 70. militibus torquens, eorum animadvertens in tormentis lætitiam, ipſe cum 70. illis militibus adhæſit Chriſto, & pro Chriſto omnes martyres facti fuere, ut refert Surius tom.5., & Martyrolog. ad diem 3. Decembris ex Beda, Uſuardo, Adone. Idem de octo crudeliſſimis militibus, qui Sanctam Martinam torquebant, refert Surius tom.1. Idem de Anaſtaſio Corniculario Martyrolog. 20. Auguſti; & die 20. Septembris idem narrat de Evilaſio Idolorum Sacerdote, qui S. Fauſtæ Virginis conſtantiâ permotus, in Chriſtum credens, cum eadem Sancta Virgine coronatus fuit. Paulum denique martyrio ſuo 35. milites ad fidem traxiſſe refert Baron. ad ann. 69., & Chryſoſtomum laudat. Cur ergò tormenta Chriſtianorum, quæ vel audita omnes à Chriſtiana fide deterrere debuerant, ad eam amplectendam non audita, ſed viſa, alliciebant vel ipſos Paganos, vel ipſos Milites, ac Carnifices? Non aliâ certè causâ, *niſi quia cum viderent dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam, exiſtimarunt, id quod res eſt, nec conſenſum tam multorum, nec perſeverantiam morientium, vanam eſſe, nec ipſam patientiam ſine Deo cruciatus tantos poſſe ſuperare*. Ita Lactantius lib.5. Inſtit. cap.13. citato, & rationem dat, quia *Latrones, & robuſti corporis viri ejuſmodi lacerationes perferre nequeunt, exclamant, & gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deeſt illis inſpirata patientia. Noſtri autem (ut de viris taceam) pueri, & mulierculæ tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt*. &c. Ne autem Pagani opponerent, etiam aliquos Paganorum vitam dediſſe; Reſpondendum eſt, benè dixiſſe *aliquos*, quia ii numero pauciſſimi fuere, qui ob Religionem vitam profuderint; at ex Chriſtianis, ut vidimus, tanto in numero fuere ex omni ſexu, ætate, natione, ut patientia Martyrum defatigaret ſævitiam carnificum; quare concludit Lactantius: *Ecce ſexus infirmus, & fragilis ætas dilacerari ſe toto corpore, utrique perpetitur, non neceſſitate; quia licet vitare, ſi vellent; ſed voluntate, quia confidunt Deo*.

§. VIII.

§. VIII.

Quia ſtabilis, ac permanens.

XLVI. PAganorum multi, neſcio quo Oraculo decepti, exiſtimarunt, religionem Chriſtianam ab ejus promulgatione 365. annis, & non ultra duraturam, quos meritò deridet Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 54., qui videns poſt 365. annos elapſos fuiſſe alios fermè triginta, tempore quo ſcribebat, & religionem Chriſtianam, nedum non fuiſſe paſſam deliquium, ſed eo magis vigere, ac dilatari, Paganos ita ad hominem perſtringit: *Mortuus eſt ergò Chriſtus duobus Geminis Conſulibus* 8. *Kalendas Aprilis* (quibus verbis indicat ſe fuiſſe in opinione, Chriſtum paſſum 25. Martii, quod confirmat lib. 83. quæſt. 56., & lib. 4. de Trinit. cap. 5., & cùm eo Chryſoſtomus ſerm. de Nativit. S. Jo: Bapt., Greg. Turon. lib. 10. cap. ultimo, Beda lib. de ratione temporum cap. 47., quamvis alii Patres aliter ſentiant) *Reſurrexit tertia die, ſicut Apoſtoli ſuis etiam ſenſibus probaverunt. Deinde poſt* 40. *dies adſcendit in cœlum: poſt decem dies, i. quinquageſimo poſt ſuam Reſurrectionem die, miſit Spiritum Sanctum. Tunc tria millia hominum Apoſtolis eum prædicantibus crediderunt. Tunc itaque nominis illius cultus exortus eſt, ſicut nos credimus, & veritas habet, efficaciâ Spiritus Sancti; ſicut autem finxit vanitas impia, vel putavit, magicis artibus Petri, paulò poſt etiam ſigno mirabili facto, quando ad verbum ipſius Petri quidam mendicus ab utero matris ita claudus, ut ab aliis portaretur, & ad portam Templi, ubi ſtipem peteret, poneretur, in nomine Jeſu Chriſti ſalvus exſilivit, quinque millia hominum crediderunt, ac deinde aliis, atque aliis acceſſibus credentium crevit Eccleſia.*

Ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipſe ſumſit initium, ſcilicet quando miſſus eſt Spiritus Sanctus, ideſt per Idus Majas. Numeratis proinde Conſulibus trecenti ſexaginta quinque anni reperiuntur impleti per eaſdem Idus conſulatu Honorii, & Eutychiani. Porrò ſequente anno conſule Manlio Theodoro, quando jam ſecundum illud oraculum Dæmonum, aut figmentum hominum, nulla eſſe debuit Religio Chriſtiana, quid per alias terrarum partes forſitan factum ſit, non fuit neceſſe perquirere. Interim quod ſcimus, in Civitate notiſſima, & eminentiſſima Carthagine Africæ, Gaudentius, & Jovius Comites Imperatoris Honorii 14. *Kalend. Aprilis falſorum Deorum Templa everterunt, & ſimulacra fregerunt.*

Ex quo uſque ad hoc tempus per triginta fermè annos quis non vi-

videat, quantum creverit cultus nominis Chriſti, præſertim poſtea quam multi eorum Chriſtiani facti ſunt, qui tanquam vera illa divinatione revocabantur à fide, eamque completo eodem annorum numero inanem ridendamque viderunt? Hæc Auguſtinus, à cujus tempore quis non videt, quam altas radices ubique terrarum jecerit Chriſtiana religio?

XLVII. Stabilitatem ac permanentiam Chriſti Religio fundat in verbis Chriſti Matth. 16. 18. *Ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Promiſit ergò, & implevit; ſuæ enim Eccleſiæ ædificium, quamvis perſecutionibus undique impetitum, ſemper firmius, ac ſolidius evaſit, atqui hoc Chriſtus nec affirmare, & multo minus adimplere potuiſſet, niſi eſſet tum ſummè verax, tum & omnipotens; ergò Eccleſiæ ſtabilitas invictè probat divinam Chriſti potentiam: quod eo vel maximè comprobat exitus Idololatriæ; hæc enim cum ſuos conatus duplicaſſet, in ſuumque auxilium omnes Reges terræ advocaſſet, ut Chriſti ædificium recenter extructum dirueret, non ſolùm id ei male ceſſit, ſed quæ iſtud evertere cogitabat, ipſa funditùs eſt everſa, & ubi olim Idola principabantur modo imperat Chriſtus.

XLVIII. Hoc præclaro teſtimonio utitur Chryſoſtomus Demonſtrat. citata: Quod Chriſtus ſit Deus: *Super petram hanc* (inquit) *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Examina quid hoc ſibi verbum vult, & videbis perſpicuam ejus veritatem. Nam non ſolùm hoc mirum eſt, quod ædificavit eam per totum mundum, ſed quia fecit & invictam, licèt tot bella inſurgant ..... nec ideo quia paucis dicitur ædificabo Eccleſiam, tranſcurras obiter, ſed conſidera, & cogita tecum, quid ſit in tam brevi tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis impleri* &c. Inde enumeratis iis, quæ obſtiterunt, quæque virtute Chriſti ſuperata ſunt: & Apoſtoli Eccleſiam ædificaverunt: proſequitur: *Quo enim modo ille dixit: fiat cœlum, & monſtravit opus ..... Et verbum hoc ædificabo Eccleſiam, hæc omnia operatum eſt*. Et infra: *Numera, quot Tyranni ab illo tempore adverſus eam inſtruxerunt acies, quot graviſſimas perſecutiones moverunt, quomodo toto priore tempore, quando novitia erat fides, & nuper plantata, teneræque omnium mentes, gentiles regnabant ..... Verumtamen inſidiæ, & machinationes illæ omnes leviùs, quàm araneorum telæ diſcerptæ ſunt. Et ea, quibus nos invadebant, & quibus inſidiabantur, citiùs fumo diſſoluta, pulvere præterierunt, infirmiora; magnum enim nobis numerum Martyrum implerunt, immortaleſque illos Eccleſiæ theſauros reliquerunt, & columnas, &* tur-

turres, & eos, qui non ſolum viventes, ſed & mortui poſteris magnæ utilitatis materia facti ſunt. Vides prædictionis robur: Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam?

Ab his & de futuris crede, quod nullus obſiſtet. Si enim, cum ex parvis conſtaret, & novæ ſectæ opus eſſe videretur, novaque haberetur doctrina, ac tot bella, tot pugnæ ubique committerentur, non prævaluerunt, neque obſtiterunt; multò magis, cum univerſum orbem, & omnem locum, & montes, & colles, & valles, & terram, & mare, & gentes omnes, quæ ſub cœlo ſunt, comprehenderit. Parum eſt, quidquid reliquum eſt impietatis, præſertim ſublatis Templis, altaribus, idolis, omnibuſque feſtis, & ſacrificiis, & fumo, & nidore, & prophanis conventibus. Quo pacto ergò tale atque tantum negotium, tot munitum obſtaculis, finem habere potuiſſet, tam clarum veritati exitum teſtificantem; niſi divina quædam, & invicta virtus fuiſſet, quæ & hæc prædixiſſet, & perfeciſſet? Nullus utique his contradixerit, niſi quis valde inſanus, & totus ſtupidus ſit, naturæque ſenſu privatus. Hæc Chryſoſt.; cujus verba ſequentia, veritatem hanc mirabiliter confirmantia, non tranſcribo, ne faſtidium pariam: legere tamen ſtudioſum non pigeat.

TRACTATUS

De Auctoritate Librorum Religionis Chriſtianæ.

LIBRI, in quibus doctrina Religionis Chriſtianæ continetur, alii ſunt Veteris Fœderis, quibus tota Religio Chriſtiana figurata, & adumbrata conſpicitur, ſuntque ſummæ ac divinæ auctoritatis etiam apud Hebræos: alii vocantur, & ſunt Novi Fœderis, in quibus tota doctrina Chriſti, ut de facto impleta, & promulgata legitur, quibus ſoli Chriſtiani utuntur ad ſua dogmata confirmanda. De libris Novi fœderis, ut proximiùs ad religionem Chriſtianam pertinentibus, primò agere intendimus. Etſi autem probata religionis Chriſtianæ veritate, probatum quoque maneat, libros, ex quibus depromta eſt ejus doctrina, eſſe indubiæ, ac divinæ auctoritatis; ita ut ei, qui de ejus auctoritate convictus eſt, nullum poſſit ſubeſſe dubium de auctoritate Librorum, in quibus ejus doctrinam legit præſcriptam; attamen, ut ſciamus, quinam ſint illi, ex quibus Chriſtiana religio ſuas veritates promit, & quos, ut Regulam ſumit; inſuper illi, quos ut Apocryphos rejicit; in hoc immorari, operæ pretium exiſtimo; Et primò eos, qui ſunt Novi fœderis, deindè eos, qui ſunt Veteris, oſtendendo.

* * * *
*
* *
*

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De Evangeliis.

§. I.

Quædam notantur.

I. EX libris Novi fœderis quidam ſunt, de quibus nulle unquam tempore à Chriſtianis dubitatum eſt, dicti propterea *Proto-Canonici*, ſeu primo regulares, quia tanquam Regula primitùs habiti ſunt. Alii, de quibus à principio apud aliquos dubitatum eſt, vocati *Deutero-Canonici*, ſeu ſecundo-regulares, quia etſi non primitùs, tamen ſecundo, i. procedente tempore, tanquam regula Chriſtianæ religionis habiti, & acceptati univerſim ſunt.

II. Et primum quidem ſi contentioſus negaret, libris Novi fœderis contineri religionem Chriſtianam, poſſet facilè convinci; primò teſtimonio omnium Chriſtianorum, qui ita ſemper aſſeruerunt: ſicut teſtimonio Mahumetanorum firmè credimus, doctrinam Mahumetis contineri in Alcorano. Secundo provocando ipſum ad conferendam doctrinam dictorum librorum cum iis, quæ docent, & faciunt Chriſtiani; ſi enim viderit, ea, quæ docent, & faciunt Chriſtiani ex ſuæ legis præſcripto, eſſe eadem, ac ea, quæ in dictis libris facienda, & docenda præſcribuntur, quis niſi ratione captus poterit inficiari, iis contineri Chriſtianam doctrinam: niſi fortè eſſet, qualis ille, qui videns nivem albam contendere pergebat, eam eſſe nigram? Tertiò tandem, & breviori via illi proponenda eſſet uſitata apud omnes æquos Judices regula, ut qui impugnare velit ſcriptum aliquod multis ſeculis receptum, ei incumbat onus adferendi argumenta Scripto derogantia fidem, ut Baldus rubrica de fide inſtrumentorum, & Gailius lib.2. obſervat. 149. Num.6. & 7., alios proferens.

III. Suppoſito ergò, quod aſſerat quidem eos eſſe libros Chriſtianorum, iiſque Chriſtianam doctrinam comprehendi, neget tamen eſſe illorum, quorum nomina præferunt, loquendo de libris Proto-canonicis, debet evinci ſic. Negari rationabiliter non poteſt, librum eſſe auctoris, cujus nomen præfert, quando non ſolùm primi, apud quos Archetypa facilè fuerunt, eſſe id revera illius fœtum, teſtati ſunt; ſed etiam illi, qui doctrinam

illius libri impugnarunt; auctorem tamen libri eſſe eum, qui præfertur, negare, auſi non ſunt: atqui ita eſt in caſu. Primi enim Chriſtianorum Patres Juſtinus, Irenæus, Clemens, ac deinceps alii ſub his ipſis nominibus eos libros laudant, ut eorum opera percurrenti videre eſt: cui accedit, quod Tertullianus de præſcriptionibus adverſus hæreticos aliquot ſacrorum librorum Archetypa etiam ſuo tempore extitiſſe, ait hiſce verbis: *Age jam, qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur*. Et S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Matthæo ait: *Porrò ipſum Hebraicum* (Matthæi Evangelium) *habetur uſque hodiè in Cæſarienſi Bibliotheca, quam Pamphilus martyr ſtudioſiſſimè confecit*. Et ſanè quidni ipſa eadem ſcripta manu Apoſtolorum tunc extiterint, cum Quintilianus dicat, ſuo tempore extitiſſe ſcripta manu Ciceronis, & A. Gellius Higini tempore, & fortè etiam ſuo, extitiſſe ſcripta manu propria Virgilii? Vide lib. 1. Noct. Act. cap. 21.

IV. Neque aut Pagani, aut Judæi unquam controverſiam moverunt, quaſi eorum non eſſent opera, quorum dicebantur; imo Julianus Chriſtianorum librorum inimicus apertè etiam fatetur, Petri, Pauli, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis eſſe ea, quæ Chriſtiani legunt iiſdem nominibus inſcripta, apud D. Cyrillum lib. 10. in initio, ubi refellens tanquam rem novam doctrinam de Chriſti divinitate, impiè iſthæc effutiit: *Jeſum quippè illum neque Paulus Deum dicere auſus eſt, neque Matthæus, neque Lucas, neque Marcus, ſed bonus ille Joannes, quùm ſenſiſſet magnam multitudinem in pleriſque urbibus Græcis, & Italicis jam tum eo morbo captam eſſe, audiretque, opinor, monumenta quoque Petri, & Pauli, clam quidem, ſed tamen audiret ea coli, primum id prodere auſus eſt*. Quid plura? Virgilii, aut Homeri eſſe, quæ eorum dicuntur, nemo ſanus dubitat, ob perpetuum de illo Latinorum, de iſto Græcorum teſtimonium: quantò magis de horum librorum Auctoribus ſtandum eſt teſtimonio omnium, quotquot per orbem ſunt, gentium; maximè quod omnes Eccleſiæ illos libros, tanquam tales, antequam Concilia, ſeu Conventus ulli communes habiti eſſent, receperunt.

* * *

§. II.

§. II.

Evangelium Matthæi eſt Matthæi & Hebraicè ſcriptum.

V. QUod ſi reſtringamur ad ſola quatuor Evangelia; ea eſſe revera eorum, quorum geſtant nomina, facilè ſuadetur. Evangelium enim, quod Matthæi nuncupatur, eſſe Matthæi Apoſtoli, teſtes ſunt primò Papias Joannis Apoſtoli diſcipulus, qui apud Euſeb. Hiſtor. lib.3. cap.39. *Matthæus quidem* (inquit) *Hebraico ſermone divina ſcripſit Oracula, interpretatus eſt autem unuſquiſque illa, prout potuit*. Secundò Irenæus; tum apud Euſeb. lib.5.c.8. ibi *Matthæus apud Hebræos propria eorum lingua conſcriptum Evangelium edidit*: tum in propriis Irenæi libris l.3. c.1. ibi: *Matthæus in Hebræis ipſorum linguâ Scripturam edidit Evangelii*: Imo eodem lib.3. cap.11. refert etiam, Hæreticos Ebionitas illud ut fœtum Matthæi recognoviſſe, eoque ſolo uſos; non tamen integro, ut notat Epiphanius hæreſ. 30. §.13.; ſed duobus prioribus Capitulis mutilo, aliiſque locis depravato. Hebraicum autem vocabant, quia Hebraico, ſeu potiùs Syro-Chaldaico idiomate ſcriptum erat: quare Evangelium Matthæi vocabatur *ſecundum Hebræos*.

VI. Irenæo ſubjungit Euſebius lib 5. Hiſt. cap.10., quod antiquâ famâ ferebatur de quodam Pantæno temporibus Commodi Imperatoris, *qui ad Indos uſque penetraſſe dicitur, ibique Evangelium Matthæi, quod adventum ipſius jam prævenerat, apud quoſdam Chriſti notitia imbutos reperiſſe. Quibus ſcilicet Bartholomæus, unus ex duodecim Apoſtolis, olim, ut fama eſt, prædicaverat, & Evangelium Matthæi Hebraicis conſcriptum litteris reliquerat: quod quidem ad prædicta uſque tempora ſervatum eſſe, memoratur*. Similia ſcripſerat Origenes lib.1. explicationum in Evang. Matthæi, ubi hæc ſcripta legebantur referente Euſebio lib.6. Hiſt. cap.25. *Sicut ex Traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ ſola in univerſa Dei Eccleſia, quæ ſub cœlo eſt, citra controverſiam admittuntur. Primum ſcilicet Evangelium ſcriptum eſſe à Matthæo, prius quidem Publicano, poſtea verò Apoſtolo Jeſu Chriſti, qui illud Hebraico ſermone conſcriptum Judæis ad fidem converſis prædicavit*.

VII. His Euſebius ipſe ſubſcribit lib.3. cap.4., ubi de ordine, & Auctoribus Evangeliorum narrat. *Matthæus cùm Hebræis primùm fidem prædicaſſet, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium ſuum patrio ſermone conſcribens, id quod præſentiæ ſuæ adhuc ſupereſſe videbatur, ſcripto illis, quos relinquebat, ſupplevit.*

Adhæ-

Adhæret S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Matthæum verbis ſupra relatis: *Matthæus, qui & Levi, ex Publicano Apoſtolus, primùm in Judæa propter eos, qui ex Circumciſione crediderant, Evangelium Chriſti Hebraicis litteris verbiſque compoſuit. Quod quis poſtea in Græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt. Porrò ipſum Hebraicum habetur uſque hodie in Cæſarienſi Bibliotheca &c.* Succedit S. Joannes Chryſoſtomus homil. 1. in Matth. dicens: *Matthæus accedentibus his, qui ex Judæis Chriſto crediderant, & rogantibus, ut qui verbis docuiſſet, hæc eis in litteris ſervanda dimitteret, Hebræo dicitur Evangelium ſcripſiſſe ſermone.* Teſtium omnium agmen claudat S. Auguſtinus qui lib.1. de conſenſu Evang. cap. 2. ait: *Horum ſanè quatuor* (Evangeliſtarum) *ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio;* quod repetit lib.2. ibi cap.56.

VIII. Ex his hactenus deductis habentur conſtanti apud veteres Traditione duo. Primum, Evangelium, quod fertur nomine Matthæi, eſſe revera à Matthæo conſcriptum. Secundum, fuiſſe à Matthæo primitus conſcriptum Hebraico ſermone. Attamen Clericus celebris inter recentiores Proteſtantes, & ante ipſum Calvinus Harmon. Evang. ad cap.2. Matth. in calce ſuæ Harmoniæ Evangelicæ, primum quidem admittit, de ſecundo primò dubitat, tandem tanquam Apocryphum rejicit. Dicit ergò primo, Veteres delapſos in traditionem hanc de Evangelio Matthæi hebraicè ſcripto, nixos auctoritate ſolius Papiæ, qui primus id affirmavit; norunt autem omnes, quàm exigui ponderis ſit Papiæ teſtimonium, ſi ſolum ſit; utpote qui multas falſas Traditiones ut ab Apoſtolis acceptas venditarit, & illam præcipuè de Regno millenario Chriſti. Secundò dicit, alteram cauſam, cur Veteres in hanc ſententiam prolapſi ſint, fuiſſe, quod Nazaræi dictitarent,ſe habere authenticum exemplar Matthæi, nec abſimile vero videretur, Apoſtolum inter Judæos præſertim verſatum Judaica lingua ſcripſiſſe. Atqui tam facile fuit creditu, Græcum exemplar à Nazaræis in Hebraicam linguam translatum, quàm à Chriſtianis ex Hebraica in Græcam. Ita Clericus; addens, Hieronymum huic opinioni adhærendo non ſuo judicio eſſe uſum, nec rem maturè expendiſſe, ſed ex aliena, & vulgi ſententia locutum: quare in tertio libro contra Pelagianos, non procul ab initio, ſuſpenſo ſtylo loquitur. Tertió quia in verbis ipſis Papiæ improprietas loquendi apparet, dicit enim: *Illa quiſque, ut potuit, interpretatus eſt.* Debuiſſet enim dicere *illa quiſque, qui Hebraicè norat* &c. Deinde hoc indicat, multas ex Hebraico factas fuiſſe translationes,quarum certè me-

mo-

moria aliqua apud veteres extitiſſet; cum tamen ſolius tranſlationis in Græcum, ex qua ſumta eſt Vulgata noſtra, memoria ſit. Hæc & alia Clericus pro Novatorum indole, ac genio omnia ſus deque pro arbitrio volventium.

IX. Quare parcite, quæſo, ſi aliquantulum immorer in examinandis a Clerico ſupra allatis momentis. Dicit primò, Veteres in eam opinionem prolapſos, unius Papiæ fabularùm venditoris auctoritate motos. Quaſi verò veteres omnes Græci, & Latini pecudum more, & non perpenſis primò, quæ Clericus excogitavit, momentis, in unius viri ſententiam contra veritatem conſpirarint; & plus viderit ſolus Clericus 17. ſeculis remotus, quam Patres temporibus illis vicini, doctrina celebres, & in evolvendis rebus accuratiſſimi. Papias auctor fuit Regni millenarii, & Chiliaſtarum parens. Fateor. At licèt ex veteribus aliqui ei in hoc etiam adhæſerint; alii tamen de hoc dubitarunt, alii ut fabuloſum exploſerunt. Si ergo fabuloſum etiam fuit, Matthæum hebraicè ſuum Evangelium ſcripſiſſe, cur Patres, qui prioribus ſucceſſere, id non reprehenderunt? Non valet, mi Clerice: Papias in multis fabuloſus fuit: ergo in omnibus. Euſebius, inquis, Papiam ut auctorem ſuſpectum prodit lib. 3. c. 39. In aliquibus credam, at non in hebraica conſcriptione Matthæi, aliàs ſi in hoc falſum Papiam Euſebius deprehendiſſet, cur & ipſe vulgarem opinionem ſecutus, l. 3. hiſt. c. 24. ſupra laudato, Evangelium a Matthæo hebraieè conſcriptum affatur? Rurſùs ſicut Papias primus auctor fuit conſcriptionis hebraicæ Evangelii Matthæi, ita primus auctor fuit conſcriptionis Evangelii a Matthæo. Si ergò fabulam vendidit, quando prodidit Evangelium hebraicè conſcriptum; vellem ſcire, cur non vendidit Euſebius fabulas, quando ait, ejus auctorem fuiſſe Matthæum: & quare Clericus dicat, ſe ex Papia hoc certum colligere, fuiſſe eo ævo Evangelium Matthæi, nec quemquam dubitaſſe, an ejus eſſet; quæ verò de hebraica ſcriptione habet, ſe non facile admittere: cum de neutro æqualiter quiſquam veterum dubitarit?

X. Dicit ſecundò Clericus, Nazaræorum dictum, ſe habere authenticum exemplar Matthæi, non tanti eſſe roboris, ut ſibi faciat fidem. At quare? Quia æquè credibile eſt, a Nazaræis Evangelium græcè conſcriptum, translatum ab ipſis in hebraicum; ac ſit credibile, Evangelium hebraicè conſcriptum translatum poſtea in græcum. Sed non adtendit Clericus, quando Matthæus, quibus in circumſtantiis, & quibus ſcripſerit Evangelium. Si fidem habemus Veteribus ſupra allatis, unanimi conſenſu dicunt, Matthæum genere Hebræum prædicaſſe Hebræis,

bræis, inde ab eis diſceſſurum in gratiam eorum, ut ſuppleret ſcripto, quod ipſis defuturum erat voce, eis reliquiſſe Evangelium. Dicat, oro, Clericus, credibile ne eſt, Prædicatorem Hebræum, concionantem Hebræis, & diſceſſurum ab eis, conſcripſiſſe eis Evangelium, quod prædicaverat, græcè potiùs, quam hebraicè? Sane ſi audirem Italum Concionatorem, poſt Italis prædicationem diſceſſurum ad Gallos, in gratiam Italorum conſcripſiſſe conciones, eiſque eas reliquiſſe; etſi nullus mihi diceret, ſtatim conciperem, eas italicè, & non gallicè conſcripſiſſe; et ſi quæ earumdem concionum gallica exemplaria viderem, confeſtim dicerem, ea non eſſe autographa Concionatoris, ſed translationes. Cur ergo Nazaræis dicentibus ſe habere autographum Matthæi, qui Hebræis, & in eorum gratiam ſcripſit, Clericus refugit credere, dicens, æquè credibile ſibi, græcum exemplar à Nazaræis in hebraicam linguam translatum, quam a Chriſtianis ex Hebraica in Græcam? Fortè negabit Clericus, Matthæum fuiſſe genere Judæum, prædicaſſe Judæis, & in eorum gratiam Evangelium ſcripſiſſe, eiſque reliquiſſe? At neget etiam Homerum græcè, & Tullium latinè ſcripſiſſe: imò totam Traditionem, ac Hiſtoriam neget. Tunc ei incumbet probare, & monumenta ſuæ negationis proferre; quod ſi non fecerit, audiendus non erit. Dicet fortè aliquis, tunc temporis linguam Hebraicam non fuiſſe uſitatam, ſed potius Judæos uſos lingua græca. At reſpondeo, hoc revinci aperto Joſeph teſtimonio, qui in præfatione lib. antiquitatum proteſtatur, ſe ſcribere græcè, quia Græcis ſcribit: quod non dixiſſet, ſi lingua Hebræis uſitata eſſet græca non hebraica. Sed litem omnem dirimit Paulus act. c.21 v.40., & c. 22. v.2. volens enim alloqui Hieroſolymitanos Judæos lingua omnibus nota, hebraicè illos allocutus eſt: ſignum ergo eſt, linguam vulgarem omnibus notam fuiſſe hebraicam, ſeu potiùs Syriacam, vel Syro-Chaldaicam, in qua ſcriptum fuiſſe Matthæi Evangelium, ſcribit Hieronymus. At Hieronymus, inquit, cum de Evangelio hebraico Nazaræorum loquitur, non ex ſua, ſed aliena ſententia fatur. Peto a Clerico; cùm Hieronymus loco citato tria dicat; primùm quod Matthæus, qui in Judæa primus prædicavit propter eos, qui ex Circumciſione crediderant, Evangelium hebraicis litteris verbiſque compoſuit; ſecundum, ipſum hebraicum haberi etiam ſuo tempore in Cæſarienſi Bibliotheca: tertium, a Nazaræis, qui dicto volumine utuntur, ſibi facultatem datam illud deſcribendi: Vel omnia hæc ex aliena, & non ſua ſententia protulit, vel aliqua tantum? Si omnia, cum non appareat in verbis Hie-

Hieronymi apex ullus indicans, eum non ſuo judicio loqui, prodat Clericus, quo fundamento id aſſerat, aliàs ita poſſet quis omnia dicta Patrum hoc effugio eludere. Si ſolùm aliqua, & præſertim illud apud Nazaræos extare autographum hebraicum Matthæi; Ergo ſaltem mihi concedat duo priora dicta, ut verè Hieronymi, nimirùm Matthæum hebraicis verbis ſcripſiſſe, & ejus autographum in Bibliotheca Cæſarienſi tunc extitiſſe, quicquid ſit, an apud Nazaræos extiterit, quod ad rem ſat eſſet. Verùm nec id quoque dabo, niſi prius mihi oſtendatur in verbis Hieronymi duo priora dicta fuiſſe ex ejus ſententia, hoc autem poſtremum ex aliena. Dicet, hoc indicari a Hieronymo 3. libro contra Pelagianos: *In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem Syroque ſermone, ſed hebraicis litteris ſcriptum eſt, quo utuntur uſque hodie Nazareni, ſecundum Apoſtolos, ſeu, ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæſarienſi habetur Bibliotheca, narrat hiſtoria &c.* Reſpondeo. Dicit tamen Hieronymus, Evangelium Nazaræorum, *ut plerique autumant*, eſſe ſecundum Matthæum: ergò ita ferebat tunc communis ſententia. Secundo dato, aliquos dubitaſſe, an Evangelium Nazaræorum eſſet ipſum Matthæi autographum; non dubitarunt certè primigenium Matthæi exemplar fuiſſe hebraicè editum, & non græcè; ſupra hoc enim, ſi diligens lector obſervet, non cadunt illa verba, *ut plerique autumant*, nam ſi hæc verba dubiam reddunt totam ſententiam, dubium etiam reddent, Evangelium, quod nomine Matthæi circumfertur, eſſe revera Matthæi potiùs, quam aliorum Apoſtolorum.

XI. Quod ſi velit Clericus, audire Hieronymum ex propria ſententia loquentem, adeat ipſum in cap. 11. Oſeæ, ubi poſtquam ait, Matthæum verba illa Oſeæ accepiſſe non ſecundum 70. Interpretum verſionem, dicendo: *Ex Ægypto vocavi filios ſuos*; ſed potiùs ſecundum Hebraicam veritatem, nimirum: *Ex Ægypto vocavi filium meum*: & ea interpretatus ſit de Domino Salvatore, quando ex Ægypto reductus eſt in terram Iſrael: ut reſpondeat Juliano Auguſto calumnianti Chriſtianos, & dicenti, quod de Iſrael ſcriptum eſt, Matthæum Evangeliſtam ad Chriſtum tranſtuliſſe, ut ſimplicitati eorum, qui de gentibus crediderant, illuderet, ait Hieronymus: *Cui nos breviter reſpondebimus. Primùm Matthæum Evangelium Hebræis litteris edidiſſe; quod non poterant legere, niſi hi, qui ex Hebræis erant: ergò non propterea fecit, ut illuderet Ethnicis.* Si autem ita non ſenſiſſet, & ſi hoc ſuo tempore certum non fuiſſet, hoc reſponſo non occurriſſet Juliano Hieronymus.

XII. Dicit tertiò Clericus, Papiam impropriè locutum. At hic de locutionis modo non diſceptamus, ſed de rei veritate. Impropriam locutionem Grammaticis caſtigandam relinquimus. Mirum tamen, hunc locutionis modum Veteres non obſervaſſe, neque ipſum Euſebium, qui tamen non ob id Papiæ teſtimonium exploſit, ſed ei adhæſit cum ceteris. Ego tamen dicerem, Papiam dixiſſe: Evangelium Matthæi *quiſque ut potuit interpretatus eſt*, quia in illis primordiis, quibus ardens deſiderium erat Evangelium ſciendi, cum illud eſſet primum ſcriptum in tali re (nam Matthæus primus omnium Evangelium ſuum conſcripſit, ut fatentur omnes) quemquam ſtudio abreptum illud exemplar in manus ſumſiſſe, i. peritos, & imperitos, *ut potuit*, non benè callentes verborum vim (cum eſſet ſcriptum, ut ait Hieronymus, Hebraicis litteris ac verbis, quorum poſt Chaldaicam captivitatem non apud omnes erat uſus & cognitio) privato ſtudio interpretatos fuiſſe: quarum Traditionum propterea memoria apud veteres ſervata non fuit; niſi tantum Ebionitarum, & Nazaræorum, quia hæ publicæ erant: quibus, obſervant eruditi, aliquas permixtas fuiſſe fabulas, interpolationes, ac mutilationes. Hæ tamen traductiones, ſeu verſiones non erant, ſed tranſcriptiones potiùs in eodem idiomate cum additionibus, vel mutilationibus ſtudio partium intermixtis (quod non negarim) donec, neſcio quo Auctore, antiquiſſimo tamen, ex codice ſincero Hebraico Matthæi Græca verſio facta, ac publicè Eccleſiæ data fuit.

XIII. Suffragatur communi ſententiæ Hugo Grotius inter Proteſtantes vir egregius æquè, ac diſcretus præfat. ad Matth. pag.4. Dicit enim, Matthæum in Palæſtina regione manſiſſe annos aliquammultos poſt Chriſti converſationem in carne (octo nimirùm ut aliqui ex Græcis) magno antiquorum conſenſu traditur. Quare par eſt credi, ſcriptam ab eo Evangelicam hiſtoriam eo ſermone, qui in ea regione frequentabatur, nam quod quidam magno conatu probatum eunt, græcum id, quod habemus, eſſe ipſius Matthæi primitivum, in eo nullis juſtis de cauſis maximam piæ antiquitatis conſenſionem repudiant. Nam Papias, Irenæus, Origenes, atque alii, quibus ejus rei veritatem, quàm nobis, exquirere promtius fuit, pro comperto tradiderunt, ſcripſiſſe Matthæum hebraicè. Addit ex Pantæno Euſebius, id ipſum Evangelium hebraicis litteris ſcriptum apud Indos ſervatum fuiſſe, quibus tradiderat Bartholomæus. Neque unquam ea de re dubitaſſe videtur Hieronymus, quamquam, an illud Hebræum Matthæi eſſet illud ipſum, quo ſuo tempore uteban-

bantur Nazaræi, quodque tum in Bibliotheca Cæſarienſi, tum Berœæ, atque alibi extitiſſe, ſua ætate memorat, in dubio relinquit. Addit Hieronymus 3. contra Pelagium, ſcriptum fuiſſe Chaldaico Syroque ſermone, ſed hebraicis litteris, ubi chaldaicum ſyrumque ſermonem intelligo idioma Hieroſolymitanum, linguam ejus temporis. Quod autem illi adferunt argumentum ex verbis hebraicis; quæ in græco contextu videmus expreſſa, additis interpretationibus; pondus apud me non habet. Solemne enim eſt omnibus Scriptoribus, etiam Interpretibus, vocabula peregrina notabiliora ſervare integra, ſed addito interpretamento: quod aliquoties etiam factum videmus a Senibus ſeptuaginta. Hactenus Grotius, quibus compendio omnia a nobis ſupra dicta clauduntur, & ulterius quæ fieri poſſet objectio prævenitur.

XIV. Loquens autem de Evangelio vetere Nazaræorum, de quo ſupra Hieronymus, proſequitur: Vetus illud Nazaræorum Berœæ habitantium, quod a ſe conſultum, translatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omnino arbitror ex ipſo Matthæi codice fluxiſſe, quod ab illis quidem conſtantiſſimè aſſeveratum fuiſſe, tradit idem Hieronymus. Conſentit inſuper Grotius Epiphanio, Evangelium illud Nazaræorum Berœenſium fuiſſe Matthæi, & quidem pleniſſimum; erant enim genuina progenies eorum, qui primi in Palæſtina Chriſti fidem profeſſi fuerant, id enim nomen primis Chriſti ſequacibus inditum fuiſſe apud Hebræos ex Chriſti ipſius nomine, qui vulgò Nazaræus vocabatur, apparet Actor. 24. 5. planè ſicut illi, qui ex Græcis Chriſtum ſunt amplexi, dicti ſunt Chriſtiani Actor. 11. 26. Adde, quod & Epiphanius teſtatur, hos ipſos Nazaræos fuiſſe propaginem illorum, qui divinitùs admoniti Hieroſolymis Pellam diſceſſerant obſidionis tempore. Cenſet tamen Grotius, quaſdam narrationes á Matthæo non ſcriptas, ſed voce auditas paulatim a Nazaræis Matthæi Evangelio, quod apud ipſos erat, fuiſſe inſertas; unde nata diverſitas inter ipſorum hebraicum Matthæi, & quod nos habemus græcum. Nam hiſtoria de Muliere adultera, quam nos a Joanne proditam habemus, apud ipſos in Evangelio Matthæi legebatur, aliaque in eo congeſta viſebantur, quæ in nullo ex Evangeliis leguntur, quæ ibi enumerat Grotius.

XV. An vero Evangelium Nazaræorum idem fuerit, ac Evangelium Ebionitarum? Videtur Hieronymus, taliter Matthæi Hebraicum exemplar citare, ut id commune videatur facere Nazaræis, & Ebionitis. Judicat tamen Grotius, illis commune fuiſſe Evangelium Matthæi: ſicut olim Catholicis

Digitized by Google

commune fuit Evangelium Lucæ cum Marcione, paucis ſcilicet mutatis, quæ Marcioni diſplicebant. Ita & Ebionitæ utebantur quidem Evangelio Matthæi, quo & Nazaræi, ſed ab eo deleverunt totam Chriſti geneologiam, & quæ ſequuntur uſque ad eum locum, quo Chriſtus baptizatus legitur à Joanne: & hoc fecerunt, utpotè qui Jeſum credi vellent natum ex Joſephi concubitu, & ſolo virtutis merito gratiam unctionis conſecutum. Quod ut præſtarent Nazaræi, nulla cauſa erat; qui à ceteris Chriſtianis in nullo diffidebant ſpectante ad fidem, quamquam ritus Judaicos adhuc obſervarent, Apoſtolis adhuc non prohibentibus: Chriſtum autem eſſe Deum, natum per Spiritum Sanctum ex Maria, eos credidiſſe, probabilius exiſtimat. Tum quia, qui de iis ſcribunt, nihil eis proprium tribuunt, præter rituum Hebraicorum obſervationem. Tum quia Irenæus in recenſione Hæreſeon, & præſertim Ebionitarum, nullam eorum facit mentionem. Tum & maximè, quia Auguſtinus, qui vetuſtiores Eccleſiæ Scriptores conſuluit, diſertè affirmet, confiteri Nazaræos, Chriſtum eſſe Dei filium lib. de hæreſibus c.9. Quare Hebræum illud Evangelium Nazaræorum, ſæpè à Hieronymo laudatum, eſt quidem idem cum Ebionis Evangelio, ſed ut rectè judicavit Gelaſius, ab Ebione maculatum. Ita diſcurrit Grotius.

XVI. Si autem quis inquirat, quando, & à quo Hebraicum Matthæi Evangelium verſum ſit in Græcum?

Dicam, incertiſſimum eſſe, cùm nemo veterum id prodiderit. Grotius in Lucam cap. 1. dicit, credibile eſſe, cum Lucas ſuum ſcripſit Evangelium, Matthæi librum nonniſi Hebraico ſermone extitiſſe. Hoc autem contigit decimo quinto poſt Chriſti adſcenſum anno ſecundum aliquos, vigeſimo ſecundo ſecundum alios. Quando verò, & quis Hebræum Matthæi codicem in Græcum tranſtulerit, non ſatis certum eſt, ait D. Hieronymus lib. de Script. Eccleſ. in Matthæum. Hoc certum eſt, adeo antiquum fuiſſe hunc Interpretem, ut locum dederit aliquibus credendi, Matthæum Græcè ſcripſiſſe, ut hactenùs vidimus: maximè quia authenticum Hebraicum, ſive fuerit illud, quod aſſervabatur in Cæſarienſi Bibliotheca, ſive quod oſtentabant Nazaræi, ut diximus ex Hieronymo, ſive aliud, olim deperditum fuit; fortè quia, cum illud deprehenderent mutilatum, aut depravatum ab Ebionitis, aut antiquioribus aliis Hæreticis, Catholici neglexerunt. Habemus quidem modo Evangelium Matthæi Hebraicum, editum à Tillio, & à Munſtero ſuperiori ſeculo, ſed hoc non eſſe Matthæi, adeo certum eſt, inquit Grotius (præfat. in Matth.) ut nullis indigeat argumentis. Proſtat anti-

ti-

Digitized by Google

tiquum exemplar hujus Evangeliſtæ Syriacum, ſed hoc aliud eſt ab exemplari Hebræo Matthæi: non enim conſtat, verſionem Syriacam, quam nunc habemus, eſſe tantæ antiquitatis; accedit tamen ad Hieroſolymitanam linguam, quæ tempore Matthæi erat in uſu.

§. III.

MARCUS.

XVII. MArci Evangelium eſſe illius auctoris, tradunt iidem fermè auctores, quos ſupra audivimus de Matthæo: Papias apud Euſebium lib. 3. Hiſt. cap. 25., Irenæus apud Euſebium Hiſtor. lib. 5. cap. 8., & in operibus Irenæi lib. 3. cap. 1. cui conſentit Euſebius lib. 2. cap. 15., id confirmans ex Clemente lib 6. cap. 14. Marco autem Evangelium ſuum ſcribendi occaſio hæc fuit, ut narrat Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 14. & 15. Confuſo enim, & dejecto per Petrum Romæ Simone Mago: *Tantus veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent ſemel audiſſe, nec contenti eſſent, cæleſtis verbi doctrinam viva voce nullis traditam ſcriptis accepiſſe: ſed Marcum Petri ſectatorem, cujus hodieque extat Evangelium, enixè rogarent, ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, ſcriptum aliquod monumentum apud ſe relinqueret. Nec priùs deſtiterunt, quàm hominem expugnaſſent, auctoreſque ſcribendi illius, quod ſecundum Marcum dicitur, Evangelii extitiſſent. Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognoviſſet, delectatus ardenti hominum ſtudio, librum illum auctoritate ſua comprobaſſe, dicitur, ut deinceps in Eccleſia legeretur. Refertur id à Clemente in ſexto Inſtitutionum libro. Cui teſtis etiam accedit Papias Hierapolitanus Epiſcopus.* Hæc Euſebius: ex quo hauſiſſe videtur Hieronymus, quæ habet de Marco lib. de Scriptor. Eccleſiaſticis, ubi ait: *Marcus diſcipulus, & interpres Petri juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à Fratribus, breve ſcripſit Evangelium, quod cum Petrus audiſſet, probavit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit, ſicut Clemens in ſexto Hypotypoſeon libro ſcribit.* Hos præceſſerat Irenæus, qui lib. 3. cap. 1. poſtquam ait, à Matthæo ſcriptum Evangelium *eo tempore, quo Petrus & Paulus Romæ evangelizarent, & fundarent Eccleſiam*: ad Marcum veniens ſubdit: *Poſt vero horum exceſſum Marcus diſcipulus & interpres Petri & ipſe, quæ à Petro annunciata erant, ſcripta nobis tradidit*: hocque adeo verum eſt, ut nos doceat Tertullia-

lianus lib. 4. adverſus Marcion. cap. 5., Marci Evangelium à multis vocatum eſſe Petri: *Licet* (inquit) *& Marcus quod edidit* (Evangelium) *Petri affirmatur, cujus interpres Marcus*. Dicendum tamen, revera fuiſſe à Marco ſcriptum, ex doctrina tamen, quam acceperat à Petro, ait enim idem Tertullianus ibid. cap. 2. *Evangelicum Inſtrumentum Apoſtolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum: ſi & Apoſtolicos, non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis, & poſt Apoſtolos, quoniam prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non adſiſtat illi auctoritas magiſtrorum*. Hinc Juſtinus Evangelicæ hiſtoriæ libros ſæpiuſcule appellat *Commentarios Apoſtolorum* (& præſertim Apolog. 2. pag. 98.) i. ex doctrina Apoſtolorum per ſe ipſos, vel per alios conſcripta.

XVIII. Marcum fuiſſe Judæum genere crediderim: quamvis autem Marci nomen Hebræum non ſonet, nil officit; nam Judæi quoties in partes interiores Aſiæ, aut in Europam venirent, ſolebant ſibi ad Judaicum nomen alterum adſciſcere Græcum, aut Romanum, quo apud exteræ gentis homines noſcerentur: Ita Barſabas dictus fuit *Juſtus*, Simeon *Niger*, & Joannes ille, qui Actorum 12. 12. dicitur Mariæ filius, & ibidem v. 25. aſſumtus fuit à Barnaba, & Saulo comes miniſterii, quique Act. 15. 37. frigidiuſculè à Paulo habitus fuit, cognominabatur Marcus. Ita fieri poteſt, ut Marcus Evangelii Scriptor ſuum Hebræum nomen habuerit, quamvis de illo Scriptura non loquatur.

XIX. Hæc dixi, quia aſſentiri non poſſum aliquibus, qui Evangelii ſecundum Marcum auctorem faciunt Joannem Marcum, de quo mox loquebar, qui unus ex 72. Diſcipulis fuiſſe fertur, qui cùm Chriſto fuerant converſati; ab hac enim opinione removet auctoritas Veterum, qui hunc Scriptorem, Joannem nunquam, Marcum ſemper nominant. Adde quod Joannes Marcus, ut dicebam, vel fuit ex Chriſti diſcipulis, vel ſaltem ex primis Chriſtianis; Marcus verò Evangeliſta Petri operâ converſus fuit; eum enim Petrus 1. epiſt. 5. 13. vocat filium ſuum; tali autem nomine eos, quos Chriſto genuerant, vocare conſueverant Apoſtoli, ut patet 1. Cor. 4. 15. Galat. 4. 19., unde Paulus Oneſimum vocat filium ſuum ad Philemon. v. 10. *Obſecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Oneſimo*. Quare Papias apud Euſebium lib. 3. hiſt. cap. ultimo apertè prodidit, Marcum non ſcripſiſſe eo ordine, quo à Domino geſta aut dicta fuerant, dicens: *Neque enim ipſe Dominum audierat, aut ſectator fuerat unquam, ſed cum Petro, ut dixi, poſtea verſatus eſt &c.*

XX.

Digitized by Google

XX. *Marcus* iſte, inquit S. Auguſtinus lib. 1. de Conſ. Evangeliſt. cap. 2. *Matthæum ſubſecutus, tanquam pediſſequus, & breviator ejus videtur*. Quare Marcum in ſcribendo Evangelium ſuum Matthæi Hebraico codice uſum fuiſſe, credibile eſt: & eadem ratione putat P. Lamy in præfatione Apparatus ad ſuam Concord. cap. 6., Marci Evangelio Græco uſum fuiſſe Matthæi Græcum Interpretem, quiſquis ille fuerit; nam quæ Marcus ex Matthæo deſumſerat, hic iiſdem prope verbis poſuit, niſi quod quædam à Matthæo expreſſa Hebraico aut Chaldaico loquendi genere, propiùs ad Græci ſermonis phraſim emollivit.

XXI. Qua autem lingua Marcus ſcripſerit, Baronius non judicat verò abſimile, eum lingua latina ſcripſiſſe: cum enim, teſtibus Euſebio ac Hieronymo ſupra laudatis, Marcus *Romæ à Fratribus rogatus* ſcripſerit Evangelium: *Neminem* (inquit) *puto exiſtimaturum, Apoſtolos, cum gentibus prædicarent Evangelium, aliis uſos fuiſſe linguis ab his, quibus gentes illæ uterentur, quibus Verbum Dei prædicarent*. Ita Baronius ad annum Chriſti 45. n. 37. Si ergò D. Petrus prædicans Romanis, Romanâ linguâ eis prædicaſſe cenſendus eſt, quomodo Marcus Petri prædicationem excipiens, ſcriptoque tradens ea, quæ latinè dicta audierat, latinis ſcribens, Græcè potiùs, quàm Latinè deſcriberet? Si enim Matthæus, quia Hebræis ſcribens, quod Hebræis Hebraicè prædicaverat, Hebraicè potiùs, quàm Græcè ſcripſit, ut vidimus, cur non idem eadem ratione de Marco dicendum? Inſuper dato, quod Petrus Romæ prædicans Græco aut Hebraico ſermone uſus eſſet; Marcus, qui Petri interpres ab Irenæo & Hieronymo vocatur, debuit lingua vernacula, i. latina, loqui, quia interpretis eſt ea, quæ peregrina lingua dicta ſunt, in illam eorum linguam, quorum gratiâ interpretatur, vertere. Additur etiam, Marci Evangelium Græcum multis ſcatere vocibus impropriis, quæ indicant eſſe ex Latino translatum, ut obſervavit Cardinalis Sirletus Bibliothecarius. Hæc Baronius pro ſua opinione.

XXII. Attamen Veteres Patres conſentiunt, Marcum primum ſcripſiſſe Evangelium Græcè: ita enim ſentit Hieronymus epiſt. 123. ad Damaſum, ſeu præfat. in Novum Teſtamentum hiſce verbis: *De Novo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti Hebraicis litteris edidit*. Idipſum Auguſtinus lib. 1. de conſenſu Evangel. cap. 2. *Horum ſanè quatuor ſolus Matthæus Hebræo ſcripſiſſe perhibetur eloquio, ceteri Græco*. Neque urgent, quæ affert Baronius, nam ex quo Marcus in gratiam

Ro-

Romanorum ſcripſerit, non infertur eum ſcripſiſſe latinâ linguâ; & non Græcâ; ſicut etiam Paulus dum ad Romanos ſcripſit epiſtolam, Græcâ ſcripſit linguâ, non Latinâ, & ratio utriuſque eſt, quia Judæi, qui Romæ agebant, plerique Latini ſermonis erant ignari, longa autem per Aſiam, & Græciam habitatione Græcam linguam didicerant, & Romanorum vix quiſquam erat non Græcè intelligens. Neque eſt ſimile de Matthæo, qui cùm ſuum conſcripſerit Evangelium Hebræis, ut vidimus, quorum omnes Hebræam linguam callebant, pauci verò Græcam, ii præſertim, qui Palæſtinam nunquam reliquerant; ideo credibilius eſt, eum Hebraicè ſcripſiſſe, quàm Græcè. Addo, quod Matthæum Hebraicè ſcripſiſſe, omnes Veteres affirmant, ut vidimus, Marcum autem ſcripſiſſe Latinè, Veterum nullus aſſerit, imo potiùs oppoſitum, ut vidimus ex Hieronymo & Auguſtino. Eadem ratione dico, credibile eſſe, D. Petrum Romæ prædicaſſe Græcè potiùs, quàm Latinè; Græcè enim loquentem omnes intellexiſſent & Judæi, & Romani; loquentem autem Latinè Romani quidem intellexiſſent, at non Hebræi, ſaltem omnes. Nec ex eo, quod Petrus Græcè prædicaverit, ſequitur, quod Marcus debuerit, quia ejus interpres, ſcribere Latinè, non enim ſemper interpretari, idem eſt, ac de una in aliam linguam vertere, ſed ſæpè idem eſt, ac dictum alterius exponere, & declarare, ſtando etiam in eadem lingua. Sic Expoſitores ſacræ Scripturæ, licèt in eadem ſiſtant lingua, Interpretes dicuntur. Et Geneſ. 40. 12. interpretari ſomnium ſumitur pro eodem, ac declarare, & exponere ſignificationem ſomnii. Alius eſt Interpres verborum, alius Interpres rerum. Addo, quod hæc Baronii meditatio contra ipſum intorquetur. Vel enim Petrus concionatus eſt Romanis Græcè, vel Latinè. Si Græcè, cur Marcus debuit ab ipſo Græcè dicta Latinè ſcribere, quia pro Romanis ſcribebat? Si verò Latinè; ergò cum Marcus fuerit interpres Petri, & interpres apud Baronium debeat in aliam linguam vertere, ſequitur, Marcum ſcripſiſſe non Latinè, ſed alia lingua, & qua, niſi Græca?

XXIII. Diximus, Marcum ſuum Evangelium conſcripſiſſe Romæ, prout ibi à Petro audierat, ex quo ſequitur nedum Marcum, ſed & Petrum Romæ fuiſſe. Excitantur ad hæc Proteſtantes, quibus ſumma rerum eſt pertinaciter inficiari, Petrum unquam Romæ fuiſſe. Federicus Spanhemius vir inter illos celebris Miſcellan. ſacr. Antiquit. lib. 3. p. 3. Num. 14. irridet pro more, tanquam fabulam, hujuſmodi conſcriptionem Evangelii à Marco Romæ factam, tanquam fabulatores traducens, & ſugillans

lans Veteres omnes, ipſe meritò ſugillandus, imò & diſpiciendus, qui ſic de continuata Traditione loquatur. Quum enim agitur de inquirenda veritate eorum, quæ antiquitùs geſta ſunt, quinam ſunt conſulendi nobis, niſi veteres, vel coævi, vel illi ſaltem ævo viciniores? Relinquendi (inquit) ſunt, quia nimium ſimplices, nimiùm faciles in ſuſcipiendis Traditionibus abſque delectu. At ego: unde hoc novit? In aliquo facilis fuit unus, vel alter: ergò in omnibus? ergò omnes? Videat, ne dum veteres arguit nimiæ ſimplicitatis, arguendus ſit ipſe potiùs nimiæ temeritatis.

XXIV. Audiamus tamen quibus momentis ducitur Spanhemius. Dicit ergò primò, ſi vera eſſet opinio veterum de conſcriptione Evangelii Marci facta Romæ præſente Petro, debuiſſet Petrus anno ſecundo Claudii eſſe Romæ, cùm dicat Euſebius, & cùm eo Hieronymus, Marcum conſcripto ſuo Evangelio, Claudii anno ſecundo, in Ægypto, & Alexandria Chriſtum annunciaſſe: atqui Petrus anno ſecundo Claudii Romæ eſſe non potuit, imo nec quarto, imo nec ante Concilium Hieroſolymitanum, Apoſtolis non ante à ſe invicem disjunctis, ut notat Valeſius. Nec ex Ægypto poſtea Romam iviſſe Marcum, ut Petro ſeſe adjungeret, dici poteſt, cùm ibi manſerit Marcus uſque ad extremum vitæ ſuæ. Quî ergò, & quando Marcus fuit Romæ? Meritò igitur, ait Petavius....., neutrum horum dicit Epiphanius, aut Petri juſſu, aut Romæ ſcripſiſſe Marcum. Imo nec hoc dixit Papias ab Euſebio relatus. Ita diſcurrit Spanhemius.

XXV. Cui reſpondeo. Etſi non eſſet certus annus adventus Petri Romam, conſcriptionis Evangelii Marci Romæ, profectionis Marci in Ægyptum: nunquid ob id negandum eſſet, Petrum Romam adventaſſe, & Marcum Romæ Evangelium ſuum ſcripſiſſe? Nam quid certius, in fine Hebdomadum Danielis venturum Meſsiam, & hunc jam veniſſe? At quid incertius tempore, à quo earum ſumendum eſt initium? Quid certius Chriſti nativitate, ac morte? At quid incertius anno, quo natus, quo mortuus? Spanhemius, qui certum habet, nec Petrum, nec Marcum fuiſſe Romæ, ſaltem his, vel illis annis, certus ne eſt, ubi fuerint illis annis commorati? Sive Petrus anno ſecundo Claudii Romæ fuerit, & eodem labente anno Marcus Roma exierit, ſive alio anno; certum eſt, Petrum & Marcum Romæ fuiſſe, nam in hoc aſſerendo conveniunt Veteres, licet in illo aliqualiter diſſentiant. Petrum anno ſecundo Claudii Romam adventaſſe, alibi docui, & cum eo iviſſe Marcum. Doctrina Chriſti ibi vix audita ex ore Petri excitavit in Romanis ardens

deſiderium eam ſcripto habendi; Marcus id opus aggreſſus eſt, & confecit; Petrus legit, & approbavit: inde Marcus in Ægyptum diſceſſit. Hæc narrat Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 16. & 17. quid hic repugnans? Fortè quod eodem anno Petrus Romam cùm Marco appulerit, eodem Marcus Evangelium ſcripſerit, eodem abierit? At quid mirum, ſi dicamus Petrum cùm Marco adventaſſe Romam anno ſecundo Claudii ineunte, & Marcus eodem exeunte anno diſceſſerit? Anne omnia recenſita uno anno non poterant abſolvi, maximè afflante Sancto Spiritu, & Apoſtolicorum virorum opera mirè promovente? Sanè incredibile videtur, quomodo Apoſtoli tam brevi ſpatio tot orbis partes peragrarint, tantaque fecerint; & tamen verum eſt.

XXVI. Nec nos moratur Valeſii dictum ad lib. 2. cap. 16. Euſebii, nimirum Petri, & conſequenter Marci Romam ſecundo anno Claudii adventum refelli ex Actibus Apoſtolorum, ex quibus conſtat, Petrum in Judæa, & Syria ſemper manſiſſe uſque ad ultimum annum Agrippæ Regis: qui cum Hieroſolymis Petrum in vincula conjeciſſet, paulò poſt divina eum inſequente juſtitia extinctus eſt Cæſareæ, ut refert Lucas. Cum igitur anno quarto Claudii mortuus ſit Agrippa, ut inter omnes convenit, Petrus ante hunc annum Romam proficiſci non potuit. Hæc Valeſius.

XXVII. Non, inquam, nos moratur. Unde enim probat Valeſius, Petrum in Judæa, & Syria ſemper manſiſſe uſque ad ultimum annum Agrippæ Regis? Id certè ex Actibus Apoſtolorum non colligitur cap. 12. Colligitur quidem, Petrum ab Agrippa Herode in vincula conjectum, ſed Hieroſolymis manſiſſe uſque ad obitum Herodis, non colligitur: imo credibilius eſt, eum fugâ elapſum è carcere, ut diligentiam Herodis eluderet eum requirentis (ut legitur Act. 12. 19. *Herodes autem cum requiſiſſet eum, & non inveniſſet, inquiſitione facta de Cuſtodibus, juſſit eos duci*) in partes remotiſſimas aufugiſſe; & conſequenter Romam petiiſſe, quò ad converſionem gentium mira illa viſione Act. 10. vocatus fuerat. Nec enim Herodes ſtatim poſt Petri fugam è carcere, fato ceſſit, ſed ut ait Lucas Act. 12. 19. *Deſcendens à Judæa in Cæſaream, ibi commoratus eſt*: cui concordat Joſephus lib. 19. antiquit. cap. 3. & 8., & lib. 2. de bello Judaico cap. 10. ubi multa ab eo Beryti & Cæſareæ geſta commemorat, quæ temporis moram non brevem præſeferunt. Unde adeſt nobis firmum ſatis fundamentum aſſerendi, anno ſecundo Claudii Petrum è carcere elapſum Romam conceſſiſſe. Anno autem quarto, ut vult Valeſius, è vivis ſublatus fuerit Herodes, vel forte anno

Digitized by Google

nò tertio: ut enim ſcribit Joſephus citatus, tribus tantum annis tanquam Rex Judæam Herodes adminiſtravit, cum prioribus quatuor jure Tetrarchiæ eam rexiſſet.

XXVIII. Neque urget, Apoſtolos ante Concilium Hieroſolymitanum non fuiſſe disjunctos. Reſpondeo enim, Apoſtolos ante dictum Concilium non fuiſſe equidem disjunctos finaliter, ideſt non ampliùs conjungendos, quia certè ante illud non fuerunt per orbem diſperſi omnes: ſed ſicut Paulus, Barnabas, ceterique antecedente tempore huc, illucque annunciabant Verbum (Saulus enim, & Barnabas Act. 13. abierunt Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum, inde venerunt Iconium, inde ad civitates Lycaoniæ, Lyſtram, & Derbem Act. 14., & tandem Antiochiam) credibile certè eſt, idem alios Apoſtolos egiſſe, & maximè Petrum, cui ſpecialiter converſio Gentium commiſſa fuerat.

XXIX. Sive autem Petrus ſecundo Claudii anno Romam petierit; ſive tantum ſeptimo, ut ex Chronico Alexandrino cenſet Valeſius; ſive Marcus Roma deceſſerit anno Claudii ſecundo exeunte, ſive nono, ut cum Eutychio Alexandrino arbitratur idem Valeſius: certum eſt & nobis, & Valeſio ipſi, Petrum & Marcum Romam conceſſiſſe: cur ergò Spanhemius, qui adhæret Valeſio neganti Petrum ſecundo Claudii anno Romæ fuiſſe, & Marcum eodem anno in Ægyptum abiiſſe, eidem non adhæret affirmanti, & Petrum & Marcum Romæ fuiſſe; Petrum quidem ſeptimo Claudii anno cum Marco illuc adventaſſe, Marcum verò illinc abiiſse anno ejuſdem nono?

XXX. Dicit Spanhemius, nimis frivolo fundamento aſseri hunc adventum Petri & Marci Romam. *Occaſionem* (inquit ibi Num. 16.) *dedit Petrinus ille locus ad calcem Epiſtolæ prioris, ubi & Eccleſiæ, quæ Babylone eſſet, & Marci filii ſui meminit. Hinc Babylonem quidam interpretati Romam, inducti ex Apocalypſeos libro .... diſtinguere neſcii inter ſtylum Epiſtolicum & Propheticum, ſimplicem illum, hunc myſticum. Quo factum, ut Marcus etiam Romæ Petri ſocius fuiſſe crederetur, ibique conſcribens Evangelicam hiſtoriam. Et innuit hoc Euſebius lib. 2. cap. 15.*

XXXI. Verùm hoc quidem dicit Euſebius dicto cap. 15., & Hieronymus de Script. Eccleſ. Alii autem Veteres, qui omnes Petri adventum Romam fatentur, non hoc unicè fundamento nituntur, ſed potiùs recepta, & ab Apoſtolis derivata Traditione. Attamen nomine Babylonis, de qua D. Petrus in ſua prima Epiſtola, intellgi Romam, conſentiunt non ſoli Veteres, ſed & Recentiores, imo ex Proteſtantibus Grotius in dictam epiſto-

 lam.

lam, dicens: *De Babylone diſſident Veteres, & Novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, in qua Petrum fuiſſe nemo verus Chriſtianus dubitabit. Novi Babylonem in Chaldæa. Ego veteribus aſſentior.* Interim audiatur Valeſius (lib. 2. Euſebi. cap. 15.) ad quem me provocavit Spanhemius: *Romam Petrus figuratè Babylonem vocavit, vel ob magnitudinem, aut potentiam: vel propter impietatem, eo quod Dæmonum cultui dedita tunc eſſet Roma, perindè ac olim Babylon. Poteſt etiam alia ratio hujus cognominis afferri: quod ſcilicet ut Babylonii Judæos in ſervitutem redegerant: ſic Romani tunc Judæos ditioni ſuæ ſubjeciſſent. Sunt qui in dicta Petri epiſtola Babylonis nomine non Romam, ſed Babylonem ipſam, quæ caput fuit Aſſyriorum, deſignari contendant. Verùm hi omnium Patrum teſtimonio refelluntur. Certè qui Petrum Babylone ſediſſe volunt, oſtendant nobis, oportet, ſucceſſionem Epiſcoporum, qui Babylonis Eccleſiam poſt Petrum adminiſtrarint. Proferant igitur faſtos Eccleſiæ illius, ſicut & nos ſucceſſiones Epiſcoporum urbis Romæ, qui poſt Petrum Apoſtolum Romanæ Eccleſiæ præfuerunt ex Irenæo, aliiſque proferimus. Quæ major impudentia eſt, id quidem, quod nemo Veterum dixit, temerè affirmare, Petrum ſcilicet ſedem fixiſſe Babylone: id verò, quod Veteres omnes Eccleſiaſtici Scriptores diſertiſſimè prodiderunt, adventum ſcilicet Petri in Urbem Romam, pertinaciter negare? Atqui nihil in tota hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtrius, quàm adventus Petri Apoſtoli in Urbem Romam. Nam præter Papiam, & Clementem Alexandrinum, quorum teſtimonia hic adfert Euſebius, idem ſcribit Dionyſius Corinthorum Epiſcopus in epiſt. ad Soterem Epiſcopum Urbis Romæ, Irenæus, Cajus Presbyter in diſputat. adverſus Proclum, Origenes in Tomo tertio explanationum in Geneſ. &c.* hæc ille Valeſius, cujus præſidium oſtentat Spanhemius: quem licet ſciam, omnes præfatos, alioſque Scriptores nimiæ credulitatis damnare; in iis plures contradictiones comminiſci: ab iis tamen fallaciis diſſipandis abſtineo, non enim hujus loci eſt, materiam hanc funditus examinare.

XXXII. Ad id verò, quod addit Spanhemius, non eſse ſtyli epiſtolici figuratè ponere nomina Urbium, reſpondet Grotius laudato loco, Petro fuiſse motivum, ſtylum Apoſtolicum ſimplicem in figuratum detorquendi, Romam ſub Babylone adumbrando, non ſolum *Ut ſi deprehenderetur epiſtola, non poſſet inde ſciri, quibus in locis viveret; verùm etiam, ut cogitarent Pontici, ſicut nunc ipſi vexarentur ab Imperio Romano, ita olim majores ſuos, & quidem illis ipſis in locis, vexatos fuiſſe ab Imperio Babylonico: fuiſſe tamen pios, & in urbe Babylone, & nunc eſſe Romæ: & ſicut Deus*

Deus pœnas exegit de Babylone, ita & exacturum de Roma: & ſicut Judæi olim Babylonis jugo liberati fuere, ita & Chriſtianos à Romana ſævitia liberatum iri. Hæc Grotius.

XXXIII. Reſpondendum ultimò nobis eſt Spanhemio petenti: ſi Marcus conſcripſit Evangelium ſuum Romæ Petro præſente, atque adprobante, quomodo ſubſiſtet id, quod dicit Irenæus lib. *3*. cap. 1. Marcum ſcripſiſſe Evangelium *poſt horum, ideſt Petri & Pauli exceſſum?* Reſpondet Grotius præfat. ad Marcum, verba textus Irenæi *poſt horum exceſſum* emendanda eſſe per antiquos codices, in quibus dicitur *poſt hujus editionem*, quaſi dicat poſt editionem à Matthæo conſcriptam, ſuam ſcripſit Marcus, ita etiam ſentit Chriſtophorſonus: & Petrus Poſſinus in Catena Patrum in Marcum præfata Irenæi verba ex Veteri Catena MS. Vaticana edidit eodem prorſus modo, quo Grotius & Chriſtophorſonus; Niſi fortè dicatur, in hoc Irenæum eſſe ſingularem, cùm ceteri Veteres Scriptores, Marcum Romæ, aſſerant, præſente Petro ſcripſiſſe, ideoque in hoc deſerendum eſſe. Sanè Hieronymus, qui & Clementem & Irenæum legerat, Clementi potiùs adhæſit; Vir autem accuratiſſimus eam non elegiſſet Traditionem, quam veriorem non judicaſſet. Neque nobis imponat Spanhemius dicens: *Laudatur Irenæus, ſi Petrum Romæ fuiſſe dicat; culpatur, ſi non Marcum Romæ ſcripſiſſe, comprobante Petro*. Quid enim nobis eſt lucri, ſi Marcus Romæ potiùs, quam alibi, adprobante vel non adprobante Petro, conſcripſerit? Infertur ſolùm, non eſſe omnino certum, quando, & ubi Marcus ſcripſerit Evangelium; quod non negabimus.

§. IV.

LUCAS.

XXXIV. Lucam verum Auctorem fuiſſe Evangelii, quod ejus præfert nomen, extra controverſiam eſt. Docuit nos Origenes (inquit Grotius præfat. in Lucam) in annotat. epiſtolæ ad Romanos, fuiſſe, qui crederent, Lucium eum, qui in eadem epiſtola cap. 16. 21. nominatnr, eſſe hunc ipſum Lucam, & Lucium dici flexione Romana, Lucam Græca. Ego (ait Grotius) Lucium illum, cujus ibi meminit Paulus, puto non alium eſſe à Cyrenenſi, quem noſter hic nominat Actor. 13. 1. Noſtro autem nomen quidem Romanum fuiſſe, arbitror, ſed aliquanto longius: nam quæ in *as* terminantur nomina ſolent partem nominis poſtremam abſcindere: ita Demas Græ-

Græcè Romanis eſt Demetrius, Menas Menodorus, Appellas Appollodorus, Epaphras Epaphroditus, Theudas Theodorus, Harpocras Harpocrates, Alexas Alexander, Cleopas Cleopater. Ex Artemidoro fit Artemas, ut apud Varronem eſt, lib.7. de lingua Latina. Herodes Pater, qui in minore fortuna Antipas, Antipater fuit in majore, Joſepho teſte. Sic Poſſides ex Poſſidonio diminuendo factum, & ut ad Latina veniam, Ruphas Rufinus. Quare & Lucas, ſi quid video, contractum eſt ex Romano nomine, quod ſuſpicor fuiſſe Lucillium. Ita conjectat Grotius.

XXXV. Huic conjecturæ præſidium adfert Grotius, quia ſupponit, Lucam noſtrum fuiſſe Syrum, domo Antiochenum, ut ait Euſebius lib.3. hiſt. cap.4., & Hieronymus de Script. Eccleſ. in Luca: Antiochiam autem Syriæ caput fuiſſe, docet Strabo lib.6.. Fuiſſe profeſſione medicum iudicat Paulus Coloſ.4.14. *Salutat vos Lucas medicus cariſſimus*. Hunc enim Lucam, de quo Paulus, alium eſſe à Luca, de quo agimus, nullo argumento probari poteſt, maximè cùm hic fuerit cariſſimus, & comes perpetuus Pauli, ut dicemus. Accedit, eum medicum dici etiam ab Euſebio, & Hieronymo locis ſupra laudatis, & omnis vetuſtatis conſenſu talis ſemper habitus fuit. Syria autem multos Romanis ſervos exhibebat: & Medicina, ut ex Plinio atque aliis diſcimus, munus erat ſervile: porrò manumiſſi nomen Patroni induebant, ut comœdiarum Scriptor, Afer cum eſſet, dictus eſt à patrono Terentio *Terentius*; Alexander Polyſthor à patrono Cornelio Lentulo *Cornelius*, Suida referente: ita hic à Lucillio *Lucillius*, & contracte Lucas. Credibile eſt, cùm Romæ Medicinam factitaſſet aliquamdiu, accepta libertate rediiſſe in Patriam. Judaicam religionem domi, an Romæ imbiberit, incertum. Romæ ſanè multi libertinæ conditionis quotidie ad Judaiſmum tranſibant, qualis Cæcilius ille, quicum Cicero de Verre accuſando certavit. Philo lib. de Legatione ad Cajum ait: *Quomodo ergò paſſus eſt, magnam illam Romæ partem, quæ trans Tyberim eſt, habitari & teneri, ſe ſciente, ab Judæis, qui magna pars Romana erant ex ſervitute manumiſſi*. Sed & Antiochiæ magna erat Judæorum univerſitas, & ingens Proſelytorum numerus, quod & Joſephus nos docet Antiquit. lib.12. cap.3. Helleniſtarum (i. Hebræorum Græcizantium) ſermonem cum religione hauſit, Græcanicam litteraturam, dum Medicinæ ſtuderet. Utriuſque manifeſta ſunt in ſcriptis ejus veſtigia; ſed & ad Syriacum loquendi genus ſæpè inclinans ejus dictio Patriam prodit, & Romæ verſatum ex Romanis quibuſdam locutionibus agno-

Digitized by Google

agnoſcas. Ita Grotius ex parte ſuſpicando diſcurrit. Huic ultimo conſentit S. Hieronymus ſcribens, ejus ſcripta indicare, Lucam fuiſſe Antiochenum, & Græci ſermonis non ignarum: & in 6. Iſaiæ: *Lucam*, inquit, *tradunt veteres tractatores, magis Græcas litteras ſciſſe, quam Hebræas; unde & ſermo ejus tam in Evangelio, quàm in Actibus Apoſtolorum, ideſt in utroque volumine comtior eſt, & ſecularem redolet eloquentiam, magiſque teſtamentis Græcis* (è verſione 70. Interpretum) *utitur, quàm Hebræis*. Idem repetit epiſt. 145. ad Damaſum: quibus conſtat, Lucam fuiſſe Helleniſtam. Is enim apud Hebræos dicebatur, qui Biblia non Hebraica, ſed Græcè verſa legebat.

XXXVI. Lucam fuiſſe Pauli ſectatorem, & omnis peregrinationis ejus comitem, teſtatur Hieronymus de Script. Eccleſ., Euſebius lib.3. hiſt. cap.4., & lib.5. cap.8., quibus conſentiunt omnes: & meritò; habetur enim narrante Luca ipſo Act.16. v.10.11.12.13. cap.20. v.6.13. cap.27. v.27. Ab eodem Paulo ad fidem Chriſti tractum fuiſſe, pariter certum eſt; incertum tamen, ubi & quando. Antiochiæ id accidiſſe, putat Grotius (præfat. in Lucam) poſtquam eò Româ rediiſſet, Paulo ibi docente; cui ab eo tempore comes hæſit, & Pauli legatione ad diverſa loca functus eſt. Cùm autem pluries Antiochiæ fuerit Paulus, incertum eſt, quando ad Chriſtum Lucam converterit, an ſcilicet quando primum illuc ſe contulit, ubi per annum moratus eſt Act.11.26., vel alio tempore. Certè Lucas, qui Actus Apoſtolorum conſcripſit, ſuæ converſionis non meminit, imo nec ſui ipſius, niſi à cap.16. v.10.; quod indicat quidem, eum jam fuiſſe inter ſocios Pauli, ſed quando, & ubi ei cœperit adhærere, non dicit. Nicephorus lib.2. hiſt. cap.42. ejus converſionem deſcribens, eam adſcribit factam Thebis, dicens *Thebis ad Paulum venit, atque ibi nuncio patris errori remiſſo ad Chriſtum acceſſit*; quo etiam innuit, Lucam ad Chriſtum non ex Judaiſmo, ſed ex gentilitate potiùs acceſſiſſe, Judaiſmum enim *errorem* non vocaſſet Nicephorus.

XXXVII. Hic ergò Lucas Evangelium conſcripſit, prout fortè à Paulo audierat prædicatum: *Hujus porrò Evangelium* (inquit Euſebius lib.3. cap.4.) *ajunt, à Paulo deſignari ſolitum eſſe, quoties tanquam de proprio quodam Evangelio ſermonem faciens dicit ſecundum Evangelium meum*. Motivum ſcribendi Evangelium ei fuiſſe creditur multiplicitas eorum, qui tale opus aggreſſi erant, & quidem plerumque infeliciter vera fabuloſis miſcendo, quod ex ejuſdem Evangelii exordio conjicitur; incipit enim: *Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem &c.*

Li-

Licèt enim Matthæus, & Marcus ſua Evangelia jam conſcripſiſſent (non enim aſſentior iis, qui putant, Lucam Matthæo & Marco priorem in ſcribendo fuiſſe, cum illis refragetur vetuſtiſſimus librorum ordo apud omnes Nationes ; refragetur Traditio vetus, Irenæo & Tertulliano teſtibus) tamen vel quia ad ejus manus non pervenerant, cùm eo tempore Matthæi liber nonniſi Hebraico ſermone extaret, & Marcus ſuum, quem ediderat, detuliſſet in Ægyptum, quó, ut ait Euſebius lib.2. hiſtor. cap.16., ſcripto Romæ Evangelio profectus eſt ; aut ſi aliquod exemplar Romæ reliquiſſet, Lucas ignoraret: Addo, Evangelium Marci eſse potiùs compendium hiſtoriæ, quam hiſtoriam: Ex alia autem parte multa circumferrentur Pſeudo-Evangelia, alicujus Apoſtoli, vel viri Apoſtolici nomen falsò præferentia, qualia liber Paſtoris, Actus Pauli, Revelatio, ac Evangelium Petri, Thomæ, Matthiæ, Andreæ, & alia incertis narrationibus plena, quæ recenſet Euſebius lib.3. cap.25., ideo optimum duxit Lucas, veritatem, quam acceperat ab iis, *qui ab initio viderunt, & Miniſtri fuerunt ſermonis à principio, diligenter & ex ordine ſcribere*.

XXXVIII. Quo autem tempore, & loco Lucas ſcripſerit Evangelium, non conveniunt vel Codices, vel Interpretes. Alexandriæ putant aliqui, quam nomine Troadis, ubi Lucas cum Paulo aliquantiſper hæſit, ut Actuum 16., volunt intelligi; idque demonſtrari volunt ex nummis antiquis, in quibus legunt *Coloniam Auguſtam Troadem Alexandriam*: ita Samuel Petitus variar. litt. cap.12., & Ezechiel Spanhem. diſsert.9. de præſtantia, & uſu numiſmatum pag.576. Quia autem Troade in Macedoniam Lucas cùm Paulo tranſiit, & illic quoque ſcribere potuit Evangelium, ideo & ibi ſcriptum alii volunt. Alii veró Antiochiæ; ex calculis enim Pearſonii in Annalibus Paulinis pag.20. Lucas ab anno 43. per octennium diſcipulus Pauli fuerat Antiochiæ, & an.51. Troade eum aſsecutus; quare dici fortè poſset, Lucam Antiochiæ Evangelium ſuum inchoaſse, Troade conciliaſse, & in Macedonia tandem abſolviſse: & hoc modo etiam conciliari poſsunt variæ opiniones de tempore talis conſcriptionis, quarum ponunt aliquæ, eam exaratam anno poſt adſcenſum Domini 15., alii 22.: nimirùm ſi dicatur, Lucam anno 15., qui congruit anno æræ vulgaris 48., Evangelium inchoaſse Antiochiæ, hoc enim tempore adhuc ibi erat: deinde anno 22., qui convenit cum anno æræ vulgaris 55., in Macedonia tandem abſolviſse.

XXXIX. Alium etiam librum ſcripſit Lucas dictum *Actus Apoſto-*

ſtolorum, in quo Apoſtolorum geſta, & præſertim Pauli enarrantur. *Cujus hiſtoria*, inquit S. Hieronymus ſupra laudatus, *uſque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit* Act. 28. 30. *Ideſt uſque ad quartum Neronis annum*, vel quintum, ut vult Baronius, i. à Chriſto nato anno 61., ab eodem autem paſſo 28. aut 27.; quo anno cenſet, Lucam opus conſummaſſe, cui interpolatis temporibus, prout viderat, & reſpectivè audierat, materiam præparaverat. Hoc ab eo Romæ conſcriptum cenſet ſanctus Hieronymus ſub finem Cuſtodiæ Pauli; non tamen eſt adeò exploratum, quin alii ſentiant conſcriptum, poſt diſceſſum Româ, Alexandriæ, ubi erat Theophilus, quem in libri initio alloquitur, hunc enim primum fidelium, & inter Alexandrinos nobiliſſimum fuiſſe cenſet Barbarhul auctor Syrus Lexici apud Edmundum Capellum: quod tamen liber Actuum inſcriptus fuerit Theophilo Alexandriæ commoranti, non eſt motivum inferens, fuiſſe Alexandriæ conſcriptum; poteſt enim liber alicui viro, aliàs noto, inſcribi, etiamſi in eadem regione cum Scriptore non exiſtat. Certum eſt, librum Actuum fuiſſe ſcriptum poſteriori tempore ad ſuum Evangelium; hoc enim indicat Lucas ipſe, dum librum exorditur: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & docere &c.* quaſi dicat, inquit D. Chryſoſt. Homil. 1. in Acta: *Priorem quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus tum facere, tum docere &c.*

XL. S. Lucam Pictoris artem calluiſſe, vulgata opinio eſt, ac digito monſtrantur Icones præſertim B. Virginis ab ipſo, ut feruntur, depictæ. Proteſtantes, quibus omne ſtudium eſt, uſum ſacrarum Imaginum ceu ſuperſtitioſum abolere, videntes hoc teſtimonio antiquitatem & legitimitatem talis uſus mirabiliter firmari; toto conatu ſanctum Lucam fuiſſe Pictorem, tanquam anilem fabulam venditare ſatagunt. Equidem fateor, ſacram Scripturam & antiquos Patres affirmare quidem Lucam fuiſſe Medicum, ac fuiſſe Pictorem ne quidem indicare: num tamen iſtorum ſilentium ſit ſufficiens motivum rejiciendi tanquam fabulam Traditionem à Catholicis receptam id aſſerentem, videre placet. Neque tamen ideo mens mihi eſt, in examen vocare, an hæc, vel illa Imago, quæ à D. Luca fertur depicta, revera ſit talis; ſed ſolùm an Lucas non ſolùm medicinam profeſſus fuerit, verùm & pictoriam artem callucrit, & conſequenter veroſimile ſit, aliquas eorum, quæ ab eo feruntur pictæ, Iconas revera ab ipſo pictas fuiſſe,

XLI. Traditionem affirmantem Lucam Pictorem ex Græcis

ortum habuiſſe, non negarim. Primus, qui, ut puto, eam evulgavit, fuit Theodorus Agagnoſtes, Lector Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui anno 518. floruit: is enim lib. 1. Collectaneorum refert; *Eudociam ab urbe Hieroſolymitana ad Pulcheriam miſiſſe imaginem Matris Domini, quam Lucas Apoſtolus depinxerat*. Tres enim (obſervat Valeſius in notis ad Theodorum) Baſilicas in honorem B. Mariæ Virginis Pulcheria ædificavit Conſtantinopoli, ſeu potiùs juxta urbem Conſtantinopolim (de quibus videndus eſt Nicephorus lib.14. cap.2. & lib.15. cap.14.) In una iſtarum, Hodegorum dicta, depoſuit Imaginem Deiparæ, de qua Theodorus. Dicta porrò fuit hæc Baſilica Hodegorum, eo quod cæci, meritis B. Virginis, cujus Imago illic erat depoſita, viſum recuperarent, nec amplius *Odigò*, ideſt ductore opus haberent, ut docet Codinus lib. de Originibus Conſtantinopol. pag. 41. edit. Regiæ: quod miraculum ſua etiam ætate continuaſſe refert Nicephorus dicto lib.15. cap.14. Aliter tamen dictam Hodegorum conjicit ex Græcis auctoribus Ducange in ſua Conſtantinopoli Chriſtiana lib.4. cap.2. Num.24., *quod* ſcilicet *cum Deiparæ Imago à ſancto Luca depicta ſumma religione, ac veneratione coleretur à Byzantiis, nullam adversùs hoſtes expeditionem ſuſciperent Imperatores, ac Duces, quin prius eam ſalutaſſent; ac S. Deiparam viæ comitem, ſeu potiùs ductricem ſibi fieri, eſſent deprecati*. Ex Theodoro ſumſit Nicephorus citatus, & Metaphraſtes. Aſſervabatur illa Imago primùm Antiochiæ, teſte Nicephoro lib.15. cap.14. citato, quare prudenter credi poteſt à D. Luca picta, dum Antiochiæ patriæ ſuæ moraretur. Dum ergò Theodorus initio ſeculi 6. aſſerit, Iconam illam fuiſſe à D. Luca pictam, conſtans eſt Traditione antiqua apud Antiochenos, & Conſtantinopolitanos, id exploratum illis temporibus fuiſſe. Quid ergò contra illam blaterant Proteſtantes?

XLII. Dicent Scripturam, Patreſque antiquiores non deſcribere Lucam Pictorem, ſed Medicum? Eſto. De arte pictoria Lucæ non loquuntur, ſed tantum de Medica, non tamen negant, Lucam Medicum fuiſſe ſimul in pingendi arte peritum. Ut evinceretur, Lucam non fuiſſe Pictorem, non ſat eſt, afferre Scripturam, & Patres id non aſſerentes, ſed ulteriùs neceſſe eſt, eos adducere id negantes: alias ſi Proteſtans mihi objecerit: ubinam Scriptura dicit Lucam fuiſſe Pictorem? Ego verſa vice objiciam: ubinam Scriptura negat, Lucam fuiſſe Pictorem? Scriptura ergò, & Patres Lucam Medicum prodidere, ſiluere Pictorem: quia ars Medica publica erat Lucæ profeſſio, Pictura autem privatum hominis ſtudium. Sic Petrus dicitur Piſcator,

Jo-

Joſeph Faber, Teloniarius Matthæus, quia hoc, quod erat publicum eorum exercitium, eos notos reddebat publico: fieri autem poterat, ut privatis curis alia opera callerent, ergo ne, quia Scriptura de his non loquitur, negandum eſt? Fortè eſſe Medicum ac ſimul Pictorem incompatibilia ſunt?

XLIII. Ita, inquient, in viro Judæo, cujus religioni interdicta erat omnis ars Iconas efformandi, ſeu ſimulacra. Peto. Si Judæis omnis ars pictoria, ſtatuaria, & fuſoria erat interdicta, & execrabilis, unde Salomoni præſto fuere tot Artifices, quot opus erant ad efformandos Cherubim, Boves, palmas, & picturas varias, quibus ornatum erat Templum 3. Reg.6.? Scio arceſſitum de Tyro Hiramum quemdam, de quo 3. Reg.7.13. & 14., & 2. Paralipom.2.13. & 14., ſed præter Hiramum e Tyro vocatum aderant innumeri alii artifices ſimilis artis ex Judæis. Ita enim alloquitur Salomonem Rex Tyri de Hiramo 2. Paralip. cit. *Qui ſcit cælare omnem ſculpturam... cùm artificibus tuis, & cùm artificibus Domini mei David patris tui*. At quomodo apud Salomonem hujuſmodi inveniebantur artifices, & apud David patrem ſuum, ſi Judæis vetita erat omnis ars pictoria, ſtatuaria, fuſoria &c.? His addo, probandum eſſe, hunc Hiramum non fuiſse Judæum genere: ego enim Judæum aſſero, & de Tribu Nephtalim, licèt diuturno incolatu dictus fuerit Tyrius: & hoc cum D. Hieronymo Quæſt. Hebraic. ad 3. lib. Regum cum Spondano ad A. Mundi 3020. Num. 12., & Mariana in Schol. ad cap.7. 3. lib. Reg.

XLIV. Ceterùm gratis etiam dato, nullum ex Judæis artem pictoriam, ſeu ſtatuariam exercuiſſe, adhuc oſtendendum erit, ſanctum Lucam fuiſse Judæum genere. Si attendimus ejus Patriam, Antiochenum reperiemus: ibi autem Gens Judæa adventitia erat donata jure civium, ſed ex gratia; & hinc non deducitur, eum potiùs Judæum fuiſse, quam non Judæum. Si audimus Grotium, jam ſupra vidimus, eum religionem Judaicam, vel Romæ, vel in patria ſua amplexum, ideoque proſelytum fuiſse. Potuit ergò ante ſuſceptum Judaiſmum arte pingendi imbutus, eam poſt Chriſto nomen datum iterùm exercuiſse. Quomodocumque ergò res ſit, Traditio ferens, D. Lucam arte pingendi excelluiſse, nulli ſubeſt incommodo, nihil inveriſimile fert, ideoque prudenter amplectenda eſt.

§. V.

JOANNES.

XLV. NOn minus certum eſt, Evangelium ſancti Joannis ab eo, cujus nomine donatur, conſcriptum fuiſse. Fuit Joannes Zebedæi Bethſaidenſis ac piſcatoris filius, piſcator & ipſe, vocatus à Chriſto ad Apoſtolatum Matth. 4. 21. *Et procedens inde vidit alios duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua, & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre ſecuti ſunt eum*. Inter ceteros Apoſtolos ſpeciali dilectione eum proſecutus eſt Chriſtus: adeout quod olim de amicis ſuis Alexandrum dixiſse, memorant, alium ſcilicet eſse *Amicum Alexandri, alium amicum Regis*; crediderim, ad duos Apoſtolos ſic poſse aptari, ut Petrum dicamus maximè *amicum Chriſti*, quia ei ſupremam curam Eccleſiæ regni ſui contradidit: Joannem verò *amicum Jeſu*, cui Matrem ſuam ſpecialiter commendavit. Legem quidem puer diſcere potuit Joannes, ut Hebræis mos erat; ceterùm Hebraicam aut Græcam litteraturam, qua nulla imbutus fuerat, ſupplevit afflatu ſuo Spiritus Sanctus: qui tamen cum aptare ſoleat ſua dona capacitati recipientis, hinc factum eſt, ut in Joannis, viri per quam ſimplicis, dictione mira ſupra ceteros Apoſtolos appareat ſimplicitas, & ſermo Græcus quidem, ſed Syriaco illius ſeculi frequenter adumbratus, ut obſervat Grotius Præfat. in Joann.

XLVI. In Apoſtolorum diviſione Joanni contigiſse creditur Aſiæ pars, quæ Epheſum circumſtat, ubi maximam vitæ ſuæ partem (excepto tempore, quo exul Pathmos fuit demandatus) uſque ad extremam ſui ſenectutem protraxit, ibique diem clauſit extremum. Ita Euſebius lib. 3. cap. 1. *Joanni Aſia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Epheſi tandem diem obiit*: quod repetit lib. 5. cap. 24. Domitiano Eccleſiam immaniter perſequente ob teſtimonium, quod Chriſto perhibebat, in Inſulam Pathmum traditur eſse relegatus. Ita idem lib. 3. cap. 18., ubi librum ſuarum revelationum ſcripſiſse, veteres crediderunt, qui dicitur A*pocalypſis* Græcè, quod Latinis eſt *Revelatio*. Domitiano autem mortuo, reverſum Joannem ab exilio Eccleſias Aſiæ rexiſse uſque ad tempora Trajani, ſcribit Euſebius eodem lib. 3. c. 23. ex Irenæo l. 3. contra hæreſes, & Clemente Alexandrino lib. *Quiſnam dives ſalutem poſſit conſequi*, qui nobis excidit.

XLVII.

XLVII. Ut certum eſt, Joannem ſcripſiſse Evangelium, æquè incertus eſt locus, & annus, quo illud ſcripſerit; volentibus aliis ſcriptum in Pathmo, & quidem 30. annis poſt Chriſti ad cœlos aſcenſum; aliis Epheſi, & 60. annis à Chriſti in cœlos evectione. Hiſce ultimis adhæret Irenæus, Clemens Alexandrinus, quamvis annum non deſignent, & S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Joanne. Conveniunt tamen omnes, ejus Evangelium conſcriptum fuiſſe poſt tria alia, hinc S. Hieronymus citatus: *Joannes* (inquit) *Apoſtolus, quem Jeſus amavit plurimùm, filius Zebedæi, frater Jacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paſſionem Domini decollavit, noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis* &c. quod teſtantur Irenæus lib. 3. cap. 1., Clemens apud Euſebium lib. 6. cap. 14. & 3. cap. 24. Epiphanius hæreſ. 5., aliique.

XLVIII. Duas cauſas Joannem moviſſe ad ſcribendum ſuum Evangelium, poſtquam viderat Evangelia Matthæi, Marci, & Lucæ, ait S. Hieronymus: prima fuit Cerinthi, aliorumque Hæreticorum, *& maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, aſſerentium, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe, unde & compulſus eſt, divinam ejus Nativitatem edicere*. Hanc eandem cauſam affert Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 11. dicens: *Hanc fidem adnuncians Joannes Domini diſcipulus, volens per Evangelii nunciationem auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat hominibus, errorem, & multò prius ab his, qui dicuntur Nicolaitæ* &c. Alia cauſa fuit Joanni ſcribendi Evangelium ſuum (proſequitur ſanctus Hieronymus) *quod cùm legiſſet Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe, firmaverit; ſed unius tantum anni, in quo & paſſus eſt, poſt carcerem Joannis hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cujus acta à tribus expoſita fuerant; ſuperioris temporis, antequam Joannes clauderetur in carcerem, geſta narravit; ſicut manifeſtum eſſe poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint*. Hieronymo conſentit Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 24. *Perlatis jam* (inquit) *in omnium, ipſiuſque adeò Joannis notitiam, ſupradictis tribus Evangeliis, approbaviſſe ea Joannes, & veritatem Scriptorum ſuo teſtimonio confirmaſſe dicitur; ſolam verò narrationem earum rerum, quas Chriſtus circa initium prædicationis geſſerat, deſideraſſe: & profectò ita res ſe habet; nam ſuperiores quidem tres Evangeliſtas ea dumtaxat, quæ poſt conjectum in vincula Joannem Baptiſtam unius anni curriculo à Servatore noſtro geſta ſunt, litteris mandaſſe, perſpicuum eſt.... His de cauſis ajunt, Joannem ab amicis rogatum, & tempus ipſum, quod ſuperiores Evangeliſtæ ſilentio prætermi-*

Digitized by Google

miſerunt, & *res tunc à Servatore noſtro geſtas; eas videlicet, quæ Joannis Baptiſtæ carcerem præceſſerunt, in Evangelium ſuum conjeciſſe: idque ab ipſo indicari primùm cum dicit: Hoc initium miraculorum fecit Jeſus* &c. En ergò cauſas, quæ Joannem ad conſcribendum Evangelium impulerunt; primam, ut oſtenderet Chriſti divinitatem, contra tunc emergentes hæreſes; de qua alii tres Evangeliſtæ ſuboſcurè locuti fuerant: alteram, ut suppleret id, quod alii tres omiſerant: quod Evangelium primùm ſcriptum fuiſſe Græcè, nemo dubitat.

XLIX. Quod ſi quæras. Cur Joannes, qui ſollicitus fuit ſupplere id, quod deerat de geſtis Chriſti, tempore & annis ſuæ prædicationis, nihil commemorat eorum, quæ à Domino geſta ſunt ante annum trigeſimum; cum omnia hæc à tribus Evangeliſtis non minus fuerint prætermiſſa, præter unicum illud, quod duodecimo Chriſti ætatis anno ei contigiſſe, Lucas enarrat cap. 2.?

Placet, huic quæſito reſponſum adhibere, quod tradit Grotius epiſt. 143. ad Puteanum; nimirum quid cuique Scriptori narrandum ſit, quid non, ex fine petendum eſt operis. Apoſtoli autem, & eorum diſcipuli non qualemcumque hiſtoriam Chriſti ſcribere in animo habuerunt, ſed argumentum, ſicut ejus, quod ore prædicabant, ita ejus, quod conſignabant litteris, erat, quod titulus præfert, *Evangelium*, ideſt dogma novum reſipiſcentiam exactam depoſcens, & promittens credentibus remiſſionem peccatorum, & vitam æternam... Ad hujus verò dogmatis à Chriſto revelati veritatem, & promiſſionis certitudinem teſtandam faciunt mors ejus, reſurrectio, aſcenſus in cœlum, miſſio Spiritus Sancti, miracula, per quæ omnia aptiſſimè filius Dei declaratus eſt. Hinc Evangelium duabus conſtat partibus, doctrina ſcilicet, & hiſtoria, nimirum, quæ Jeſus fecit, & docuit, ut ait Lucas Act. 1. breviter deſcribens Evangelii ſui argumentum. Quare cum ante tertium annum nihil actum ſit à Chriſto, quod ad hæc pertineret, ſed eo tempore egerit vitam privatam, Patri credito, Matrique obediens, nihil autem faciens, aut docens ad finem ſuæ miſſionis ſpectans; meritò totum illud tempus à ſacris Scriptoribus ſilentio præteritur. Hinc in Veteris Teſtamenti libris ſæpè videas, de Prophetis nihil dici, niſi ex quo Verbum Domini ad eos factum eſt, ideſt ex tempore oſtenſionis ſuæ ad Iſrael, vel id tantum, quod eorum legationem à Deo eſſe, populo perſuadere poterat, & propterea de divina Chriſti Nativitate Joannes, de humana Matthæus & Lucas diſſeruere, ut quadam veluti proluſione, certiùs magiſque commen-

Digitized by Google

mendaretur ejus Perſona, dum ſciretur, qui auctoritatem dedit Evangelio, eſſe eumdem promiſſum ex ſemine Abrahæ, & ex familia David, & inſuper ipſum Verbum, ac filium naturalem Dei.

§. VI.

Apoſtoli non habuerunt præceptum à Chriſto ſcribendi.

SI iterum quæras, an Apoſtoli habuerint præceptum à Chriſto conſcribendi Evangelia?

L. Joannes Clericus, homo Religionis, ut ajunt, Reformatæ, in calce ſuæ Harmoniæ Evang. diſſert. 3. putat, Apoſtolos habuiſſe à Chriſto mandatum ſcribendi, & non ſolùm oretenus prædicandi. Cùm enim haberent à Chriſto mandatum docendi omnes gentes, & annunciandi toti mundo ea, quæ ipſe præceperat, non poterant ſatis commodè huic mandato parere, niſi facta & dicta ejus litteris mandarent, idque tribus de cauſis. Prima, quod duodecim Apoſtoli non poſſent terras omnes obire, & apud ſingulas urbes ſat diù manere, ut viva voce omnia neceſſaria, tum ad ſibi faciendam fidem, tum ad eam confirmandam, docerent. Agebatur cum Ethnicis & Judæis, multis præconceptis variis opinionibus, graviſſimis erroribus præoccupatis, qui non poterant parvis verbis curari, ſed multi, ſæpiuſque repetiti ſermones erant neceſſarii. Altera, quod res tanti momenti, atque ad ultimas terras tranſmittenda, non poſſet ſatis tutò committi ſoli hominum memoriæ: & hac ratione incorrupta per tot ſecula perſeverare; non ſolùm enim labilis eſt hominum memoria, ſed etiam affectibus adeo perturbatur, ut meminiſſe eorum videamur, quæ vellemus audiſſe. Hinc fraudibus feneſtra maxima aperiretur, ſi nulla extarent monumenta litterarum, ad quæ recurrentes fraudes detegerent. Quomodo enim confutari poſſet dolus unius, aut aliquot virorum dicentium, ſe audiviſſe ab Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris, aut denique eorum ſucceſſoribus, ſi viri illi auctoritate pollerent? Notiſſimum erat, Judæorum magiſtros mirum in modum religionem Moſaicam corrupiſſe fictitiis Traditionibus illi admixtis. Diſceptarunt, & diſceptant etiam nunc Chriſtiani, de ſenſibus Scriptorum Apoſtolicorum, ita ut neceſſe ſit, nonnullos graviſſimè errare: quid verò fieret, ſi nulla extarent Evangeliſtarum ſcripta?

Tertia denique ſcribendi ratio quærenda eſt ex laudabili cupi-

cupiditate religioſorum hominum, qui, cum avidiſſimè audiſſent narrari dicta & geſta Chriſti, juberenturque ea, quàm latiſſimè ſpargere, optarunt, ſibi litteris conſignata dari, ne memoria ſua effluerent, ne corrupta ſemel ad plures corruptio propagaretur. Hinc, ut Lucas enarrat in ſui Evangelii exordio, multi conati erant jam ſcribere, quo & ipſe ad ſcribendum motus fuit. Hiſce motivis ducitur Clericus ad aſtruendam neceſſitatem Verbi Scripti, ut ſenſim Lectorem à fide Verbi Traditi (qualis Sectariorum eſt genius) avertat.

LI. Ego tamen utiliſſimam quidem defendo Scripturam, edoctus à Paulo 2. Timoth. 3. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia* &c.; probare tamen non poſſum, ita necesſarium fuiſse Apoſtolis ſcribere, quæ docebant, ut ſi nihil ſcripſiſsent, non implevisſent Chriſti mandatum, Evangelium ſuum toti orbi annunciandi: quod ſic oſtendo: Chriſtus nec legem ſuam ſcripſit, nec præcepit ſcribendam: *Euntes* (inquit Marci 16. 15.) *in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*: *Euntes ergò* (Matth. 28. 19.) *Docete omnes gentes*. Ubi hic mandatum ſcribendi? Non dixit: *Scribite, ſed docete, prædicate*; non dixit *ſcribentes, ſed euntes docete, prædicate*. Sanè qui præcipit alteri, ut eat & doceat, non intelligitur præcipere, ut doceat ſcripto; ad hoc enim non eſt neceſſaria præſentia docentis, ſed ſolùm ut doceat voce, præſens ſit oportet ei, quem docet.

Sed fortè dices, verbis illis Chriſti utrumque præceptum contineri, nimirùm eundi in univerſum mundum, oretenus Evangelium annunciandi, & Evangelium ore annunciatum ſcripto tradendi, ob rationes ſupra adductas.

LII. Mirum ſanè, quod Clericus, qui in quacumque alia re non vellet à Chriſto impoſitum præceptum, niſi illud inveniret in Evangelio manifeſtè expreſsum; modò velit, Apoſtolos onerare præcepto ſcribendi, cujus nec veſtigium in Evangelio apparet. Quis enim in mandato eundi, ac prædicandi conjicit unquam mandatum etiam ſcribendi? At agitur de evertenda Traditione, ejuſque uſu: ac ideo juvat, ponere mandatum ſcribendi, etiam ubi non eſt. Audiat ergò Clericus. Si Chriſtus dedit Apoſtolis ſcribendi mandatum, vel dedit hoc omnibus, ac ſingulis, ita ut omnes relinquerent ſcriptum id, quod ore annunciabant, vel dedit hoc toti collectioni Apoſtolorum, ut ſcilicet aliqui ex illis, quæ annunciabantur, litteris conſignarent. Non primum; aliàs, cum duo ſoli ex Apoſtolis ſcripſerint Evangelium, Matthæus & Joannes, reliqui, nihil ſcriptum relinquen-

quen-

quentes, tranſgreſsores fuiſsent hujus mandati. Neque ſecundum, quia, ſi habuiſsent à Chriſto in mandatis, ut aliqui ex ipſis litteris traderent, quæ ore ceteri evulgabant, debuiſsent Apoſtoli conveniſſe aliquando, & communi ſententiâ aliquos ad tale munus eligere, qui omnium nomine ſcriberent, eos Evangeliſtas deſignando; at Apoſtoli leguntur quidem pluries conveniſſe; in iis tamen Conventibus nihil unquam actum, vel dictum eſt de conſcribendis geſtis ac dictis Chriſti, ſed potius de mittendis aliquibus eorum ad Evangelium annunciandum his, vel illis populis, prout ferebat neceſſitas, ut Actor.13., ubi leguntur miſſi Paulus & Barnabas; nullus tamen de conſcribenda doctrina, quam annunciabant, vel in qua populos confirmabant, nec eo capite, nec in ſequentibus ſermo eſt. Imo D. Petrus exponens præceptum, quod à Chriſto circa Evangelium habebant Act.10.42.; de prædicatione quidem loquitur, at de ſcriptione nihil: *Et præcepit* (inquit) *nobis, prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo Judex vivorum, & mortuorum*. Ergò &c. Et quidem ſaltem nimiùm deſides fuerint Apoſtoli, ſi habentes à Chriſto mandatum, non ſolùm verbo, ſed etiam ſcripto ejus dicta & facta promulgandi, huic operi non ſtatim manum appoſuerint, aut alicui hanc curam non demandarint: ſed aliquot ſaltem annos elabi permiſerint, priuſquam aliquod ſcriptum fuerit Evangelium; & qui ſcripſerunt non Apoſtolorum juſſione, ſed fidelium rogatu, aut aliqua alia ratione conſcripſerint. Id certè evidenter demonſtrat, nullum de ſcriptione mandatum à Chriſto habuiſse.

LIII. Quod ulterius evinco. Quia Deus voluit legem Moſaicam eſse ſcriptam, hoc in Scriptura præcepit. Decalogi legem dedit Moyſi ſcriptam in tabulis Exodi 31.18. *Deditque Dominus Moyſi completis hujuſcemodi ſermonibus in monte Sinai duas tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei*. Idem reperitur ibid.cap.32. 15. & 16. & Deuteron.9.10. Moyſi expreſsè impoſuit, ut ſcriberet Exodi 17.14. *Scribe hoc ob monumentum in libro*, cap. 24. 4. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini* Exod. 34. 27. *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cùm Iſrael pepigi fœdus*, & ibi v.28. *Scripſit in tabulis verba fœderis decem*: & paſſim tale mandatum legitur in libris tum Levitici, cum Numerorum, tum Deuteronomii: ergò cum in toto Evangelio non inveniatur nec vola mandati de conſcribendis verbis, ac geſtis Chriſti, dicere fas eſt, eum non præcepiſse, ut legem, quam promulgandam eis conſignaverat, ſcripto mandarent; ſed ut eam purè annunciarent, eamque ſcriberent, non in tabulis, aut papyro, ſed in

cordibus hominum. Hinc Apoſtoli, ait Euſebius l.3. hiſt. c.24. *Adjuvantis ipſos Spiritus Sancti demonſtratione, & virtute Chriſti, quæ per ipſos plurima perpetrabat miracula, notitiam regni cælorum orbi terrarum nunciabant: neque curæ illis erat, libros ſcribere, quippe qui longè præſtantiore miniſterio, & ſupra humanas vires poſito, fungerentur*. Num ergò credibile eſt, Apoſtolis curam nullam futuram de libris ſcribendis, ſi de hoc à Chriſto mandatum habuiſsent? Inde proſequens Euſebius enarrando cauſam ſcriptionis dicit: *Soli nihilominus ex cunctis Domini diſcipulis Matthæus & Joannes ſcriptos nobis rerum commentarios reliquerunt, quos quidem neceſſitate quadam ad ſcribendum impulſos fuiſſe, perhibent*. Inde progrediens exponendo neceſſitatem, ſeu occaſionem ſcribendi, ait: *Matthæus, cùm Hebræis priùs fidem prædicaſſet, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium ſuum patrio ſermone conſcribens, id, quod præſentiæ ſuæ adhuc supereſſe videbatur* (nimirum ad prædicationis conſummationem, ut notat Valeſius) *ſcripto illis, quos relinquebat, ſupplevit*. Ecce cur Matthæus ſcripſit, quia nimirum præſens non potuit voce prædicationem abſolvere, & conſummare. Joannes, ut vidimus, converſione Hæreſum Cherinthi & Ebionis motus, addidit omnium poſtremus, quæ alii omiſerant. Marcum diximus ſcripſiſse rogatum Romæ à Fratribus cum Euſeb. lib.2. cap.15. Lucæ autem occaſio ſcribendi fuit Evangelium auditum à Paulo, ut Euſeb. lib.5. cap.8. Paulus, qui totum fere orbem peragravit prædicans, quique tot myſteria potuit annunciare *præter pauciſſimas epiſtolas* (ait Euſeb. lib.3. cap.24.) *nihil omnino ſcriptum reliquit*, & has quidem, ut videre eſt, aliqua occaſione, aut neceſſitate impulſus exaravit, ut ſcilicet credentes in fide confirmaret, aut corrigeret, aut monita præſcriberet, quæ abſens ore non poterat. Nunquid ergò ſi Apoſtoli habuiſsent à Chriſto ſcribendi præceptum, occaſionem, aut neceſſitatem, aut aliorum preces expectaſsent?

LIV. Audacter dicam. Conſcriptio Evangeliorum ex abſoluta intentione Dei non fuit aut Chriſti, ſed hominum neceſſitate, qui peccando Dei cognitionem amiſerant. Ita Chryſoſtomus Concione tertia de Lazaro. *Nam & Noë, & Abrahæ, ejuſque poſteris, & Job, & Moyſi non per litteras, ſed per ſemetipſum locutus eſt, quia ſcilicet munda eorum corda repererat. Poſtquam verò omnis populus Judæorum in vitiorum ima delapſus eſt, neceſſariò jam inde litteræ dantur, ac tabulæ, & ea, quæ per has adminiſtratur, admonitio. Et hoc non tantum Veteris Teſtamenti, ſed etiam Novi accidiſſe perſpicimus, ſiquidem nec Apoſtolis ſcriptum aliquod*

tra-

tradidit Chriſtus, ſed pro litteris Sancti Spiritus ſe illis daturum gratiam repromiſit: Ille, inquit, ſuggeret vobis omnia. Deus, qui Iſraelitas timore regebat, nec adhuc verè adſcripſerat numero filiorum, multiplices & duras leges eis præſcribebat; & ne earum ignorantiam cauſari poſsent, juſſit, Moſem eas ſcribere, ut eas intuentes; intuerentur etiam & pœnam tranſgreſsoribus inflictam. Ita non per occaſionem, ſed juſsu Dei Lex eſt litteris exarata, & poſita Judæis ut ſervis. Non ſic egit Deus cum Chriſtianis, quos filios ſuos, & amicos fecit. Pater enim non onerat duris mandatis filium, quem diligit; non illi inſtat flagellis, ſed præmiis excitat: quare filio data lex, non in tabulis, ſed in corde ſcribitur.

LV. At expendenda ſuperſunt motiva, quibus ſibi perſuadet Clericus, mandatum fuiſse à Chriſto Apoſtolis geſta ac dicta ſua litteris conſignandi. Non poterant, inquit primò, Apoſtoli terras omnes obire, Ethnicos, ac Judæos convincere pauculis verbis. Reſpondeo: qui legerit Apoſtolica geſta, quas terras obierint, quot gentes ex Judæis, ac Gentilibus ad Chriſtum traxerint, etiam ante vel conſcripta, vel ſaltem evulgata Apoſtolica, ſcripta, ſtatim conjicit hujus motivi vanitatem. Quis non demiretur audiens, ab Apoſtolis totum orbem prædicatione impletum, Europam, Aſiam, Africam Chriſti nomine imbutam? Apoſtolorum, vel ſolius Pauli peregrinationes, & itinera incredibilia videntur, & tamen vera; quia Dominus in illis erat vocem roborans, ſermonem confirmans miraculis, adeo ut gentes, vel ſolâ famâ ad eos confluerent: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*: Marci 16. 20. Recogitet ergò Clericus, Apoſtolorum prædicationem, itinera ac labores opus non fuiſse purè humanum, & quieſcet. Recogitet inſuper, non ſolos Apoſtolos orbem totum per ſe ipſos percurriſse, ſed per alios, quos identidem mittebant. At, inquiet, ſolo ſermone Ethnicorum, ac Judæorum pervicacia expugnari non poterat. Quoad Judæos expugnari poterant, provocando eos ad Legem, & Prophetas, eiſque oſtendendo omnia ibi prædicta in Jeſu fuiſse impleta ſigillatim: quod ſi ipſorum verbis non credidiſsent, quæſo, cur potiùs credidiſsent eorum ſcriptis, quæ non continerent, niſi quod prædicabant, & eoſdem Auctores haberent, quos habebat prædicatio? Quoad Ethnicos petam à Clerico, ut mihi oſtendat Ethnicum converſum ad Chriſtum per Apoſtolos vi Evangelii ſcripti, & non potiùs prædicati. Quotquot Paulus Gentium Apoſtolus ex Gentibus mancipavit Chriſto, omnes video præ-

dicatione victos, non ſcripto, & Evangelium Pauli ore, non ſcripto, ab ipſo proferebatur. Priuſquam Matthæus ſcriberet, Judæi ad quos ſcripſit, jam erant Chriſto devoti. Sic Romani, vel Antiocheni antequam ſcriberet Marcus. Antequam manus admoveret calamo Lucas, jam Paulus prædicatione ſua maximam Mundi partem Chriſto dederat: & florentiſſimæ per Aſiam conſtitutæ erant Eccleſiæ, antequam Joannes litteris Evangelium poſtremus traderet. Quæ ergò tam feliciter ſolo Verbo non ſcripto cœpta erant, & promota, non potuiſſent ſolo Verbo non ſcripto permanere?

LVI. Reponet Clericus. Puritas Evangelii non potuiſſet ſolâ hominum memoriâ illibata diu manere: irrepſiſſent mixtæ veris falſæ Traditiones. At quomodo hæc diſcretio fieri potuiſſet, cum ſcripta non eſſent, quæ proferrentur? Ita ſane. At veris Evangeliis ſcriptis falſa etiam fuere olim immixta; quomodo ergò potuit fieri verorum à falſis diſcretio? Olim circumferebantur Evangelia ſub nomine Petri, Thomæ, Matthiæ, & aliorum, Actus quoque Joannis, Andreæ, ceterorumque, ſicut nomine Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, & Pauli Acta. Unde ergò facta diſcretio fuit illorum ab iſtis? Unde dijudicari potuit, illa ſpuria fuiſſe, hæc legitima ac vera? Si ergò potuit fieri diſcretio Verbi ſcripti veri à falſo, cur non potuiſſet fieri etiam Verbi non ſcripti veri à falſo? Scripta, quæ ut Apoſtolica ferebantur, falſa deprehenſa ſunt, quia, ut ait Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 25. *Eos libros nullus unquam, qui continuata ſucceſſione ab Apoſtolis in Eccleſia docuit, in ſcriptis ſuis commemorare dignatus eſt, ſed & ipſum dicendi genus longè ab Apoſtolica ſimplicitate diſcrepat, ſenſus quoque ipſe, & quæ ibi traditur fides, cum à vera, & Catholica doctrina plurimùm quantum aberret, hæc Hæreticorum hominum figmenta eſſe, manifeſtè coarguit.* Hoc eodem criterio diſcerni potuiſſent veræ á falſis Traditionibus, ut falſas diceremus eas, quæ ab Apoſtolorum ſucceſſoribus continuò rejectæ, vel ſaltem non memoratæ fuiſſent, quarum fides à vera, & Catholica doctrina diſcreparet. Si enim ad diſcernendas veras Scripturas à falſis, recurrimus ad perpetuam Traditionem, cur non poſſemus ad diſcernendas veras Traditiones á falſis recurrere ad perpetuam Traditionem? Sanè olim ut Traditio habita fuit millenarium Chriſti regnum, modo tanquam fabula deridetur: at unde ejus falſitas detecta fuit, niſi quia defuit illi perpetuitas, quia nimirum qui continuata ab Apoſtolis ſucceſſione in Eccleſia docuerunt, eam ut apocrypham rejecerunt? Si ergo de una Traditione, quia falſa erat, id contigit, cur idem de aliis, quæ fal-

ſæ eſſent, contingere non potuiſſet? Nulla ergò fraudibus feneſtra aperiretur, ſi nihil eſſet ſcriptum, & nulla extarent monumenta litterarum; facilis enim eſſet recurſus ad Eccleſias; atque ex iis quid continua ſucceſſione ab Apoſtolis, & à Chriſto accepiſſent, certò ſciri poſſet: imò contentiones omnes, quæ modo circa ſenſus Scripturarum lacerant Eccleſias, eſſent ſublatæ, dum omnes à viſibili Eccleſiarum magiſterio doctrinam diſcerent, quam in eis Apoſtoli depoſuiſſent. Apud Judæos fictitiæ Traditiones legem Moſaicam corruperant. Fateor: apud Phariſæos tamen, non apud totam Judaicam gentem; neque enim deerant viri probi apud Judæos, qui vanas illas obſervationes aſpernarentur. Addam, ſi fictitia Traditione corrumpi poteſt Religio, corrumpi etiam poteſt fictitiâ Scripturâ: ſi ergò illa deprehendi poteſt, cur non iſta?

LVII. Ne tamen Clericus arguat novitatis hunc diſcurſum, utpote, ut ajunt, in Pontificiis ſcholis celebratum; norit, me illum hauſiſſe à primis Eccleſiæ Patribus; Irenæus enim lib.3. cap.4. poſtquam ſtatuit, apud alios non eſſe quærendam veritatem, *Quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis: uti omnis, quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ*: addit. *Si de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere, quod certum, & re liquidum eſt?* Cenſet ergò Irenæus, in controverſiis, quæ excitari poſſunt inter Chriſtianos, conſulendas eſſe Eccleſias antiquiſſimas, & ſecundum Traditionem in eis cuſtoditam dirimendas: & hoc etiam ſuppoſitis Apoſtolicis ſcriptis. Deinde ad rem noſtram veniens: *Quid autem* (inquit) *ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis: nonne oportebat, ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis, in quibus committebant Eccleſias?* Ecce quò recurrendum eſſet, ſi Apoſtoli nihil ſcriptum reliquiſſent. Et rursùs apponens exemplum in Barbaris, & Ruſticis, qui ſine ſcripto fidem illibatam cuſtodiunt, ſubdit: *Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum, quæ in Chriſtum credunt ſine charta, & atramento, ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & Veterem Traditionem diligenter cuſtodientes, in unum Deum credentes fabricatorem Cæli & Terræ, & omnium quæ in eis ſunt, per Chriſtum Jeſum Dei filium &c.* Et paulo poſt: *Hanc fidem, qui ſine litteris crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum barbari ſunt, quantum autem ad ſententiam, & conſuetudinem & converſationem propter fidem, per quam ſapientiſſimi ſunt, & placent*

Digitized by Google

cent Deo, converſantes in omni juſtitia, & caſtitate, & ſapientia. Quibus ſi aliquis annunciaverit ea, quæ ab Hæreticis adinventa ſunt, proprio ſermone eorum colloquens, ſtatim concludentes aures longè longiùs fugient, ne audire quidem ſuſtinentes blaſphemum colloquium. Sic per illam veterem Apoſtolorum Traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcumque illorum portentiloquium eſt. Ecce quomodo oſtendit Irenæus, ſoli inhærendo Traditioni fixam, ac immobilem ſervari fidem, & vinci eam impugnantes, non diſputatione, ſed contemtu ac fuga. Et quidem ubinam firmior eſt fides, quàm in pueris, mulieribus, hominibus illitteratis, qui ſine Scripturis ſolâ Traditione Eccleſiæ, à qua per ſuos miniſtros ſic imbuti ſunt, eam profitentur? Quidni ergò eſſe poſſet, ſi nulla extarent Scripta, ſed totus orbis Traditione ſola regeretur?

LVIII. Pro indaganda autem à viro docto ſoliditate, ac veritate Traditionis non acquieſcendum eſt uni, vel alteri, ſed videndum eſt, inquit Irenæus lib. 3. cap. 3., quid ſenſerint Eccleſiæ primò ab Apoſtolis inſtitutæ, quidque ſuæ curæ commiſſis populis per ſucceſſiones Epiſcoporum quaſi per manus tradiderint; & ſi omnes Eccleſiæ in aliquo dogmate conſentientes inveniantur, invictum eſt argumentum, illud ab Apoſtolis ipſis manaſſe. Ut autem id præſtet Irenæus, non exiſtimat, ſibi neceſſe fore, adire omnes Eccleſias, earum ſucceſſionis Catalogos evolvere, & quid ſenſerint explorare: longius id fuiſſet, multiſque difficultatibus obnoxium. Expeditiori ergò, ac breviori viâ procedit. Unius Eccleſiæ Romanæ Traditionem, & per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem in ea conſervatam doctrinam conſulere ſatis habuit, ut omnes Hæreticos confunderet, ratus jure merito, eâ ſemel cognitâ, omnium Eccleſiarum Traditionem, Sententiam, atque Doctrinam cognoviſſe. Cùm enim Eccleſia Romana omnium Princeps, Caput, & prima ſit; omnium maxima, antiquiſſima, & maximè cognita; & cum qua omnes omnino fideles unius, & ejuſdem fidei, & communionis colligari neceſſe ſit; utpotè quæ ab Apoſtolorum Principe Petro, ejuſque ſocio Paulo fundata; quæ ceteris omnibus pro ſuo jure præſit, ac dominetur: inde liquidò patet, aliam eſſe non poſſe aliarum Eccleſiarum Traditionem, & fidem, à fide & Traditione Romanæ Eccleſiæ. Hic eſt Irenæi diſcurſus: audiamus & verba. *Sed quoniam* (inquit) *valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet*

ab

ab Apoſtolis, Traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per ſibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, Traditio. Inde recenſitis Romanis Epiſcopis, & oſtenſo, quòd excitata apud Corinthios diſſenſio non modica fuit ſedata ſolis litteris Clementis Romani Epiſcopi, reparantis fidem eorum, & annunciantis eam, quam in recenti ab Apoſtolis acceperat, Traditionem; veniens tandem ad Eleutherium (qui Irenæi tempore Romanæ Eccleſiæ præerat) concludit: *Hac ordinatione & ſucceſſione, ea, quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia Traditio, & veritatis præconatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, unam & eandem vivificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, & tradita in veritate.* Scio, non placiturum Clerico hunc diſcurſum, cùm ei à Romana diſſentire Eccleſia ſumma Religionis ſit: Verùm hinc colligere debet, ſecundum doctrinam Irenæi, qui ſecundo ſeculo ſcripſit, ſe non eſſe in vera fide ſecundum primævæ Eccleſiæ ſententiam.

LIX. Et quidem hoc ratiocinium, ne dum in hypotheſi, quod Apoſtoli nihil reliquiſſent ſcriptum, ſed etiam ſuppoſitis Apoſtolorum ſcriptis, ſuum robur habet. Unde enim dignoſcemus, Apoſtolica ſcripta genuina à ſpuriis, niſi conſulentes Apoſtolicas Eccleſias, & ab eis accipiendo Traditionem veritatis? Unde lites de Scriptorum interpretatione, ac intelligentia dirimentur, niſi judicio eorum, quos ipſi Scripturarum Auctores ſucceſſores ſedium ſuarum, ac doctrinæ fecerunt? Ita Tertullianus tertio ſeculo lib. de præſcript. cap. 21., ubi poſtquam ſtatuit, non alios eſſe recipiendos prædicatores, quàm Apoſtolos, nec aliam doctrinam eſſe veram, niſi eam, quam ipſi prædicaverint, ut Regulam doceret ad id dignoſcendum, ait: *Quid autem prædicaverint (Apoſtoli) ideſt, quid illis Chriſtus revelaverit; & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva (quod ajunt) voce, quàm per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſint, conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis Matricibus, & Originalibus, fidei conſpiret, veritati deputandam, ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo accepit. Omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam,*

quæ

Digitized by Google

quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Hæc Tertullianus: & merito; quis enim ſanæ mentis non acquieſcat, tanquam irrefragabili, omnium Eccleſiarum judicio? *Et quid veriſimile eſt* (ſubdit cap.28.) *ut tot, ac tantæ Eccleſiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt exitus. Variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Ceterum quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergo aliquis dicere, illos erraſſe, qui tradiderunt?* Hæc abundè dicta ſint, ut Clericus videat, etiam ſemotis ſcriptis Evangelicis fore Evangelicam Traditionem, quæ communicata per ſucceſſionem Paſtorum in Eccleſia ſufficiens eſſet ad diſcernendum verum à falſo, & dirimendas lites, quæ inter Chriſtianos poſsent exoriri. Sed juvat Proteſtantes, Traditiones abjicere; quia eorum novitatibus contradicunt; & quia eis abjectis facilius in ſenſus ab ipſis confictos trahunt Scripturas, licèt repugnantes. Utilitatem, ac neceſſitatem Traditionis demonſtravimus in vera Eccleſia tom.2. part.1. art.4. & tom.1. in 1.p. q.3. de locis Theologicis dub.3. & in lib. de Eligenda ſententia. Interim legere præſtat Vincentium Lirinenſem in toto ſuo Commonitorio.

LX. Eadem ratione corruit tertium Clerici motivum, nimirùm, ut ſatis fieret cupiditati fidelium, quia optaſſent legere geſta, quæ ab aliis audierant. Id enim probat quidem, convenientiſſimum fuiſse litteris exarare Evangelia, ſed non evincit de hoc mandatum acceptum à Chriſto: quin ſi hoc mandatum extitiſſet, non expectaſsent Apoſtoli Fidelium petitionem, ſed id ſua ſpontè fecisſent. Addo, quod licèt Apoſtoli doctrinam Evangelicam ſola voce tradidisſent, potuiſsent alii, quæ ab Apoſtolis, aut viris Apoſtolicis audiviſsent, tractu temporis in conſolationem fidelium litteris exarare, ut modo præter Evangelia, & Apoſtolica ſcripta legimus in Hiſtoriis, & Patribus. Addo, quod, licèt nulla extarent ſcripta, fieret ſatis cupiditati credentium, repetitis vicibus audiendo ſemel audita ab ore parentum, & Eccleſiæ Paſtorum; ſicut audiunt modo ii, qui litteras non noverunt. Unico verbo: Congruum quidem ac utiliſſimum fuit ſcribere, ſed neceſsarium & à Chriſto impoſitum non video.

* * *

CA-

CAPUT II.

Alii libri Novi Fœderis Proto-Canonici.

§. I.

Acta, & Epiſtolæ Pauli.

I. PRæter quatuor Evangelia, alii Novi Fœderis libri ſunt, de quorum authenticitate nullo unquam ſeculo, & apud nullum Catholicum fuit dubitatum, ideoque Proto-Canonicis accenſendi. Hi autem ſunt Acta Apoſtolorum, Pauli Epiſtolæ, excepta Epiſtola ad Hebræos, prima Joannis, & prima Petri. Ita Euſebius lib.3. cap.25., Sixtus Senenſis lib.1.ſect.1. Bellarminus lib. de Verbo Dei cap.4. & meritò; præfati enim libri omnes reperiuntur in Canonibus etiam antiquis, ut in Canone 59. Concilii Laodiceni, Can. 47. Carthaginenſis III. ex Innocentio I. Epiſt. 3. ad Exuperium cap. ultimo, Gelaſio 1. in Decreto de Libris ſacris, & in aliis Canonibus Conciliorum poſteriorum, ut Florentini in Inſtitut. Armen., & Tridentini ſeſſ.4., quod argumento eſt, nullo unquam tempore fuiſſe dubitatum de illorum auctoritate.

II. Acta Apoſtolorum auctorem habere Lucam, de quo ſupra diximus, Evangelium ſcripſiſſe, eruitur ex eo, quod eidem Theophilo, cui inſcribitur Evangelium, inſcribuntur & Acta, ut legenti utriuſque exordia conſtabit. Conſcripta fuiſſe Romæ, vel Antiochiæ ſupra diximus. Dicitur liber ille *Acta Apoſtolorum*, quia ſicut Evangelia continent Acta Chriſti, ita ille continet Acta Apoſtolorum, ſeu, ut advertit Sixtus Senenſis citatus, ea, quæ Spiritus Sanctus geſſit per Apoſtolos, poſtquam in eos deſcendit. Non tamen omnium Apoſtolorum Acta continet, ſed tantùm Petri & Pauli, nam ceterorum obiter tantum fit mentio: imò poſtquam Lucas Pauli comes evaſit, de eo ſolo pergit loqui. De ceterorum Apoſtolorum actibus vix tenuis ad nos fama manavit. Deſinit hæc hiſtoria in biennium Romæ commorantis Pauli. An autem omnia, quæ hìc enarrat Lucas, propriis oculis conſpexerit? S. Hieronymus affirmat: *Acta verò Apoſtolorum, ſicut viderat, compoſuit*. Hoc tamen ex parte intelligendum, cenſeo, non ex toto; valdè enim probabile eſt, illum non vidiſſe ea, quæ acta ſunt in Judæa, cùm ab Apoſtolis, tum à Paulo: quod ex eo conjicio, quia ſolùm loqui incipit in pri-

prima perſona pluralis numeri, ac proindè tanquam teſtis ocularis, cap.16. v.11. Igitur antecedentia credibile eſt eum conſcripſiſſe ex narratione audita à D. Paulo, aut aliis ejus ſociis. Addo, quia, ut ſupra obſervavimus, credibile eſt, eo tempore, quo Apoſtoli primò morabantur Hieroſolymis, ſanctum Lucam nondum converſum ad Chriſtum, ſed adhuc Antiochiæ fuiſſe. Liber iſte fuit ſcriptus Græcè; refert tamen Sixtus Senenſis, translatum in Hebraicum à Joſepho quodam Hebræo Tiberino Comite in Gazophylatio Judæorum Tiberiadis repertum fuiſſe anno à Chriſto nato 370. Feruntur Marcionitæ, & Manichæi hunc librum repudiaſſe; ſed cum univerſa Catholica Eccleſia illum ſemper ſuſceperit, verè Proto-canonicus habendus eſt.

III. S. Paulus quis fuerit, narrat ipſe in concione, quam habuit Act.22.3. *Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus in iſta Civitate* (nimirùm Hieroſolymis) *ſecus pedes Gamalielis eruditus juxta veritatem paternæ legis* (Judaicæ: ibi v.28.) *Natus* Civis Romanus, ad Philippenſes 3. 5. *Circumciſus octavo die ex genere Iſrael de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei, ſecundum juſtitiam, quæ ex lege eſt, converſatus ſine querela.* Act.18.3. *Artis ſcenofactoriæ peritus.* Ejus mirabilis ad fidem converſio legitur in Actibus Apoſtol. cap.9., quo in libro, ſicut in ejus Epiſtolis, leguntur omnia ejus geſta, itinera, labores, prædicationes. Tandem una cum ſancto Petro Romæ martyrio coronatus fuit, Nerone perſecutionem movente anno Chriſti circiter ſexageſimo quinto.

IV. Occaſione Prædicationis ſcripſit varias Epiſtolas ad inſtruendos, aut confirmandos in fide recens converſos, quas Græcè ſcripſit, ſi unam excipias ad Hebræos, de qua ſuo loco. Hæ autem, de quibus nunquam dubitatum eſt, tredecim ſunt. Nimirùm, una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galatas, una ad Epheſios, una ad Philippenſes, una ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem. In ordine harum Epiſtolarum non ſervatur ratio temporis, quo fuerunt ſcriptæ, ſed potiùs ratio dignitatis eorum, ad quos ſcribuntur, ita ut priùs recenſeantur, quæ ad Eccleſias in communi ſcriptæ, deinde quæ ad particulares perſonas. Primo autem loco ponitur Epiſtola ad Romanos, tum quia Eccleſia Romana omnium Caput, & Matrix eſt; tum quia, ut ſcribit Paulus cap.1. v.8. ejuſdem Epiſtolæ, etiam tunc celeberrima erat fides illius toto orbe. Deindè ſequuntur ad Corinthios ſcriptæ, quia Corinthiaca Eccleſia poſt Romanam erat no-

nobiliſſima earum, ad quas Paulus ſcripſit: ſicque de aliis.

V. Epiſtolam ad Romanos Paulus dedit, ut conciliaret diſcordias inter fideles, ex Hebræis & Gentilibus vocatos, qui de prælatione inter ſe diſſidebant: contendentibus qui fuerant ex Judæis, ſe in miniſterio præferendos, quia ex Populo electo, ac cum Deo fœderato: qui verò ex Gentibus fuerant, primas ſibi arrogantibus ob ſapientiam, ac virtutes morales, quas excoluerant, ob à Deo rejectos Judæos, ob Chriſtum ab ipſis occiſum &c. Contra primos ergò oſtendit Paulus, legis Moſaicæ inutilitatem, & contra omnes propriorum cujuſque meritorum vanitatem. Probat, omnes peccaſſe, & eſſe naturâ filios iræ, ideoque nullis propriis meritis, ſed ex ſola Dei gratiâ eſſe ad fidem, & Chriſtianiſmum vocatos; apud ipſum enim *non eſt diſtinctio Judæi, & Græci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*, ut ait Paulus ibi cap. 10. v. 12. Ideoque illos ad pacem, & virtutum exercitia exhortatur.

VI. Quo autem ex loco ſcripta fuerit, probabiliter exiſtimatur cum Origene præfat. in hanc Epiſtolam, eam datam fuiſſe Corinthi; cùm enim latrix illius fuerit Phebes Eccleſiæ Cenchrienſis Diaconiſſa, quam proinde cap. 16. v. 1. & 2. Romanis commendat, ut eam benignè ſuſcipiant; Cenchris autem erat portus, & Pagus Corinthi. Cùm inſuper inter eos, qui cum Paulo aderant, & quorum nomine Romanos ſalutat, erant Cajus, & Eraſtus ibid. v. 23. *Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia. Salutat vos Eraſtus arcarius civitatis*. Conſtat autem, utrumque fuiſſe Corinthium; Cajum quidem ex 1. Cor. 1. 14., Eraſtum autem ex 2. ad Timoth. 4. 20. Scripta autem creditur non primo Pauli adventu Corinthum, ſed altero, cujus mentio fit Act. 19. 21., quando Paulus inſtituit iter per Macedoniam & Achajam Hieroſolymam verſus, de quo in hac Epiſtola cap. 15. v. 24., & quia in hac Epiſtola additur, id iter inter alia eò pertinere, ut Paulus collationes in ſubſidium pauperibus Hieroſolymitanis adferret, inde colligit Chryſoſtomus, duas, quæ ſunt ad Corinthios, priùs fuiſſe ſcriptas, quia 1. Cor. 16. 1. & 2. Cor. 9. 1. 2. illa ſubſidia parantur. Hæc Grotius Procemio in hanc Epiſtolam, quæ deſumſit ex Chryſoſtomo Præfat. in epiſt. ad Romanos, à Studioſo videnda.

VII. Priorem ad Corinthios Epiſtolam ex Epheſo ſcriptam cum Œcumenio, vult Sixtus Senenſis, motus ex ejuſdem c. 16. 8., & Act. cap. 19. 1. Pluribus placet, eam datam fuiſſe Philippis. Hujus bajuli fuere Stephanus, & Fortunatus, quibus addunt alii Achaicum, & Timotheum. Occaſionem eam ſcri-

bendi dedere contentiones, quæ Corinthios baptizatos diviſerant, & in ipſis diviſerant Chriſtum. Baptizati enim ab Apollo dicebant, ſe eſſe Apollo, ſicut & baptizati à Paulo, ſe eſſe Pauli; quo fiebat, ut & baptizati à Cepha dicerent, ſe eſſe Cephæ. Inſuper cum Corinthii venereis voluptatibus maximè dediti forent (unde Corinthiari vulgò Græcis eſſet ſcortari; & Platoni *puella Corinthia* eſſet eadem, ac ea, *quæ ſe vulgat*, quare ſemper celeberrimas meretrices Corinthi fuiſſe, notat Scholiaſtes Nazianzeni ad priorem orat. in Julianum) & Epicureis dogmatibus imbuti poſt hanc nullam aliam vitam expectarent: quia item luxuriam comitatur ebrietas, ideoque Ælianus ſcribit, ebrioſos etiam fuiſſe Corinthios: & tandem quia divites & ſapientes ſuperbi etiam adeò fuere, ut eos ad Romanorum uſque contemtum ſuperbia deduceret, qui excidium eis peperit Victore Mummio: Duobus ergò annis in eis laboraverat Paulus, & tandem Chriſto non paucos lucrifecerat. At licet ei benè ceſſiſſet, commentitios eorum Deos, & præcipuè Corinthiacam Venerem evertere, non tamen adeò facile illi fuit, inolita vitia meliori diſciplinæ ſubjugare. Serpebant ergo hæc apud Corinthios Neophitos, quæ ſecum mala intolerabilia trahebant; ideoque & hæc certiorem factum moverunt Paulum ad hanc Epiſtolam conſcribendam.

VIII. Poſteriorem ad Corinthios Epiſtolam Philippis datam cenſet Sixtus Senenſis, Nicopoli autem in Græcia Baronius. Neque ſtatim poſt priorem, neque multum poſt eam ſcripſit; tantum enim intervalli, credibile eſt, fuiſſe, quo Timotheus à Paulo miſſus ire Corinthum potuit, mandata Pauli explicare, & ut eis pareretur adlaborare, & ad Paulum redire. Labor autem ejus Corinthi apud pleroſque benè ſucceſſerat, meliores enim erant facti: ſiquidem & illum, qui ſtuprum cùm uxore patris commiſerat, cui prius applaudebant ſuper eo glorianteſ, ejecerunt ac prorsùs abſciderunt. Quin & pecuniarum collectionem, quam fieri juſſerat, multo ſtudio collegerant. Par ergò erat (inquit Chryſoſtomus homil.1. in hanc Epiſtolam) ut quemadmodum peccantes increparat, ita correctos complecteretur, & collaudaret. Hinc eſt, quod per totam hanc Epiſtolam non admodum invehitur in eos, ſed ſolùm circa finem contra quoſdam ex Judæorum genere, qui faſtu elati, ac Paulo invidentes, eum traducebant, ut impoſtorem, & nullius pretii virum, ideo contra illos aliquantulùm acuit ſtylum.

IX. Epiſtola ad Galatas omnibus Galatiæ Eccleſiis data eſt, teſte ſancto Hieronymo in cap.1. ejuſdem Epiſt. Nicopoli ſcriptam cenſent aliqui poſt ſanctum Chryſoſtomum: alii Epheſi

cum

cum quibuſdam latinis Codicibus: Romæ dicunt multi cum SS. Hieronymo, Athanaſio, ac Theodoro, licèt nonnullis hoc non placeat, quòd in hac Epiſtola mentionem non faciat vinculorum ſuorum, ſicut in aliis Epiſtolis Romæ ſcriptis. An verò hæc negativa ſit alicujus ponderis judicet prudens. Certè ſecundum S. Chryſoſtomum (præfat. in Epiſt. ad Romanos) & Tertullianum, qui putant hanc præceſſiſſe Epiſtolam Romanis datam, non potuit eſſe Romæ ſcripta, quia Paulus, dum ſcripſit Romanis, nondum Romæ fuerat, ut videre eſt cap. 1. ejuſdem Epiſtolæ v. 10. & 13.

X. Occaſio autem eam ſcribendi fuit corripere quoſdam, qui Judaicis Ritibus plus æquo indulgebant, nulla quidem pietate moti, ſed ut eâ ratione honores, commoda adipiſcerentur, quibus tunc temporis per leges Romanas capaces erant Judaiſmi profeſſores; & evitarent incommoda, quibus jam ſubjici cœperant Chriſtiani. Porrò quia non deerant, qui Pauli doctrinam hæc damnantis ſuſpectam redderent, dicentes, Paulum jus docendi, non niſi à Petro, Jacobo & Joanne accepiſſe, ac proindè illorum inſtituta inſtitutis Pauli antehabenda; & rursùs hac in re Paulum ipſum fuiſſe varium: Paulus vehementiori ſtylo, & magno animo oſtendit, ſe non minus, quàm alios Apoſtolatum ſuum à Chriſto accepiſſe, neque Petrum, Jacobum, aut Joannem aliud docere, quam ipſe doceat: ſe quoque (licèt in uſu, aut omiſſione Judaicorum Rituum ſolitus eſſet, ſe accommodare utilitati eorum, quibuſcum viveret) idem tamen de libertate iis utendi, vel non utendi, docuiſſe ſemper.

XI. Sequitur Epiſtola ad Epheſios. Hanc è vinculis, quibus Romæ detinebatur, per Tichicum Diaconum miſit Paulus ad Fideles Epheſi commorantes. Ibi Paulus Eccleſiam conſtituerat, ut videre eſt Actor. 18. & 19. Verùm eo digreſſo, multi extitere, qui Chriſtianis multa mala ferentibus propter Evangelium, perſuaderent, poſſe hominem rectè vivere, & vitam æternam conſequi, ſequendo Philoſophorum ſcita, puta Heracliti, qui Epheſius fuerat, aut Pythagoræ, qui, ut notant Græci, quos inter Chryſoſtomus præfat. in hanc Epiſt., illinc nomen celebre aſſecutus erat. Illic etiam erant multi Judæi, ut ex Actis, & Joſepho apparet, qui ſtudebant, Chriſtianos ad ſuos ritus traducere. Oportebat ergò, ut Paulus eos in fide, quam amplexi fuerant, ſolidaret. Quia autem ad viros non modicâ ſapientiâ imbutos ſcribebat, exactiori ſtudio, ac ſtylo altiori in conſcribendo uſus eſt, ait D. Chryſoſtomus laudatus.

XII. Philippenſes, inquit Chryſoſtomus, dicti ſunt à Philip-

lippis civitate Macedoniæ, quæ eſt civitas Colonia, quemadmodum refert Lucas Act. 16. Hic illa purpuraria converſa eſt, mulier admodum religioſa, ac piis operibus intenta. Hic Synagogæ Princeps credidit, ac prorsùs ſplendidum initium habuit illic Evangelii prædicatio. Ibi bis fuerat Paulus Actor. 16. & 20. Philippenſes autem fideliter cuſtodierant ea, quæ acceperant, amoremque in tam bonum Magiſtrum, ac reverentiam multis modis erant teſtati. Ideo hæc Epiſtola lætior, alacriorque, ac blandior eſt, quàm ceteræ: iis gratulatur, quod inter malos ſanctè vivunt; & ſibi, quód tales habeat diſcipulos. Inſurgit tamen nonnunquam in aſperitatem aliquam oratio adverſus homines ſimiles iis, quos ad Galatas notat, qui cum Judæi ipſi non eſſent, illis tamen, quos Paulus ex Gentibus converterat, ſuadebant Judaiſmum, occaſione captâ ex vinculis Pauli, & malis, quæ Chriſtianis non Judaizantibus imminere videbantur. Scripta eſt hæc Epiſtola Romæ, dum Paulus Neronianis vinculis detineretur, & miſſa per Epaphroditum latorem munerum.

XIII. Ad Coloſſenſes ſcribendi Paulo occaſio fuit hæc: Erant Coloſſis civitate Phrygiæ Simoniani, ſeu Simonis Magi ſectatores, qui multas Gentilium ac Judæorum obſervantias retinebant, docebantque, Deum eſſe noſtris precibus inacceſſibilem, ac proinde Angelos, ut internuncios eſſe obſecrationibus compellandos, non autem Chriſtum; quem purum hominem fuiſſe impiè aſſerebant, Epiphanio teſte hæreſ. 21. Hoc malum pullulans Coloſſis, ac Laodiceæ movit S. Paulum; etſi enim Coloſſenſes nuſquam fortè vidiſſet, ut ait Chryſoſt. homil. 1. in hanc Epiſtolam: *Nondum viderat autem Apoſtolus neque iſtos, neque Romanos, neque Hebræos, cum ad illos ſcriberet*: ad illos ſcribere decrevit ex eodem Romano carcere, mittens Epiſtolam per Tychicum & Oneſimum, eamque in Laodicenſium Eccleſia legi, præcepit; in ea Chriſti excellentiam extollens, hortanſque, ut caveant à fallaciis Philoſophorum, aliaque monita præſcribens.

XIV. Notat D. Chryſoſtomus, omnes Epiſtolas Pauli egregias eſſe, ſed omnium in primis eas, quæ Româ ex vinculis miſſæ ſunt. *Omnes quidem* (inquit præfat. ad hanc Epiſt.) *Epiſtolæ Pauli ſanctæ ſunt, habent tamen amplius quiddam, quæ ab eo ex vinculis ſunt miſſæ, utpotè quæ eſt ad Epheſios, quæ ad Philemonem, quæ ad Timotheum, quæ ad Philippenſes, & præſens iſta. Etenim & ipſam vinctus miſit, quemadmodum ſcribens dixit: Propter quod & vinctus ſum, ut manifeſtem illud, ſicut oportet me loqui.* Et addit: *Videtur autem iſta poſt eam, quæ ad Romanos eſt, data eſſe.*

Nam

Nam illam quidem Romanis ſcripſit, cùm eos nondum vidiſſet, iſtam verò, cum jam vidiſſet, & prope finem eſſet prædicationis ſuæ &c.

Si autem quæratur, an Coloſſæ eadem civitas fuerit, ac Rhodus? Reſpondebo negativè. Illa enim fuit civitas Phrygiæ non procul à Hierapoli, & Laodicea, quarum fit mentio cap. 4. v. 13. Hæ autem urbes non multò poſt ſcriptam hanc Epiſtolam terræmotu corruere. Ideo apud Ptolemæum non reperiuntur.

XV. Quæ ſequuntur, ſunt duæ ad Theſſalonicenſes. Putat Grotius, ordinem hîc fuiſſe inverſum, ut quæ ponitur ut prior, deberet eſſe poſterior, quia tempore poſteriori ſcripta; at quidquid ſit, motivum ſcribendi eam, quæ eſt, aut dicitur prior, fuit: cùm obiter tantum Theſſalonicæ, quæ eſt Macedoniæ Metropolis, evangelizaſſet, multique Verbum Dei ſuſcepiſſent, ut patet Actor. 17. v. 11., & propterea fuiſſet in ipſum à Judæis concitatus tumultus, quo coactus fuit egredi, & fratres vexationibus eſſent obnoxii, horum perſeverantiæ certior factus, ipſis ſcribendum duxit, ut eorum fidei, ac patientiæ gratularetur, monens, ut tradita præcepta corde, & opere cuſtodirent, addens, diem extremi judicii inſperatò adfuturam. Hanc Epiſtolam per Timotheum miſſam, nonnulli Athenis, alii Corinthi datam volunt.

XVI. Quia verò fortè territi fuerant Theſſalonicenſes expectatione inſtantis judicii malè intellecti, vel quia ſubdititiis litteris fraudulentorum Doctorum circumventi; ut eos à metu ac deceptione erigeret, poſteriorem ad eos dedit Epiſtolam, in ea ſeductores carpit, quia turpis lucri gratiâ Evangelio abutebantur, monens Chriſtianos, ut ab illis caveant: ac Judicium extremum non adventurum, non adfuturum, antequam apparuerit filius perditionis, i. Antichriſtus. An hæc Epiſtola data fuerit Athenis, vel Corinthi, vel Laodiceæ, non convenit inter Interpretes.

XVII. Sequuntur duæ Epiſtolæ ad Timotheum. *Unus ex Apoſtoli diſcipulis Timotheus fuit* (inquit Chryſoſt. præfat. ad primam Epiſtolam ad Timoth.) *Atteſtatur autem & Lucas in Actibus Apoſtolorum, mirabilis eum fuiſſe indolis juvenem, cui à fratribus, qui Lyſtris, atque Iconii morarentur, teſtimonium perhibebatur probitatis, atque virtutis* à teneris annis. Quidam cum patriâ Theſſalonicenſem putant ex Act. 20. v. 4., alii Lyſtrienſem ex Lycaonia, vel Derbenſem ex cap. 16. v. 1. Quod certò conſtat, Timotheum á Patre Gentili, & Matre Chriſtiana Eunice fuiſſe, à qua credibile eſt, à prima ætate commendatum fuiſſe Paulo imbuendum 2. Timoth. 1. 5. Ex iis autem, quæ narrat

rat Lucas Act.16.1.2. & 3. conjicitur, eum Chriſto nomen dediſſe, antequam Paulus Lyſtram veniret, & tunc ſolùm acceptatum fuiſſe á Paulo in ſocium ob bonum teſtimonium, quod de ejus virtute reddebant fratres; legitur enim: *Pervenit autem Derben, & Lyſtram* (Paulus) *& ecce diſcipulus quidam erat ibi*, (quod indicat ante eum fuiſſe diſcipulum) *nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, & Patre Gentili. Huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant, & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci, & aſſumens circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd Pater ejus erat Gentilis*. Circumcidit autem Timotheum Paulus, quia ſperabat, ipſius operâ multos ex Judæis nondum converſos ad Chriſtum poſſe converti, quorum nonnulli rigidioribus illis ſententiis occupati, conſuetudinem, ſermonemque ejus declinaturi fuerant, ſi ſciſſent incircumciſum. Sic Paulus circumciſionis uſum, & omiſſionem ex temporum, locorumque utilitate metiri noverat; nondum enim evaſerat mortifera, licet inutilis circumciſio. Ob egregiam ejus pietatem adhuc junior Epiſcopus Epheſiis datus fuit à Paulo, ut ait Euſebius lib.3. hiſt. cap.4. ab eoque binis Epiſtolis de iis, quæ veri Paſtoris partes, & munera eſſe debent, inſtructus. Cui Eccleſiæ eum per 50. annos præfuiſſe, aliqui tradunt: & ob improbatum Dianæ cultum martyrem occubuiſſe lapidibus obrutum. Priorem Epiſtolam in Macedonia ſcriptam vult Baronius, quidam verò Laodiceæ Metropolis Phrygiæ. Secundam verè datam fuiſſe Romæ, certum videtur; incertum tamen, an in primis, vel in ſecundis vinculis. Refert tamen Grotius de Imperio ſummarum poteſtatum num.6. pag.272. vetuſtiſſimos Græcos Codices Novi Teſtamenti in fine 2. ad Timotheum hæc verba ſubjicere: *Poſterior epiſtola ad Timotheum primum ordinatum Eccleſiæ Epheſiorum Epiſcopum, Romá ſcripta eſt, cum ſcilicet altera vice coram Cæſare Nerone Paulus judicio ſiſtebatur*.

XVIII. Ad Titum quoque Epiſtolam dedit Paulus. Hunc Chryſoſtomus putat fuiſſe domo, & patriâ Corinthium, colligitur ex Act.18.7., ubi narratur, quod Paulus, dum eſſet Corinthi, & in Synagoga diſputaſſet, *migrans inde, intravit in domum cujuſdam nomine Titi Juſti, colentis Deum, cujus domus erat conjuncta Synagogæ*, ex quo conjicitur Titum fuiſſe domo Corinthium, niſi fortè, ait Chryſoſtomus, *alius aliquis apud eos fuerit eodem nomine*. Ad robur hujus accedit, quia Titus Corinthiorum nomine venit ad Paulum referens deſideria eorum, fletum, æmulationem pro ipſo, ut 2. Corinth. 7.7. Titus miſſus à Paulo fue-

fuerat ad Corinthios 2.Cor.12.18., & fortè primam Pauli Epiſtolam ad Corinthios ipſe tulerat; conſueverat autem Paulus mittere Concives eorum, ad quos mittebat; ſicut Tychicum Epheſium ad Epheſios miſit.

XIX. Titus ergo iſte unus inter multos fuit, qui ſe navigationi Pauli dederunt comites. Eum Paulus, cum Cretam tranſiret, initia ibi Eccleſiarum videns (fortè ex illa diſperſione poſt Stephanum) reliquit, ad ea agenda, quæ erant Metropolitæ, illius Inſulæ Eccleſiis præpoſitum, ut refert etiam Euſebius lib.3. cap.4. Ad eum ergo Epiſtolam Paulus dedit, nihil aliud continentem, quam ſcripta de functionibus Epiſcopalibus monita, quæ priùs ore illi communicarat. Unde fuerit data, incertum. Aut Roma, aut aliquo alio Italiæ loco inter prima, & ſecunda vincula, exiſtimat Grotius cum Chryſoſtomo (præfat. in ipſam) eo enim tempore Paulus liber erat, & propoſitum illi erat tranſire in Epirum (nimirùm Nicopolim Epiri, ut intelligit Hieronymus, non autem Nicopolim Thraciæ) ubi conſtituerat hiemare ad Tit.3.12.

XX. Poſtrema ordine eſt Pauli Epiſtola ad Philemonem. Videtur Philemon habitaſſe Epheſi, ubi Oneſimus poſtea Epiſcopatu functus eſt, ut Ignatii litteræ teſtantur, referente Euſebio lib.3. hiſt. cap.36. Erat unus ex Presbyteris, vel Senioribus, quorum plures Epheſi erant Actor.20.17., quos Apoſtoli ſui operis adjutores vocabant Rom.16.3.9. Philipp.2.25., Coloſſ.4.11. Quantæ autem pietatis fuerit Philemon conſtat, quod domus ejus adeo fidelis erat, ut à Paulo hic v.2. Eccleſia appelletur; in ejus enim domum, utpotè viri nobilis, non ſolùm omnes fideles erant, qui eam habitabant, ſed & complures conveniebant ad preces, & alia pietatis opera Chriſtiani. Quamquam tunc temporis, Tertulliano teſte, *Tres Eccleſiam faciebant*; ſic qui erant in Aquilæ, & Priſcillæ domo, Eccleſia dicuntur Roman.16.5., 1.Cor.16.19., & qui in Nymphæ domo Coloſſ.4.15.

XXI. Argumentum Epiſtolæ eſt. Philemoni ſervus erat Oneſimus, qui Dominum fugerat, quibuſdam rebus domeſticis compilatis. Hic profectus Romam, cum Paulum carcere incluſum inveniſſet, doctrina Apoſtoli firmatus, baptiſmatis quoque gratiam illic promeruit. Scribit itaque Paulus commendans illum Domino, ut omni gratia, quæ in ſe fuerant admiſſa, dimitteret, eumque ut nuperrimè regeneratum gratè ſuſciperet. Ita ex Chryſoſtomo præfat. ad hanc Epiſtolam: imo ex eadem Epiſtola colligitur: *Obſecro te* (inquit Paulus v.10. & 11.) *pro filio meo, quem genui in vinculis, Oneſimo: qui tibi aliquando inutilis*

tilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis, quem remiſi tibi: tu autem illum, ut mea viſcera ſuſcipe.... Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Hunc Oneſimum adeo in Evangelio profeciſſe, aliqui volunt, ut eumdem dicant fuiſſe, quem ſupra diximus conſtitutum fuiſſe Epiſcopum Epheſiorum poſt Timotheum. Scriptam hanc Epiſtolam Româ ex carcere, nemo ambigit. Licet autem omnium poſtrema in Canone collocetur; tempore tamen, licèt ex poſterioribus, quia ſub extremam Pauli ſenectutem ſcripta, non fuit omnium poſtrema (ait S. Chryſoſtomus præfat. ad epiſt. ad Romanos) præceſſit enim Epiſtolam ad Coloſſenſes, id, quod ab Epiſtolæ fine manifeſtum eſt cap. 4. v. 7. 8. 9.; Coloſſenſibus enim ſcribens, ait, de omnibus rebus meis certiores vos faciet Tychicus, quem miſi una cum Oneſimo fido & dilecto fratre. Hic autem Oneſimus is erat, pro quo Epiſtolam ad Philemonem compoſuit; ac quod non alius eſſet illi cognominis, patet ab Archippo: quem enim in Epiſtola ad Philemon. ſocium accepit exhortationis pro Oneſimo ſuſceptæ, hunc & ad Coloſſ. ſcribens excitat his verbis: *Dicite Archippo: Vide miniſterium, quod accepiſti, ut illud impleas.* Hæc Chryſoſtomus.

XXII. Quia autem aliquis dicere potuiſſet, hanc Epiſtolam aliis Canonicis ſuperfluè adjectam fuiſſe, utpotè pro viro uno, & pro re adeo parva conſcriptam: ſciat, oportet, quiſquis ille ſit, ex hac Epiſtola multum nobis accedere utilitatis. Primò enim nihil negligere, hoc monemur exemplo. Secundò, de nullo etſi malo eſſe deſperandum, cum ſervum Oneſimum, quamvis furti apud Philemonem reum, ad ſe tamen confugientem Paulus benignè ſuſceperit, fide imbuerit, baptizaverit, videnſque eum clarere virtutibus, tandem voluerit habere ſocium. Quod ſi ſervi non ſunt in deſperationem agendi, quantò magis non erunt filii? Tertiò, ſervos à Dominis non eſſe abſtrahendos. Nam ſi Paulus, qui adeo Philemoni confidebat, Oneſimum ſibi adeo utilem ac neceſſarium, ad miniſterium tenere noluit præter ſententiam domini; multò ſanè magis id à nobis quoque præſtandum eſt. Tandem docet nos non erubeſcere ſervos, ſi probi ſint. Hæc ex Sancto Chryſoſtomo Præfat. in dictam Epiſtolam, ubi adeo reputat nobis utile quicquid fuit geſtum vel dictum a Sanctis, & maximè Apoſtolis, ut doleat, non eſſe conſcripta vel minima eorum opera aut verba; certus, nos in quocumque vel minimo reperturos, quid diſcamus, & in quo corrigere poſſimus noſtros mores. Idem reſpondet S. Hieronymus præfat. in hanc eandem Epiſtolam, addens, Marcionem, qui ce-

ceteras Pauli Epiſtolas impudenti temeritate aut rejecit, aut in eis aliquid immutavit, in hanc ſolam non fuiſſe auſum manum mittere.

§. II.

Epiſtola prima Petri, & prima Joannis.

QUæ ſequuntur, nimirum prima Petri & prima Joannis, Catholicæ dicuntur, quia ſcriptæ ſunt, non pro aliqua perſona, aut populo, ut ſupra recenſitæ, ſed pro tota & univerſali Eccleſia.

XXIII. Epiſtola Petri auctorem habet Simonem Petrum Apoſtolorum Principem, ſupra quem Chriſtus ædificavit Eccleſiam, ideoque Simonis nomen ei tranſtulit in *Cephas*, quod interpretatur *Petra*. Natus fuit Bethſaidæ in Galilæa, ſed plerumque Capharnaum moratus: filius Jonæ, frater Andreæ Apoſtoli, à quo præſentatus eſt Jeſu. Romæ cruci i verſo capite affixus martyr pro Chriſto obiit 13. Neronis anno. De hac Epiſtola, ejuſque auctoritate nunquam dubitatum fuit, teſte Euſebio lib. 3. cap. 3. & cap. 25. Miſſa fuit Judæis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithiniam diſperſis, & à Judaiſmo ad Chriſtum converſis. Oſtendit ipſis beneficium redemtionis, & vocationis ad fidem, hortatur eos ad novam vitam &c. Scripta propterea Græcè, linguâ illis partibus uſitatiore. Miſſa fuit per Silvanum, aut *Silam*, ut videtur colligi ex cap. 5. v. 12. *Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi*, quamvis alii exiſtiment, ex præfatis verbis ſolùm colligi, Silvanum fuiſſe Amanuenſem, qui dictante Petro eam ſcripſerit, non qui eam Epiſtolam tulerit.

XXIV. Tempus, quo fuit ſcripta, ſi Baronio credimus, fuit Chriſti annus circiter quadrageſimus quintus, & proinde ante omnes Epiſtolas alias Canonicas. Locus autem, ex quo ſcripta fuit, videtur prima facie fuiſſe Babylon, ſive Chaldaica, ſive Ægyptiaca. Secundum ſententiam tamen Veterum ac Recentiorum Catholicorum ſcripta fuit Romæ, quæ Babylonis nomine tegitur. Ita Euſebius lib. 2. hiſt. cap. 15. S. Hieronymus de Script. Eccleſiaſt. Hoc autem ideo factum, vel ut incolatum ſuum adverſariis ſuis occultaret, quorum in manus incidere poterat hæc Epiſtola: vel quia Romæ fideles vexabantnr tunc eo modo, quo olim Judæi Babylone. Hæretici moderni refragantur, multaque contra hoc congerunt, quæ hujus loci non eſt

Digitized by Google

examinare, maxime quia de profectione S. Petri Romam plura ſcripſi in vera Eccleſia tom.2. p.1. a.2. §.13. Certè mirum eſt, modernos Hæreticos, dum legunt in Apocalypſi Babylonem, velle hac indicari Romam; id autem nolle, cùm Babylonem in hac Epiſtola legunt.

XXV. Epiſtola prima Joannis Joannem Apoſtolum, & Evangeliſtam ſibi vindicat Auctorem: ita Euſebius lib.3. hiſt. cap.24. & hoc tum apud Antiquos, tum apud Recentiores extra controverſiam eſt. Ambigitur tamen an Epheſi, vel in Pathmos ſcripta ſit, & quo anno. Certum eſt, eam fuiſſe Græcè exaratam: ad omnes Chriſtifideles, ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus collectos fuiſſe directam, plerique autumant. S. Auguſtinus tamen lib.2. q. Evangel. cap.39. cenſet, ad Parthos fuiſſe ſpecialiter directam, ideſt ad Judæos Chriſtianæ fidei profeſſores, qui ſub Parthorum Imperio vivebant, quorum majores ex antiqua diſperſione Decem Tribuum in locis trans Euphratem ſedes fixerant. Nec tamen ad ſolos Judæos, ſed ad Chriſtianos omnes illarum regionum ſcripta eſt, tanquam membra ejuſdem Eccleſiæ, & ejuſdem fidei conſortes. Argumentum hujus Epiſtolæ eſt demonſtratio Divinitatis Chriſti contra Ebionem, Cerinthum &c. & veritas Humanitatis ejus contra Baſilidem, qui eam tantùm apparentem dictitabat: inſuper caritas Dei in nos, qua cum eſſemus peccato obnoxii, factus eſt pro nobis propitiatio; ideoque nobis adlaborandum, ut in eum tendamus per exercitia bonorum operum.

XXVI. Quæri tamen ſolet, an verſus ille ſeptimus cap.5. nimirùm: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt*, ſit membrum canonicum hujus Epiſtolæ.

Reſpondeo, hunc verſum omiſſum quidem fuiſſe, vel Scriptorum incuriâ, vel alia cauſa in pluribus Codicibus antiquis Græcis, & Latinis, ac in Verſionibus orientalibus etiam deeſſe. Verumtamen Canonicum eſſe, ac S. Joannis legitimum, non intruſum, probat Eccleſiæ utriuſque Græcæ & Latinæ conſenſus. Nam in utraque publicè legitur, & ſinceriores Codices illum habent. Quare nonniſi cum ſumma impudentia negari poteſt. Illum propterea editionis Complutenſis Auctores, qui antiquiſſimos & ſinceriſſimos Codices adhibuere, agnoverunt, tanquam legitimum. Illum habebant novem Codices, quos legit, & contulit Robertus Stephanus; plures etiam ex iis, quos diſcuſſere Laurentius Valla, & alii, de quibus Alexandre in Epiſt. Cathol. primam Joannis ad hunc verſum.

Hunc

Digitized by Google

Hunc quidem non habuere in ſuis Codicibus S. Auguſtinus, aliique Patres. Quod ex eo colligitur, quia illo contra Arianos nunquam uſi leguntur, quem certè non omiſiſſent. Sed integros hac in parte non fuiſſe eorum Codices probat teſtimonium S. Cypriani, qui tertio ſeculo vixit, hunc locum proferentis lib. de Imit. Eccleſiæ, *de Patre*, inquit, *Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt*: *Hi tres unum ſunt*: quod indicat etiam epiſt.73. ad Jubajanum de Rebapt. Hæreticis. Confirmat hoc S.Fulgentius lib. reſponſ. contra Arianos dicens: *In Patre ergo & Filio, & Spiritu Sancto unitatem ſubſtantiæ accipimus*: *Perſonas confundere non audemus. Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur dicens*, Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. *Quod etiam beàtiſſimus Martyr Cyprianus in epiſtola de Unitate Eccleſiæ confitetur dicens, de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt*: *Et hi tres unum ſunt*. Et Victor Vitenſis lib. 3. de perſecutione Africana in profeſſione fidei Epiſcoporum Catholicorum Regi Hunnerico oblata profert hunc verſum dicens: *Et ut luce clarius unius Divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur, ait namque*: *Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum ſunt*. Nunquid ergo poſitivum teſtimonium horum Patrum Afrorum minoris erit ponderis, quam purum negativum aliquorum Codicum, in quibus hic verſus omittitur? Nunquid verum erit, Patres nunquam hoc teſtimonium contra Arianos & Macedonianos protuliſſe? Propterea etiam Calvinus in hunc locum, illum admittit: & Beza Calvini ſectator hunc verſum retinendum tanquam genuinum Joannis cenſuit: & Joannes Oxonienſis, S.Cypriani cum notis editor, illum vindicat à Fauſto Socino, ut ſuppoſititium traducente, & carpente S. Hieronymum, quod in Prologo ad Epiſtolas Canonicas ipſum tueatur.

XXVII. Sed inquies. Si ita eſt, cur à tot exemplaribus deeſt?

Reſpondeo. Si ita non eſt, cur in tot aliis adeſt? Cur Patres ſupra laudati eo uſi ſunt? Hoc ergo accidit ſive oſcitantiâ, ſive malitiâ Scribarum. Hoc indicat S. Hieronymus in Prologo præcitato, ubi de Epiſtolis Canonicis hæc habet: *Quæ ſi ſicut ab eis digeſtæ ſunt, ita quoque ab Interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietates impugnarent, illo præcipuè loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis Epiſtola poſitum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum eſſe à fidei ve-*

veritate comperimus, tria tantummodo vocabula, hoc eſt aquæ, ſanguinis, & ſpiritus in ſua editione ponentibus, & Patris, Verbique ac Spiritus teſtimonium omittentibus, in quo maximè, & fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur. Vel ſi non velimus hoc Scribarum malitiæ tribuere, tribuendum ſanè eſt eorum oſcitantiæ, quatenus ex illis verbis ex inadvertentia prætermiſſis, ad alia de aqua, Spiritu, & ſanguine tranſierint, quo factum ſit, ut error manarit ad illius mutilati Codicis tranſcriptores, ut ſæpè accidit. Cui conjecturæ favet, quod in Codicibus mutilatis verſus octavus incipit à copulativa *Et*, nimirùm, *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra* &c. Quorsùm autem hæc copula *Et* ſi non præcederet aliquid, cum quo copularetur? Quid autem copulari deberet cum hoc *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra*, niſi hoc, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo*? Propterea in omnibus Bibliis tum Catholicorum, tum Proteſtantium illa verba leguntur appoſita. Alia circa hunc verſum expendimus tomo 4. in 1. p. Tract. de Trinit. qu. 1. dub. 2. §. 2. à num. 30., quo Lectorem remitto.

CAPUT III.

Pro auctoritate Librorum de quibus olim dubitatum fuit.

Quia in eo, quo nunc utimur, Bibliorum ſacro volumine ſunt libri aliquot non ab initio Eccleſiæ univerſaliter ſtatim recepti, nec in Canonem ſacrorum librorum redacti, qui proinde Deutero-canonici ſeu ſecundo-canonici, vel ſecundi Canonis dicuntur, nimirùm Petri altera Epiſtola, ea quæ Jacobi eſt, & Judæ, duæ ſub nomine Joannis, Apocalypſis, & Epiſtola ad Hebræos; Ideo ſtatuendum erit etiam iſtos indubiæ eſſe auctoritatis, ac verè divinæ. Quia autem de aliquibus dubitatum fuit etiam de Auctore illorum, ſtatuendum pariter erit hoc nihil officere.

* * * * * * * *

§. I.

§. I.

A libris, de quibus olim dubitatum, ſublata eſt omnis dubitandi ratio.

I. PRobo primo: de ſupradictis libris nunquam tota Eccleſia dubitavit, multæ enim particulares Eccleſiæ eos recipiebant, quod oſtendunt antiqui Chriſtiani, qui illorum teſtimoniis tanquam ſacris utebantur. Illæ autem Eccleſiæ, quæ illos non recipiebant, vel illos non habebant, ſed ignorabant; vel ſi eorum notitiam haberent, adhuc dubitabant, quia eos Eccleſia univerſalis non acceptaverat ut tales, nec propoſuerat Fidelibus tanquam ſacros. Atqui modò omnes præfati libri ab omnibus Eccleſiis ut ſacri agnoſcuntur, & in Canonibus ſucceſſivè editis, ceteris libris ſacris adjuncti, ut legere eſt in primo Canone à Chriſtianis edito in Concilio Laodiceno anno 372. ubi Can. 60. omnes præfati libri (uno excepto Apocalypſis) ut ſacri recenſentur: in Concil. Carthaginenſi 3. anno 397. can.47. ubi habetur: *Item placuit, ut præter Scripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine divinarum Scripturarum: ſunt autem Canonicæ Scripturæ* &c., inde inter canonicas recenſet præfatos libros, addens etiam Apocalypſim: cui ſubſcribit S. Auguſtinus, qui ei Concilio interfuit lib.2. de doctr. Chriſtiana cap.8. Idem legere eſt in Catalogo Innocentii I. epiſt.3. ad Exuperium anno Chriſti 405. Idem in eo, quem edidit Gelaſius I. in Concilio Romano anno 494. can.1. quæ poſtea ſecuta eſt Eccleſia poſteriorum temporum, & præſertim in Conciliis Florentino Inſtruct. Armenorum, & Tridentino ſeſſ.4.

II. Probo ſecundo: non eſt, cur præſumi poſſit, Chriſtianos hoſce libros ut Canonicos ſuppoſuiſſe, etſi revera tales non ſint; aut quod Deus id permiſerit. Ergo. Antecedens probatur. Si cauſa aliqua fingi poſſet, hæc eſſet, ut patrocinio illorum aliquod falſum dogma Chriſtiani tuerentur; ſicut enim Hæreticorum aliqui aliquos libros ſacros, ut non ſacros rejecerunt, quia videbant doctrinam in illis contentam eorum erroribus adverſari, ita fieri poſſet, ut aliqui libri non ſacri in ſacros adoptarentur, quia faverent alicui falſo dogmati. Atqui de ſupradictis libris nihil tale poteſt præſumi, tum quia doctrina in illis contenta non eſt contraria, imo cohærens doctrinæ, quæ in aliis indubitatis libris continetur: tum etiam quia licet fraudis alicujus aut erroris ſuſpicio poſſet habere locum in aliquibus, non tamen

in

in omnibus totius orbis Chriſtianis. Cum ergo omnes Chriſtiani totius orbis explorata rei veritate tandem ſuſceperint tanquam divinos præfatos libros, tenendum certò erit, eos eſſe tales, quia ſi ceteri nobis indubitati ſunt, quia Chriſtiani omnes quovis tempore eos ut indubitatos habuerunt; eadem ratione ut indubitati habendi erunt ii, de quibus licèt olim fuerit dubitatum, tractu tamen temporis re meliùs perſpecta, & ſublato dubio, ut verè divinos univerſa ſuſcepit Eccleſia. Sanè ſi certum eſt, Deum curare res humanas, & maximè eas, quæ ad honorem, cultumque ſuum pertineant, non poteſt fieri, ut is tantam multitudinem hominum, quibus nihil aliud propoſitum erat, quam Deum piè colere, paſſus ſit decipi, approbando aut libros mendaces, aut pro divinis libros non divinos.

§. II.

De Epiſtola Jacobi.

Libros, de quibus olim dubitatum fuit, modo habendos eſſe ut verè divinos, jam ſtabilivimus in communi. Non erit abs re de ſingulis aliqua dicere.

III. Epiſtola, quæ Jacobi præfert nomen, an fœtus ſit Jacobi Zebedæi filii, S. Joannis fratris, Majoris nuncupati, cujus mors narratur Act. 12. an verò Jacobi Alphæi filii, cognomento Minoris, quia vel minor natu altero Joanne, vel vocatione ad Apoſtolatum poſterior, dubitatum olim fuit. Verùm cum ſcripta ſit Duodecim Tribubus, quæ in diſperſione erant, & Jacobus Major occiſus fuerit ab Herode, ante promulgatum Evangelium per Provincias, certum eſt, eam non eſſe illius partum, ſed alterius Jacobi, nimirum Alphæi, ſeu Minoris, dicti Juſti, ac primi Hieroſolymorum Epiſcopi, quem Paulus ad Galatas 1. 19. Fratrem Domini appellat, Epiphanius putat Joſephi Sponſi B. Virginis filium, Hieronymus verò lib. adverſus Helvid. ex Maria ſorore Matris Domini, & Alphæi uxore genitum; acriter invehens contra oppoſitum ſentientes. Non defuere tamen, imo nec hodie deſunt, qui putent, Jacobum hunc fratrem Domini dictum, & Epiſcopum Hieroſolymorum primò conſtitutum, dictum Juſtum, non fuiſſe nec Jacobum Majorem, nec Minorem, ſed alium tertium, quem aliqui volunt nec fuiſſe Apoſtolum, ſed unum ex 72. Diſcipulis. Ita Hugo Grotius inter ceteros præfat. in hanc Epiſtolam, citans non paucos Patres, & revera Euſebius *lib. 1. cap. 12.* Jacobum noſtrum accenſet numero

ro non Apoſtolorum, ſed Diſcipulorum, ubi de eo loquens ait: *Unus hic ex ſeptuaginta Diſcipulorum numero, ac præterea fratribus Domini fuiſſe perhibetur,* quod repetit ex Hegeſippo & Clemente Alexandr. l.2. c.23. dicente, multos Jacobi nomine fuiſſe vocatos. Attamen S. Hieronymus lib. contra Helvidium citato duos tantum Jacobos cognoſcit, & ambos Apoſtolos; ſic enim perſtringit Helvidium: *Nulli dubium eſt, duos fuiſſe Apoſtolos Jacobi vocabulo nuncupatos, Jacobum Zebedæi, & Jacobum Alphæi. Iſtum neſcio quem Minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen Matris Domini Scriptura commemorat. Apoſtolum vis eſſe, an non? Si Apoſtolus eſt, Alphæi filius erit, & credet in Jeſum.... Si non eſt Apoſtolus, ſed tertius neſcio quis Jacobus: quomodo eſt frater Domini putandus: & quomodo tertius ad diſtinctionem majoris appellabitur minor, quum major, & minor, non inter tres, ſed inter duos ſoleant præbere diſtantiam, & frater Domini Apoſtolus ſit, Paulo dicente... Galat.1.19. Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini?* Ita Hieronymus. Cùm ergo Epiſtola iſta nequeat eſſe Jacobi Majoris, quia ut ait Hieronymus ipſe *jam ab Herode fuerat interemtus*, reſtat, ut qui eam ſcripſit, fuerit Jacobus Minor.

IV. De hac Epiſtola olim dubitatum fuit. Unde Euſebius lib.2. cap.23. de ea loquens, ait: *Quam quidem nonnulli ſpuriam ac ſuppoſititiam exiſtimant: ſanè pauci admodum ex Vetuſtioribus tum hujus Epiſtolæ, tum illius Judæ, quæ & ipſa in ſeptem Catholicarum numero recenſetur, mentionem fecere. Verum tamen has quoque cum ceteris in pluribus Eccleſiis lectitari, cognovimus.* Et S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Jacobo: *Unam* (inquit) *ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur; licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.* Licet igitur olim aliquibus dubia, nunc omnibus Catholicis indubiæ auctoritatis eſſe debet, poſtquam univerſali Eccleſiæ conſenſu ſuſcepta fuit, nedum in Florentino, & Tridentino Conciliis, ſed etiam in Canone Scripturarum referatur à Concil. Carthagin.3., ab Auguſtino locis ſupra citatis, Innocentio I., Gelaſio, ut ſupra. Eam inter Scripturas Canonicas recenſuiſſe Clementem Alexandr. in lib. Hypotypoſeon, teſtis eſt idem Euſebius lib.6. cap.14., imo Irenæus lib.4. cap.16., aliàs 30.; ex ea epiſtola cap.2. v.23. deſumſit hæc verba: *Credidit Abrahàm Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Ejus verba non ſemel uſurpat Tertullianus adverſus Judæos cap.2., & lib. de Oratione cap.8. Cyprianus ipſius patrocinium ſibi adſciſcit adverſus Novatianos,

adſciſcit & Origenes Euſebio antiquior, idemque Novi Teſtamenti Scriptores enumerans homil. 13. in Geneſ., homil. 7. in Joſue, Jacobum non prætermittit; ſicut nec Athanaſius in Synopſi, nec Gregorius Nazianzenus Carmine de libris Canonicis. Hanc autem tanquam Canonicam non adoptaſſent Veteres illi Patres, niſi jamdiu de hoc opinio inoleviſſet.

V. Non defuere tamen proximis retrò temporibus, qui eam carperent. Lutherus ab initio contemſit, vocans eam *ſtramineam*, quia ei non placeret doctrina, quam continet de fide cum operibus. Scripta enim hæc epiſtola fuiſſe videtur contra Simonis Magi diſcipulos, qui voluptatibus ſervientes, fidem ſine operibus ad ſalutem ſufficere, profitebantur, Moſe ex dicto Pauli pravè intellecto Rom. 3., ubi verſu 28. dicit, per fidem ſine Legis operibus hominem juſtificari: horum retundens inſaniam Jacobus docet, fidem ſine operibus eſſe mortuam, & Chriſtianos eſſe quidem liberos ab operibus Legis, ut ſcripſerat S. Paulus, vacare tamen debere mortificationibus carnis, ac bonis operibus ſuam fidem comprobare. Hoc autem cum eſſet contrarium ei, quod docebat Lutherus, nimirùm, hominem, dummodo habeat fidem, de bonis operibus non debere eſſe ſollicitum, ideo dictam epiſtolam aſpernari cœpit: quamvis meliùs conſultus eam acceptaverit, ſicut eam acceptant Lutherani, imo & Calviniſtæ præeunte Calvino præfat. in dictam Epiſtolam; qui tamen aſſerere non audet, an hujus epiſtolæ auctor fuerit Jacobus Alphæi, an Jacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus, quem putat diſtinctum ab Alphæi filio, & non Apoſtolum, quin (inquit) *Apoſtolos non oportuit certo loco alligari*. Hujus tamen oppoſitum ut probabilius ſupra cenſuimus.

VI. Neque valet dicere, Apoſtolos non debuiſſe certo loco alligari, ideſt unius loci Epiſcopatum gerere, cùm & Petrus licèt Apoſtolus, imo Apoſtolorum Caput, ſedem ſuam Romæ fixerit, & illius urbis Epiſcopatum geſſerit, ut tota conſentit antiquitas, licèt Sectarii negent. Dicam tamen, quod ſicut Petrus licèt Romanum Epiſcopatum gerens, non tamen Romæ ſic hæſit, ut non ad alias Urbes, ac Provincias excurrerit; ſic Jacobum, licèt Hieroſolymorum Epiſcopum, vicinas tamen Judææ, ac Palæſtinæ regiones peragraſſe, fas eſt credere, prout opportunitas exigebat; ceteris verò Apoſtolis hùc illùcque diſperſis ad opus Evangelii, oportebat, ut illorum unus in Metropoli Judæorum maneret. Quod Apoſtoli non deberent particularem aliquem Epiſcopatum ſuſcipere, Scriptura non dicit: cur ergo Calvinus, qui nil niſi ſcriptum admittere vult, id aſſerit?

rit? Scriptura non meminit niſi duplicis Jacobi Zebedæi, & Alphæi, cur ipſe tertium comminiſcitur? Scriptura non dicit, Jacobum, qui fuit Apoſtolus, non ſediſſe Hieroſolymis, ſed aliò abiiſſe: cur ipſe id dicit? Jacobus, qui fuerat conſtitutus Epiſcopus Hieroſolymorum, in Concilio Hieroſolymitano Act. 15. 13. &c. poſt Petrum primus, imo ſolus auctoritativè loquitur *Viri fratres audite me*: hoc certè non feciſſet, niſi & ipſe eſſet Apoſtolis in dignitate par; Diſcipulus enim coram Apoſtolis non protuliſſet ſententiam, ſed eam ab eis accepiſſet, etſi Epiſcopus. At inquies, Scriptor hujus Epiſtolæ non ſe vocat Apoſtolum. Quid inde? Ergo non fuit Apoſtolus? Nec Paulus in aliquot ſuis Epiſtolis, ad Philipp., in utraque ad Theſſalonicenſes, & ad Philemonem; nec Joannes in ſuis, aut in Apocalypſi Apoſtolum ſe dicunt: ergo nec fuere? Dicunt ſe ſervos Chriſti; id etiam dicit Jacobus: hoc ſufficit, ut Apoſtoli credantur, qui ea ſcripſere. Multó minùs urgebis, ſi addas cum Cajetano in hunc locum, Auctorem hujus Epiſtolæ non uti Apoſtolorum ſolita ſalutatione, ſed more prophano tantum dicere *Jacobus Dei, & Domini noſtri ſervus duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*: non ergo veriſimile eſt, eam fuiſſe alicujus Apoſtoli. Nam ego dicam: ſi iſta prophana ſalutatio cenſenda eſt, magis prophana habenda erit, quæ legitur Actorum 15. 23. *Apoſtoli & Seniores his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem*; & tamen hæc eſt ſalutatio Apoſtolici Collegii conciliariter congregati.

VII. Verùm quia non defuere, & fortè non deſunt, qui hujus Jacobeæ Epiſtolæ doctrinam carpant, audiendi propterea ſunt. Dicunt ergo primò Lutherani, aberrare eam à doctrina Pauli Apoſtoli, qui Rom. 3. dicit, hominem juſtificari ex fide ſine operibus: hæc autem cap. 2. juſtificationem, non fidei ſoli, ſed & operibus adſcribit.

Reſpondeo, aberrare quidem Lutheranos, qui putant, ad juſtificationem ſufficere ſolam fidem, non aberrare autem, nec Paulo contradicere Jacobum auctorem hujus epiſtolæ, addendo ultra fidem opera etiam. Erant quidam (ait Auguſtinus lib. de fide, & operibus cap. 14.) *qui temporibus Apoſtolorum non intellectis quibuſdam ſuboſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli, hoc eum arbitrati ſunt dicere*: nimirùm ſolam fidem ſine operibus ſufficere ad ſalutem, cùm Paulus dicat, hominem juſtificari ex fide ſine operibus, non ut excludat opera ſubſequentia juſtificationem, ſed *ut ſciat ſe quiſque per fidem poſſe juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtifi-*

candum... Quoniam hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apoſtolicæ epiſtolæ Petri, Joannis, Jacobi, Judæ contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer adſtruant, fidem ſine operibus non prodeſſe: ſicut etiam ipſe Paulus, non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt: & fides, inquit, quæ per dilectionem operatur Galat.5.6. Unde illam fidem, quæ ſufficere ad ſalutem quibuſdam videtur, ita nihil prodeſſe aſſeverat, ut dicat 1. Cor. 13. 1. ſi habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. Hæc Auguſtinus, quæ fortè videns Calvinus ipſe præfat. in epiſt. Jacobi ait: *Quare mihi ad epiſtolam hanc recipiendam ſatis eſt, quod nihil continet Chriſti Apoſtolo indignum: multiplici verò doctrina ſcatet, cujus utilitas ad omnes Chriſtianæ vitæ partes latè patet.*

VIII. Dicunt ſecundò, Epiſtolam hanc mutam eſſe de opere Chriſti, de doctrina fidei, & ſolum opera extollit: conſueverunt autem Apoſtoli ſemper aliquid interſerere de fidei doctrina. Non ergo eſt Apoſtolica.

Reſpondeo, fidei doctrinam ſatis inveniſſe Jacobum explicatam à Paulo: imo doctrinâ fidei quidam erant uſque adeo præventi, ut ſolam ſufficere credentes, opera negligerent, quare opus fuit, ut Jacobus eos doceret, ultra fidem etiam opera eſſe neceſſaria: nec quia in ea doctrina fidei non exponitur, ideo rejicienda eſt, ait Calvinus ipſe citatus: *Quod autem parcior in prædicanda Chriſti gratia videtur, quàm Apoſtolo conveniat: certè non eſt ab omnibus exigendum, ut idem argumentum tractent. Multum à ſtylo Davidis diſtant Salomonis ſcripta; nam quum hic poſterior formando externo homini, & tradendis politicæ vitæ præceptis magis ſit intentus: illum aſſiduè de ſpeciali tum Dei cultu, tum conſcientiæ pace, Deique miſericordia, & gratuita ſalutis promiſſione concionari, notum eſt: atqui non facit hæc diverſitas, ut alterum probando, alterum damnemus. Quin etiam inter ipſos Evangeliſtas tantum eſt diſcriminis in illuſtranda Chriſti virtute, ut reliqui tres cum Joanne comparati vix ſcintillas habeant pleni fulgoris, qui in ipſo tam conſpicuus apparet.*

IX. Dicunt tertiò: Auctor hujus Epiſtolæ cap.1. & 2. Legem Veterem vocat legem libertatis, at Paulus Galat.4. eam vocat legem ſervitutis: ergo contraria eſt doctrinæ Pauli. Ergo non Apoſtolica.

At nimis turpiter falluntur, qui ſic arguunt. Dum Jacobus cap.1 v.25. nominat legem perfectam libertatis, loquitur non de lege Teſtamenti Veteris, ſed de nova; nimirùm lege Evange-

gelica, quæ non eſt lex timoris & ſervitutis, ſed amoris & caritatis; ad quam quidem implendam non ſatis eſt, eam inſpicere, ſed permanere in ea per obſervantiam mandatorum Decalogi, quæ utrique legi ſunt communia, nec auditorem obliviosum fieri, ſed factorem operum. Ita Grotius in hunc locum, & Natalis Alexandre, edocti à S. Auguſtino lib. de natura, & gratia cap.57. *Hæc eſt lex libertatis, non ſervitutis, quia caritatis utique, non timoris, de qua & Jacobus Apoſtolus ait: Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis* &c.

X. Dicunt quartò, auctorem hujus Epiſtolæ proferre teſtimonia ex Epiſtolis Petri & Pauli, ut in margine videre eſt. Non ergo fuit Apoſtolus, ſed aliquis Apoſtolorum Diſcipulus.

Reſpondere poſſem. Cùm Petrus & Paulus aliquot ex ſuis Epiſtolis ſcripſiſſent, antequam Jacobus ſcriberet, contingere potuit, ut ad manus Jacobi aliqua illarum (& maximè Pauli, ad cujus doctrinam fidei elucidandam Jacobus ſcripſit) pervenerit, ut ex iis aliquas ſententias ſuæ epiſtolæ poſſet inſerere; nam & Petrus aliquot Pauli Epiſtolas legerat, dum ait in ſua ſecunda Epiſtola cap.3. v.16., eſſe in Pauli Epiſtolis quædam difficilia, & tamen non hinc evincitur, eam Epiſtolam non eſſe Petri Apoſtoli. Verum dico, ex quo in Epiſtola Jacobi reperiantur quædam ſententiæ, quæ in Epiſtolis Pauli & Petri inveniuntur, non ſequi Jacobum exſcripſiſſe à Petro, aut à Paulo, ſed omnes ſcripſiſſe dictante, vel ſuggerente eodem Spiritu, qui ut oſtendat ſe unum, atque eundem omnium auctorem, ſimiles ſententias eis ſuggeſſit, quod & in Prophetis fecit, nam Iſaias, & Michæas, qui contemporanei, nimirum tempore Joathan, & Achaz, & Ezechiæ, conſcripſere, prophetarunt de Chriſto iiſdem non modó ſententiis, ſed ferè verbis, ut legere eſt Iſaiæ 2. v.2., & Michææ 4. v.1.

§. III.

Epiſtola ſecunda Petri.

XI. Poſterior S. Petri Epiſtola olim dubiæ fuit auctoritatis apud aliquos, ſicut etiam dubii auctoris, ut ſcribunt Origenes tom.5. in Joann., homil.13. in Geneſ., & homil.7. in Joſue; Euſebius lib.3. cap.3., ubi de Petri Epiſtolis loquens, poſtquam aſſeruit, priorem tanquam germanam ab omnibus abſque controverſia admitti, ſubdit: *Quæ verò ſecunda appellatur, eam quidem inter ſacros Novi Teſtamenti libros cenſitam non eſſe*,

Digitized by Google

eſſe, à majoribus accepimus: ſed tamen, cum utilis eſſe videretur quamplurimis, una cum reliquis ſacræ Scripturæ libris ſtudioſè lectitata eſt, & idem cap.25., ubi inter libros dubios rejicit ſecundam Epiſtolam Petri. Cui accedit S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Petro dicens, eam à pleriſque ejus eſſe negari propter ſtyli diſſonantiam. Omnes tamen ſupracitati Veteres eam ut ſacram recipiunt, ac Petro indubitanter adſcribunt; & meritò, relata enim fuit in Canonem Sacr. Script. primò à Concilio Laodiceno, deindè Carthaginenſi tertio, Innocentio I., Gelaſio, Florentino, ac Tridentino. Unde Calvinus ipſe in præfat. non audet, eam à ſacrarum Script. albo expungere.

XII. Et quidem eam eſſe Petri, teſtatur nomen initio poſitum *Simon Petrus*. Se autem eſſe Petrum Apoſtolum prodit, tum in titulo, tum cap.1. v.18., ubi ait in monte ſancto ſe adfuiſſe, ibique audiviſſe vocem *Hic eſt filius meus dilectus*; in monte autem ſancto, i. Thabor, qui fuere, & vocem audivere, alii non ſunt, niſi Jacobus, Joannes, & Petrus Apoſtolus Matth.17. Secundò c.3.1. aſſerit, ſe aliam priorem Epiſtolam ſcripſiſſe. Tertiò ibid. v.15. vocat Paulum *cariſſimum fratrem ſuum*: Diſcipulus autem adeo confidenter de Paulo loqui non auderet. Si ergo auctor non fuiſſet revera Petrus, oporteret dicere, qui eam conſcripſit, in his omnibus fuiſſe mentitum. Hoc autem vel ipſi Calvino ingerit horrorem, qui propterea concludit: *Quod ſi pro Canonica recipitur, Petrum ejus auctorem fateri oportet, quando non tantum nomen ejus inſcriptum habet, ſed ipſe etiam teſtatur, cum Chriſto ſe vixiſſe. Hæc autem fictio indigna eſſet miniſtro Chriſti, obtendere alienam perſonam*. Grotius verò in hoc ſingularis, cùm putet, hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe poſt excidium Hieroſolymitanum, quo tempore Petrus jam ſub Nerone necatus fuerat, putat, auctorem illius fuiſſe Simeonem, ſeu Simonem Epiſcopum Hieroſolymitanum, dignitate, & imitatione ſucceſſorem. Hæc tamen Grotii imaginatio ſubſiſtere nequit, niſi dicamus, auctorem mentitum fuiſſe, alienam veſtiendo perſonam, ac ſe Simonem Petrum vocando, cùm non eſſet; aſſerendo ſe cum Chriſto in monte fuiſſe, cùm non fuiſſet: dicere autem cum Grotio, nomen *Petrus* additum *Simoni* initio illius epiſtolæ fuiſſe aſſutum ad fidem epiſtolæ conciliandam, gratis aſſeritur. Tum quia hoc etiam dato, quid dicet, dum auctor aſſerit, ſe fuiſſe cum Chriſto in monte ſancto? Num etiam hoc fuit intruſum? At (inquit) nemo Chriſtianus ultimum mundi diem venturum credidit, niſi poſtquam eveniſſet everſio Judaici ſtatus in Hieroſolymorum excidio: hic verò Scriptor c.3. Chriſtianos vult patientes adhuc eſſe

eſſe in illius diei expectatione, ſi fortè ſperato tardiùs adveniat. Attamen hæc non obſtant; unde enim evincit Grotius, Chriſtianos niſi ſecuto Hieroſolymorum excidio crediditſſe ultimum mundi diem venturum? Diei extremi tempus, & horam nulli cognitam à Chriſto didicerant Matth. 24. 36. 50., Marci 13. 32., Lucæ 17. 24. 30., à Luca Act. 1. 7.. Paulus 1. Theſſalonic. 5. 2. dicit, diem Domini tanquam furem in nocte, ita venturum, quibus etiam verbis utitur auctor hujus noſtræ epiſtolæ. Si ergo propterea iſta cenſenda eſt ſcripta poſt Hieroſolymorum cladem & conſequenter non à Petro, fiet, neque Epiſtolam ad Theſſalonicenſes à Paulo fuiſſe ſcriptam.

XIII. Neque officit diſſonantia ſtyli in hac ſecunda epiſtola à prima; hoc enim non indicat diverſitatem Auctoris, ſed vel Scriptoris, vel Interpretis, quo auctor Petrus uſus eſt. Ita Sanctus Hieronymus ad Hedibiam q. 11., ubi dicit, quod Paulus *habebat Titum interpretem, ſicut & beatus Petrus Marcum, cujus Evangelium Petro narrante, & illo ſcribente compoſitum eſt. Denique & duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum, ex quo intelligimus, pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum interpretibus;* quamvis autem ſtylo diſcrepent, doctrina, quæ in ſecunda continetur, fatente vel ipſo Calvino, Petro indigna non eſt.

XIV. Si quæratur, quibus, & quamobrem miſſa ſit? Reſpondeo, miſſam fuiſſe iiſdem, quibus miſſa fuerat prior, nimirùm Judæis diſperſis per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam. Id colligitur ex cap. 3. v. 1. *Hanc ecce vobis cariſſimi ſecundam ſcribo Epiſtolam.* Motivum autem ſcribendi fuit, Dei beneficia eis in memoriam redigere; Pſeudo-prophetarum lugendam ſortem, quam prædicit, ob oculos ponere; mundi renovationem, & ſecundum Chriſti adventum, quæ illuſores negabant, ſtatuere; ideoque ad ea illos ſe præparare. Ubi autem data fuerit, & quando; nihil certum: Romæ volunt aliqui, ubi prima, paucis ante Petri mortem annis, quod colligere putant ex his verbis cap. 1. v. 14. *Certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.*

* * * * * *

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Secunda, & Tertia Joannis.

XV. Secunda, & tertia Joannis Epiſtolæ Scripturarum Canonicarum albo non ſemper apud omnes adſcriptæ fuere, quare Euſebius lib.3. cap.25. inter eas, quæ in dubium revocantur, à multis tamen commemorari ſuo tempore ſolebant, recenſet Epiſtolas Joannis alteram, & tertiam: *Sive illæ* (inquit) *ab ipſo revera Evangeliſta, ſive altero ejuſdem nominis compoſitæ ſunt*. Ex quibus apparet, olim dubitatum fuiſſe etiam de auctore illarum. Teſtatur idem S. Hieronymus de Script. Eccleſ., ubi de Joanne ait: *Reliquæ autem* (Epiſtolæ) *Joannis Presbyteri aſſeruntur, cujus & hodie alterum ſepulchrum apud Epheſum oſtenditur*. Præter enim Joannem Apoſtolum, & Evangeliſtam fuit alius Joannes Presbyter, Chriſti itidem Diſcipulus, Joannis Apoſtoli coævus, ut dicimus infra.

XVI. Utramque tamen ut Canonicam agnoverunt Veteres. Irenæus lib.1. cap.12. ex ſecunda ſumit auctoritatem dicens: *Quos & Dominus nobis cavere prædixit: & Diſcipulus ejus Joannes in prædicta Epiſtola fugere eos, præcipit dicens: Multi ſeductores exierunt in hunc mundum. Qui non confitetur, Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, hic eſt ſeductor, & Antichriſtus*. Etſi autem conſimilia legantur etiam in prima Epiſtola cap.4.1. &c. attamen expreſſis ab Irenæo verbis potiùs deſumta ſunt ex ſecunda v.7. Clemens etiam Alexandr. citat *Majorem Epiſtolam Joannis*, i. primam, Stromat.2. qui autem dicit majorem, ſupponit adeſſe minorem, qui dicit primam, ſupponit eſſe ſecundam. Si enim una tantum eſſet Joannis Epiſtola, eam non vocaret majorem. Hinc Euſebius lib.6. cap.14. referens Scripturas redactas in Canonem ab eodem Clemente ait, nec illas quidem prætermiſiſſe, de quibus à multis ambigitur, & ſpecialiter Epiſtolas, quæ dicuntur Catholicæ: fateor tamen, ex hoc Clementis Canone non poſſe confici firmum argumentum; in eo enim inſerit etiam Epiſtolam Barnabæ, & Revelationem, quæ dicitur Petri, quas penitus Apocryphas eſſe, omnibus compertum eſt. Canonicæ ergo potiùs dicendæ ſunt, quia relatæ in Canones Conciliorum Laodiceni, Carthaginenſis tertii, Florentini, & Tridentini, necnon Innocentii I., ac Gelaſii.

XVII. Cui veró adjudicandæ ſint hæ duæ Epiſtolæ, an Joanni *Apoſtolo*, an Joanni Presbytero Joannis Apoſtoli Diſcipulo, apud

apud Veteres non parum concertatum eſt; imo nec adhuc ſubdubitandi rationes deſunt. Nam duos fuiſſe Joannes ambos Epheſi, Apoſtolum ſcilicet, ac Presbyterum ejus Diſcipulum, conſtat tum ex eorum ſepulchris, quæ tempore Hieronymi viſebantur, tum ex Papia apud Euſeb. lib, 3. cap. 39.; hic enim Scriptor non ſe dicit Apoſtolum, ſed Presbyterum; non ſolent autem Apoſtoli, etiam cum ad privatos ſcribunt, omittere eum titulum, quo diſtinguebantur, & quo eorum ſcripta robur accipiebant, & quidem maximum. Nam quod Petrus ſeniores ſeu Presbyteros alloquens ſe quoque vocet conſeniorem, id fit extra inſcriptionem ex quadam comitate, qua & Imperatores ſe commilites ſæpe vocarunt. Ita Grotius.

XVIII. Attamen licet concedam, duos in Aſia eodem tempore fuiſſe Joannes, alterum Apoſtolum, alterum Presbyterum, non dabo tamen, auctorem ſecundæ & tertiæ Epiſtolarum, quæ Joannis nomen præferunt, eſſe Joannem illum Presbyterum potiùs quam Apoſtolum. Licèt enim Veterum aliqui id autumarint, alii ſaltem dubitarint; alii tamen eas Joanni Apoſtolo tribuerunt, inter quos Irenæus ſupra laudatus, vocans Scriptorem ſecundæ Epiſtolæ Diſcipulum Domini; quod certè non dixiſſet de Joanne Presbytero, qui fuit quidem Diſcipulus Apoſtolorum, & præcipuè Joannis Apoſtoli, non tamen inter Diſcipulos Domini, qui nimirùm cum Domino fuerant converſati. Accedit etiam Clemens Alexandrinus, qui, ut vidimus, Stromat.2. citat Joannis Epiſtolam majorem, hoc eſt primam, qui autem dicit majorem ſeu primam, ſupponit, eſſe etiam minorem, ſeu ſecundam. Poſt iſtos, ait Huetius Demonſtr. Evang. propoſit. 1. num. 8., ſexcentos alios tulerunt anni ſequentes, qui eas Joanni Apoſtolo abſque hæſitatione tribuerunt. Tempore D. Auguſtini hoc perſuaſum erat tum Catholicis, tum Donatiſtis, nam lib.7. contra Donatiſtas cap.45. Aurelius à Chullabi citans verba ſecundæ Epiſtolæ Joannis v.10. ait: *Joannes Apoſtolus in Epiſtola ſua poſuit*. Auguſtinus autem illi reſpondens non negat, Epiſtolam illam eſſe Joannis Apoſtoli, ſed hoc ſupponens dicit: *De hoc teſtimonio Joannis non eſt diutiùs differendum*, quia non pertinet ad quæſtionem, de qua tractatur. Imo Hieronymus, qui aliquando ſubdubitaſſe viſus eſt, in Epiſtola tamen olim 85. ad Evagrium, nunc 101. ad Evangelium, ut probet, ab initio idem fuiſſe nomen Presbyteri, ac Epiſcopi, citans initia ſecundæ ac tertiæ Epiſtolæ Joannis dicit: *Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Jeſus amavit plurimùm, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit*,, Presbyter

Electæ Dominæ, & filiis ejus, quos ego diligo in veritate „ *& in alia Epiſtola* „ Presbyter Cajo cariſſimo, quem ego diligo in veritate &c. Quare ſub nomine Joannis Apoſtoli eas ſemper cenſuit Eccleſia, ut videre eſt in Laodiceno, Carthaginenſi tertio, Florentino, & Tridentino Conciliis, & Pontificibus Innocentio I., & Gelaſio citatis, Athanas: in epiſt. Feſtali, & in Synopſi. S. Cyrillo Hieroſolym. Catecheſ. 4., S. Greg. Nazianz. carmine 34., S. Auguſt. lib. 2. de doctrin. Chriſtiana.

XIX. Neque obeſt, quòd auctor earum non ſe dicat Apoſtolum, ſed Presbyterum, ſeu Seniorem. Si enim, etſi non ſe dicat Joannem, non obeſt, quin illa Epiſtola ſit alicujus Joannis, neque, etſi non ſe dicat Apoſtolum, ſed purè Presbyterum, obſtabit, quin ſit Joannis Apoſtoli. Se ergo vocat Seniorem, ſeu Presbyterum, id eſt Epiſcopum, quod ut dicebam cum Hieronymo, tunc temporis pro eodem uſurpabatur: non enim erat neceſſe, ut ſemper Apoſtoli titulum præferrent in ſuis Epiſtolis; ſed vel *Servi*, ut Jacobus in ſua, Paulus in iis, quas ſcripſit ad Philemonem, ad Theſſalonicenſes, ad Philippenſes, ad Hebræos; & maximè, dum ſcriberent ad particulares Perſonas, ut hic contingit; ſecunda enim ſcripta eſt ad fœminam Electam nomine, tertia ad Gajum.

XX. Quænam ſit autem illa *Electa*, ad quam ſcripta eſt ſecunda Epiſtola; vulgò Interpretes putant, fuiſſe matronam quamdam, quam propterea dominam appellat, & quam v. 13. ſalutat nomine filiorum ſororis ſuæ, qui in loco, unde Joannes ſcribebat, morabantur. Novi aliquos velle, nomine *Electæ* intelligi quamdam particularem Eccleſiam, quam ſalutant alterius particularis Eccleſiæ fideles, quos vocat *filios ſororis tuæ in Chriſto*; atqui non videtur naturalis hæc interpretatio. An verò Electa ſit nomen proprium Perſonæ, an gentilitium, ſeu familiæ, incertum. Cognomen familiæ fuiſſe, veriſimile eſt, cum ejus ſoror, ut habetur v. 13., Electa pariter vocaretur. Hoc autem Epiſtolæ argumentum eſt. Gratulatur Joannes Electæ, & ejus filiis de fidei integritate, & de ſinceritate caritatis; & hortatur, ut in iis perſeverent, devitent autem ſummo ſtudio Hæreticos, qui tunc temporis, Jeſum Chriſtum, non verum hominem, ſed phantaſma fuiſſe, docebant, quo errore totum fidei, ac redemtionis noſtræ fundamentum ſubruitur.

XXI. Tertia Epiſtola Joannis ſcripta eſt ad Gajum ſeu Cajum. Quis autem fuerit, incertum. Veriſimile eſt, alium eum fuiſſe à Cajo Corinthio, cujus meminit S. Paulus Rom. 16. 23. *Salutat vos Cajus hoſpes meus*, & 1. Cor. 1. 14. & à Cajo Derbenſi, cu-

cujus mentionem facit S. Lucas Act. 20. 4. *Et Gajus Derbeus* quia hic fuit Joannis Diſcipulus, illi autem Pauli; & rursùs incertum eſt, an duo illi Pauli Diſcipuli vixerint eo tempore, quo S. Joannes ex Pathmo redux Epheſi degens, & junctas regens Eccleſias, hanc Epiſtolam dedit. Gajum ergo laudat ob fidei integritatem, eique gratulatur, quòd Chriſtianos hoſpitio recipiat. Hortatur ut in fide, & miſericordiæ operibus perſeveret, ac ne moveatur exemplo Diotrephis hominis ambitioſi, maledici, & inhumani, qui in Eccleſia ambibat primatum gerere, ſed potiùs Demetrii bono exemplo, viri benefici, ut cui teſtimonium redditur ab omnibus, moveatur.

Incertum pariter eſt, quo anno fuerint ſcriptæ; creduntur tamen ſcriptæ à Joanne jam ætate longævo, quod deprehenditur ex verbo *Senior*, quem titulum appoſuit ambabus Epiſtolis. Epheſi etiam poſt è Pathmo exilium conſcriptas fuiſſe, veriſimile putatur.

§. V.

Epiſtola Judæ.

XXII. DE Epiſtola Judæ dubitatum olim fuit, primó an eſſet Canonicis accenſenda; ſecundo an ejus auctor eſſet Judas Apoſtolus. Prioris dubii fidem faciunt Euſebius Lib. 3. Hiſt. cap. 25., ubi ex iis, quæ in dubium revocantur, à multis tamen commemorari videmus, dicit eſſe Epiſtolam Judæ, quod teſtatur Amphilochius carm. ad Seleucum, & S. Hieronymus de Vir. illuſtr. dicens *Judas frater Jacobi parvam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, Epiſtolam reliquit, & quia de libro Enoch, qui Apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, à pleriſque rejicitur. Tamen vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſanctas Scripturas computatur*. Et jure quidem; nam eam ſacris Scripturis accenſent Laodicenum Concilium Can. 60., Carthagin. 3. Can. 47., S. Athanaſ. epiſt. Feſtali, & Synopſi, S. Cyrillus Hieroſolym. Catecheſi 4., Nazian. carm. 34. Ruffinus expoſit. Symboli, S. Auguſtinus lib. de doctr. Chriſt. cap. 8., Innocentius III. ep. 3. ad Exuperium, & Gelaſius 1. in Concilio Romano. Nec obſtat, in ea citari librum Enoch, qui Apocryphus eſt, & S. Michaelis Archangeli altercationem cum Diabolo de Moyſi corpori, quæ de Apocryphis etiam ſumta videtur, nam in Apocryphis non omnia ſunt Apocrypha, diſcrevit autem divino lumine S. Apoſtolus certa ab incertis, vera à falſis. Certè ſi S. Paulus, Ethnicis

loquens,quaſdam Ethnicorum ſententias ſuis Epiſtolis inſerendo conſecravit, potuit Judas, aliqua ex Apocryphis accepta, quorum veritatem Spiritu Sancto cognoverat, pariter conſecrare. Addo, librum Enoch, & altercationem Michaelis cum Diabolo etſi inter Apocrypha tandem rejecta, apud eos tamen, quibus Judas ſcribebat, fortè alicujus erant auctoritatis, ideoque potuit illis uti, ſicut Paulus Ethnicis ſcribens Ethnicorum teſtimonio utebatur.

XXIII. Nec minus eſt certum, auctorem illius eſſe Judam Apoſtolum,fratrem Jacobi Minoris, cognominatum Thaddæum & Labbæum, Chriſti conſanguinitate clarum, filium Alphæi, & Cleophæ, ut quidam tradunt; eam enim, ſub nomine Judæ Apoſtoli, laudant omnia Concilia, & Patres ſupra laudati, queis adde Tertullianum lib.1. de cultu fœmin. cap.3., Origenem lib. homil.7. in Joſue, & lib.5. in epiſtolam ad Rom.5. S. Hieronymum in cap.29. Hierem., & in Catal. Script. Eccleſ., & S. Auguſtin. lib. de fide & oper. cap.25., & lib.2. retractat. cap.27. Quapropter temere Grotius præfat. in hanc epiſtolam, eam adjudicat Judæ Epiſcopo Hieroſolymitano, qui vixit temporibus Hadriani Imperatoris, aſſeritque hæc verba: *Frater autem Jacobi* initio epiſtolæ addita eſſe à Scribis, ut Judas hic Apoſtolus crederetur. Mirum equidem, quod abſque ſolido fundamento Grotius à tota antiquitate recedat. Quod enim non præferat Apoſtoli titulum, non obeſt, nam ut ſupra vidimus, non omnes id præferunt. Deinde dum ait Judas *frater Jacobi*, idem eſt, ac ſi diceret Judas Apoſtolus: gratis autem dicitur, additum id eſſe à Scribis; aliàs ego etiam poſſem dicere nomen Apoſtoli fuiſſe à Scribis vel deletum, vel omiſſum. Quod ab initio non ſtatim recepta fuerit, neque probat, eam non eſſe alicujus Apoſtoli; ſed ſolùm non fuiſſe omnibus exploratum, eam ab Apoſtolo fuiſſe ſcriptam; cùm autem id omnibus compertum fuit, eam omnes ſuſcepere. Nec evinces, ſi dixeris, non poſſe Judæ Apoſtolo tribui, cum illius auctor v.17. dicat: *Memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis*: quod indicat, eum fuiſſe Apoſtolis poſteriorem. Nam ex hoc ſolum evinci poteſt, antequam Judas ſcriberet, adventum impoſtorum futurum in noviſſimo tempore, hoc idem Apoſtolos alios, aut ſcripta, aut viva voce jam prædixiſſe, ſicque quod ſcripſerit poſt alios. Nec enim dici poteſt, hunc Judam vixiſſe temporibus Hadriani, quia cùm, ut dixi, fuerit Judas frater Domini, non potuit ad illa tempora ſupervixiſſe, niſi dicamus, eum centum quadraginta annis vixiſſe. Uno Verbo: Patres & Concilia ſupra lau-

laudata cæci non fuere; viderunt omnia, quæ ſcrupulum ingerunt Grotio, & tamen eam Judæ Apoſtolo conſtanter adjudicarunt.

§. VI.

Epiſtola ad Hebræos.

XXIV. Hanc eſſe Canonicam, olim dubitatum fuit, & inſuper eâ ut Canonicâ receptâ, adhùc apud aliquos remanſit dubitatio, & adhuc remanet, an Pauli fœtus ſit, an potiùs Barnabæ, vel Clementis, vel Lucæ. Hujus teſtimonium profero primo ex Euſebio lib.3. hiſt. cap.3. dicente: *Sciendum tamen, Epiſtolam ad Hebræos a nonnullis ideo repudiatam, quia dicerent, eam ab Eccleſia Romana pro certa, ac genuina Pauli Epiſtola non haberi*, quod ex Cajo repetit lib.6. cap.20. dicens *Cajus tredecim ſolum divini Apoſtoli commemorat Epiſtolas, eam, quæ ad Hebræos inſcripta eſt, cum reliquis non adnumerans. Sanè hæc Epiſtola etiamnum à quibuſdam Apoſtoli eſſe non creditur*. Et ibi cap.25. dicit ex perſona Origenis: *Proinde ſi qua Eccleſia hanc Epiſtolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur; neque enim temere Majores eam eſſe Pauli tradiderunt. Quis autem revera illam ſcripſerit, ſoli Deo notum eſſe opinor*. Secundo ex S. Hieronymo Epiſt. ad Paulinum. *Paulus* (inquit) *Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, octava enim ad Hebræos, à pleriſque extra numerum ponitur*: & in caput 8. Eſaiæ allegans eam ait: *Licèt eam latina conſuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat*, & in cap.8. Zachariæ: *Si tamen* (inquit) *in ſuſcipienda Epiſtola, Græcorum auctoritatem Latina lingua non reſpuit*. In Ezechielem cap.28. citans locum ex hac epiſtola ait: *Et Paulus Apoſtolus; ſi quis tamen ad Hebræos Epiſtolam ſuſcipit*: & Matth.26. *Paulus Apoſtolus in Epiſtola ſua, quæ ſcribitur ad Hebræos, licèt de ea multi Latinorum dubitent*: qua phraſi loquitur, quoties dictam epiſtolam allegat. Ex quibus patet, dictam epiſtolam non fuiſſe quovis tempore, & omnibus indubiam, & conſequenter non eſſe reponendam inter libros Proto-canonicos. Crediderim tamen, paucos fuiſſe, qui de ea dubitarint, & dubitaſſe potiùs de ejus auctore, quam de ejus authenticitate. Quidquid tamen ſit, non ſolùm tanquam Canonica, ſed tanquam genuinus Pauli fœtus recipienda eſt. Eam enim eſſe Canonicam, demonſtrat ejus antiquitas, nam etiam illi, qui ambigebant, an eſſet Pauli, eam tamen tribuebant auctori Paulo coævo, puta vel Barnabæ, ut Tertullianus

nus lib. de Pudicitia cap.20., vel S. Lucæ Pauli Diſcipulo ac ſocio, ut Clemens Alexandr. apud Euſeb. lib.3. cap.38., vel S. Clementi. Quare cum incertum quoque olim fuiſſe, quis oſtenderit, à quo illorum eſſet profecta, ſequitur, ſemper eam eſſe auctoris, cui vulgo adſcribitur, incerti quidem, ſed unius ex illis quatuor, & conſequenter eſſe genuinum fœtum; ut enim obſervat Huetius demonſtr. Evang. propoſ.1. num.8. genuinus liber ille appellari poteſt, & eſt, qui ab eo auctore ſcriptus eſt, à quo dicitur ſcriptus, & eo circiter tempore, quo ſcriptus fertur. Hæc autem epiſtola, cujuſcumque ſit auctoris, ſive Pauli, ſive Barnabæ, ſive Lucæ, ſive Clementis, eo tempore ſcripta eſt, quo fertur ſcripta, cum omnes hi fuerint Diſcipuli Chriſti, vel Apoſtolorum: quin etiamſi eſſet incertum, ut olim fuit, à quo ex illis quatuor eſſet ſcripta; cùm tamen certum eſſet, ab uno illorum fuiſſe ſcriptam, haberemus quidquid nobis ſufficeret ad ejus authenticitatem.

XXV. Attamen qui eam Paulo eripuerunt, vel de ea dubitarunt, valde pauci fuerunt, Origenes re in utramque partem diſcuſſa lib.5. in Joann. non temere eam à Majoribus Paulo adſcriptam cenſet, & quæcumque Eccleſia eam ut Pauli opus ſuſpexerit, laudandam cenſet. Et meritò, eam enim ut Pauli agnoſcebant Græcorum Eccleſiæ, quod teſtatur laudatus Hieronymus, eam quippe inter Paulinas enumerarunt Can.60. Laodiceni Concilii. Quæ autem ex Latinis de hoc dubitabant, certè non fuere celebriores Eccleſiæ: Africanæ enim in Concilio Carthaginenſi 3. Can.47., & S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap.8. quin & Romana teſte Innocentio I. epiſt. 3. ad Exuperium, eam tanquam Pauli ſuſcipiunt. Aliquos ergo Latinorum Hieronymi tempore adhuc dubitaſſe, crediderim, quia nondum apud Latinos Scripturarum Canon aliquis ſuâ ætate editus erat, nondum enim celebratum erat Concilium Carthaginenſe III., aut Innocentius I. ſuum ediderat Canonem. Dubitatio tamen iſta non tollebat, quin ab omnibus Eccleſiis, ut epiſtola Viri Eccleſiaſtici ſuſciperetur, & in omnibus legeretur. Ita S. Hieronymus epiſtola ad Dardanum, qui ſuam mentem aperiens ita loquitur: *Illud noſtris dicendum eſt, hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſiaſticis Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licèt plerique eam vel Barnabæ, vel Clementis arbitrentur: & nihil intereſſe, cujus ſit, quum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum* qui-

quidem Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt: & tamen nos utramque ſuſcipimus; nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerumque utriuſque abutuntur teſtimoniis, non ut interdum de Apocryphis facere ſolent (quippe qui & Gentilium litterarum rarò utantur exemplis) ſed quaſi Canonicis, & Eccleſiaſticis. His Hieronymus mentem aperit ſuam.

XXVI. Et quidem hanc Epiſtolam Paulo adjudicaſſe cum Græcorum Eccleſia etiam Græcos Scriptores, ut aſſerit Hieronymus, teſtantur non ſolum Græci Patres ſupra relati, Clemens Alexandr. apud Euſeb. lib.6. hiſt. cap.14.; verùm & Dionyſ. Alexandr. in epiſtolis contra Paulum Samoſatenum, S.Athanaſ. epiſt. ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopol. lib. de Synodi Nicænæ decretis, lib. de Synodis, & in Synopſi ſacræ Scripturæ, S. Epiphan. hæreſ.59. quæ eſt Novatianorum, S. Baſil. Conſtit. Monaſticarum cap. 22., S. Gregorius Nyſſenus lib. de Hypoſtaſi, S. Gregorius Nazianzenus carmine de Scripturis authenticis, S. Amphylochius carmine ad Seleucum, S. Cyrillus Alexandrinus Anathematiſmo 10. contra Neſtorium, S.Chryſoſt. in expoſitione ejuſdem Epiſtolæ, & demum Theodoritus in argumento Epiſtolæ ad Hebræos, ubi Arrianos refellens, qui eam ut adulterinam reſpuebant: *Oportebat autem* (inquit) *ipſos, etſi nihil aliud, temporis certè diuturnitatem revereri, qui hanc Epiſtolam in Eccleſiis perpetuò legerunt alumni veritatis. Ex quo enim litterarum Apoſtolicarum fuerunt Eccleſiæ participes, ex eo etiam Epiſtolæ ad Hebræos utilitatem percipiunt. Quod ſi ne hoc quidem ad eis perſuadendum ſatis eſt, Euſebio certè, oportebat, eos Palæſtino credere, quem Patronum ſuorum Decretorum appellant. Nam is etiam diviniſſimi Pauli hanc eſſe epiſtolam confeſſus eſt, & Veteres omnes hanc de ea habuiſſe ſententiam, aſſeruit.* Verùm etiam Latini Patres inſigniores; nam præter Concilium Carthaginenſe III., & Innocentium I. S. Hieronymum, & Auguſtinum lib.2. de doctrina Chriſtiana cap.8. in ſpeculo, & lib.2. de peccat. merit., & remiſſ. cap.27. ſupra relatis, eam ut Pauli agnoverunt S. Hilarius lib.4. de Trinit., S. Ambroſ. lib.1. de fide cap.4.: eam in Canone ut Paulinam deſcripſit Gelaſ.1. in Romana Synodo: eam ut talem agnovere Caſſiodorus l.1. divin. lect. c.4., S.Iſidorus Hiſpalenſis lib.5. Originum, & alii. Quare neſcio quinam fuerint, cujuſque auctoritatis, Scriptores illi, qui ut Pauli eam recipere recuſarunt, cum omnes Latinorum celebriores eam ſuſceperint. Merito itaque Eugenius IV. in Decreto pro Jacobitis, & Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. illam tanquam Pauli ſacro Scripturarum

Ca-

Canoni adſcripſerunt, ac recipiendam cum aliis decreverunt; adeo ut nulli Catholicorum liceat contrarium opinari.

XXVII. Dices: ſi Paulus auctor illius Epiſtolæ fuit, cur, ut in aliis, nomen ſuum initio ei non appoſuit?

Reſpondet Euſebius ex Clemente Alexandrino in libris Hypotypoſeon lib. 6. hiſt. cap. 14. hanc inſcriptionem *Paulus Apoſtolus* rectè, atque ordine omiſſam fuiſſe; *Cum enim Hebræis ſcriberet, qui ſiniſtram de ipſo opinionem multò ante combiberant, ipſumque ſuſpectum habebant: prudenti conſilio uſus, illos absterrere ſtatim ab initio appoſita nominis ſui inſcriptione noluit.* Ita etiam reſpondet S. Auguſtinus expoſit. in epiſt. ad Romanos, & ſanctus Hieronymus Catal. Script. Eccleſ. in Paulo; Chryſoſtom. hom. 1. Secundo hoc modeſtiæ fuit, quia enim Paulus ad Gentes erat à Domino directus, Hebræorum Apoſtolum ſe minime inſcribere voluit, *tum ob ſuam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipſe Gentium præco & Apoſtolus ſcriberet.* Alii dicunt inſcriptionem eam omiſiſſe: quia Hebræis mos erat litteras ſine titulo ſcribere, unde ſine titulo ſuam primam epiſtolam S. Joannes ſcripſit. Tertio ſi non eſt Pauli, quia nomen Pauli non præfert, cum nullius nomen præferat nullius erit: & ſic etiam prima Joannis, quia nullius nomine inſignitur, vel nullius erit, vel non erit Joannis. Manifeſtè autem ſe Paulum oſtendit cap. 13., tum verſu 19. ex deſiderio iterum videndi eos, ad quos ſcribebat, quod Paulo in ſuis Epiſtolis frequentiſſimum eſt; tum ex verſu 23., ubi nominat fratrem ſuum Timotheum, per quem fortè ex Italia epiſtolam miſerat. Quis autem ignorat, Timotheum fuiſſe ſocium, ac Diſcipulum Pauli? Demum hoc indicat S. Petrus in ſecunda ſua epiſtola cap. 3. v. 15. & 16., ubi ſcribens & ipſe ad Hebræos meminit epiſtolæ ad eos datæ à Paulo *Cariſſimus frater noſter* Paulus *ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*: quænam autem alia epiſtola Hebræis à D. Paulo conſcripta poteſt proferri niſi iſta?

XXVIII. His tamen, aliiſque non obſtantibus, non deſunt, qui hanc epiſtolam carpant. Lutherus in prologo ad ipſam, nec Pauli, nec alicujus Apoſtoli eam eſſe, contendit, quod aliqua contineat contra Evangelicam doctrinam, cui Lutheranorum grex adhæſit. Calvinus tamen eam quidem recipit, ſed non ut Pauli fœtum, ita in prologo ad eandem. Eraſmus, & Cajetanus dubitanter locuti ſunt. Grotius in præfatione ad eandem negat, eam eſſe Pauli, ſed potiùs Lucæ. Iſtorum momenta expendenda ſunt.

XXIX. Primò dicunt, auctorem hujus Epiſtolæ favere Nova-

vatianis; quia cap. *6.* v. 4. &c. dicit: *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam*, & cap. 10. 26. dicit, non relinqui hoſtiam pro peccato iis, qui voluntariè peccant *poſt acceptam notitiam veritatis*, & cap. 12. 16. 17. de Eſau dicitur, *quod non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*. Quid quæſo apertiùs fovere poteſt errorem Novatianorum, qui aliqua peccata volebant eſſe irremiſſibilia?

XXX. Reſpondeo. Si verba hæc fovent Novatianos, fovebunt etiam iſta Chriſti Matth. 12. 32. *Qui autem dixerit (Verbum) contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro*. Loquitur ergo tum Chriſtus, tum Apoſtolus, de eo, qui peccat contra Spiritum Sanctum, i. qui à Spiritu Sancto illuminatus, habens plenam cognitionem veritatis, adhuc voluntariè, & ex malitia oppugnat cognitam, & exploratam veritatem. Hunc ergo impoſſibile eſt, ait Paulus, rursùs renovari ad pœnitentiam &c., i. moraliter impoſſibile, ſeu perquam difficile eſt, ut convertatur tribus de cauſis. Primo qui ſic peccant, ut plurimùm non convertuntur, nec tale peccatum illis remittitur, ideoque dici benè poteſt irremiſſibile. Sicut enim in morbis corporalibus eos vocamus incurabiles, qui ut plurimùm non curantur, & ſi poſſint abſolutè curari, & de facto aliquando curentur: ita in morbis ſpiritualibus eos dicere poſſumus incurabiles, & ea peccata irremiſſibilia, quæ ut plurimùm non curantur, quia ut plurimum à talibus peccatis homo non avertitur; licèt contingere poſſit, & aliquando contingat, ut ab iis recedat, & illi remittantur. Secundo quia qui in Spiritum Sanctum peccant, directè reſiſtunt gratiæ, quâ ſolâ curari poſſent; ſicut enim Medicus pronunciaret incurabilem illum infirmum, qui reſiſteret & recuſaret unicum remedium ad tollendum ab eo morbum, quamvis poſſet contingere, ut ex alterius perſuaſione remedium illud ſit accepturus; cur non poterit dici irremiſſibile peccatum in eo, qui gratiam à ſe repellit, unicum remedium ad recuperandam animæ ſanitatem, quamvis contingere poſſit, ut tandem ſuaſionibus cedat, & gratiam acceptet, & ſic ei remittatur peccatum. Tertiò dicitur irremiſſibile peccatum, quia in eo, qui ex malitia peccat, nihil eſt unde remiſſione vel dignus, vel ſaltem capax judicetur: ubi qui ex ignorantia, vel infirmitate peccat, aliquod habet, unde miſericordiam Dei provocet, vel ſaltem ea non indignus cenſeatur, juxta illud Pauli 1. Timoth. 1. 13. *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. Quæ toto cœlo à Novatianorum errore diſtant, qui aliqua peccata prorsùs ac omnino irremiſſibilia docebant.

XXXI. Probabilis quidem eſt, & ſatis tollens difficultatem promotam iſta reſponſio; communiter tamen Patres, Chryſoſtomus, Theodoretus, aliique, imo & Auguſtinus in fine Expoſit. inchoatæ Epiſt. ad Rom. ſentiunt primum, & ſecundum ex ſupra allatis textibus debere intelligi de renovatione per baptiſmum, non de reconciliatione per pœnitentiam. Quare in primo textu fiet ſenſus, impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati Baptiſmum ſuſcipientes renovati ſunt, ſi in peccatum prolabantur, per Eccleſiæ Miniſtros ita renovari per pœnitentiam, ut illis reſtituant innocentiam baptiſmalem, vel ut alter Baptiſmus eis conferatur: in ſecundo autem textu ſenſus fiat, quod ſi voluntariè peccamus poſt acceptam veritatis notitiam, acceptumque Baptiſmum; non eſt ſecundo Baptiſmati locus, quo iterum ſicut priùs & à peccatis abſolvamur, & omnis etiam reatus pœnæ nobis relaxetur. Quæ mirè explicat Theodoretus in hunc locum dicens: *Omnino fieri non poteſt, ut qui ad ſanctiſſimum Baptiſmum acceſſerunt, & gratiæ Divini Spiritus participes, & æternorum bonorum typum acceperunt, iterum accedant, & alium Baptiſmum conſequantur; hoc enim nihil eſt aliud, quam filium Dei rurſus crucifigere, & eadem, qua affectus eſt, ignominia rursùs afficere. Sicut enim ipſe ſemel paſſionem ſuſtinuit, ita nos ſemel oportet paſſionis ejus eſſe participes. Conſepelimur autem cum eo per Baptiſmum, & una cum eo reſurgimus. Fieri ergo non poteſt, ut dono Baptiſmi iterum fruamur. Hæc autem dixit Divinus Apoſtolus, Judæos qui crediderunt docens, ne exiſtimarent, ſanctiſſimum Baptiſmum ſimilem eſſe Baptiſmis Judaicis. Illi enim non ſolvebant peccata, ſed corporis, quæ videbantur, ſordes purgabant; qua de cauſa & multi, & frequenter adhibebantur, hic verò unus eſt, ut qui ſalutaris paſſionis, & reſurrectionis typum haberet, & futuram nobis reſurrectionem prædeſignet. Novatiani hæc verba objectant adverſus veritatem, non intelligentes, Divinum Apoſtolum non prohibuiſſe medicamenta Pœnitentiæ, ſed Divini Baptiſmatis definitionem docuiſſe: unde ſubjunxit: rursùs crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & traducentes, ac ignominia afficientes: Divinum enim myſterium eſt ignominia afficere bis ejuſdem eſſe participem. Quod enim ubique prædicet Pœnitentiam, teſtantur quæ ab ipſo ſcripta ſunt ad Corinthios, teſtantur etiam, quæ ad Galatas; & ubique demum ſermones iſtos diſſeminat.* Hæc Theodoretus, quibus adeo apertis nihil addendum eſt. Videatur tamen D. Auguſtinus in Expoſit. inchoata Epiſt. ad Romanos.

XXXII. Ad tertium textum ex cap. 12. dico primo; Novatianos non poſſe ſe tegere hoc textu, quia Eſau pœnitentia non fuit

fuit vera. Iterum audiatur Theodoretus in hunc locum. *Hoc etiam* (inquit) *Novatiani ſua eſſe arma exiſtimant, ſed ſuis ipſorum telis confodientur. Eſau enim non flevit agens pœnitentiam, ſed fratris felicitati invidens. Hoc ipſum autem Caim quoque accidit. Concidit enim, inquit Gen.4. facies ejus: ſed non ideo quod malè obtulerat, ſed quia fratrem viderat divina honoratum ſententia. Quin etiam Divinus Apoſtolus hæc per ea, quæ dixit, innuit: Pœnitentiæ, inquit, locum non invenit: pro eo, quod eſt, non invenit viam pœnitentiæ, nec luxit propter ea, quæ improbè erat machinatus, flevit autem non peccatum, ſed proſperum Jacob ſucceſſum, idque teſtantur ejus verba: Venient, inquit, dies luctus Patris mei, ut occidam fratrem meum* Gen.27. idem habet S. Joann. Chryſoſtomus homil.31. in dictum caput.

Dico ſecundo, mentem Pauli ſolum eſſe, Eſau non potuiſſe conſequi benedictionem paternam, quamvis cum lacrymis inquiſiſſet eam, referendo pronomen *eam* non ad Pœnitentiam, ſed ad benedictionem, ſive ad benedictionis retractationem.

XXXIII. Dicunt ſecundo, auctorem hujus Epiſtolæ favere Arrianis, ac Socinianis, & Unitariis, dum cap.1. v.3. filius divinus non pronunciatur Patri conſubſtantialis, ſed ſolum *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*: & verſu 4. videtur aſſeri excellentiſſima inter creaturas, dum dicitur *melior Angelis effectus*.

XXXIV. Reſpondeo, qui ſic arguunt, in meridiana luce cæcutire; imo nil aptius ad exprimendam, quantum fieri poteſt, humanis nominibus conſubſtantialitatem Filii cum Patre, ejuſque proceſſum à Patre, quàm nomina *ſplendoris, & figuræ*, ſeu, ut ait Græcus, *characteris ſubſtantiæ ejus*. Mirè enim explicant coexiſtentiam, & coæternitatem, & conſubſtantialitatem Filii cum Patre. *Splendor enim* (inquit Theodoretus hic) *& ex igne eſt, & eſt cum igne, & cauſam quidem habet ignem, non poteſt autem ab igne ſeparari. Ex quo enim eſt ignis, ex eo eſt etiam ſplendor .... Ex quo enim gloria, ex eo etiam eſt ſplendor; ſemper autem gloria; ſemper ergo & ſplendor. Ejuſdem etiam naturæ eſt ſplendor cum igne. Ergo etiam filius cum Patre*. Sed quoniam ex hac ſimilitudine occaſionem blaſphemandi ſumunt, *qui Sabellii, & Photini morbo laborant; ſplendor enim minimè per ſe ſubſiſtit: per aliam ſimilitudinem hanc quoque blaſphemiam exterminat, ſubjungit enim & figura ſubſtantiæ ejus, i. character ſubſiſtentiæ ejus. Per ſe enim, inquit, ſubſiſtit, totum in ſe Patrem oſtendens. In ſe enim patrios characteres continet. Huic ſimile eſt, quod Philippo à Domino dictum eſt: Qui vidit me, vidit Patrem meum. Itaque per plura nomi-*

mina nos docuit Divinus Apoſtolus & veram ac germanam generationem, & eandem ſimul cum Patre ſubſtantiam, & coæternitatem. Hæc Theodoretus. Idem ait Chryſoſtom. hom. 2. ad Hebr. *Quidam enim abſurda quædam proferunt, exemplorum conſideratione decepti; ſplendor enim, inquiunt, ſubſtantivum aliquid non eſt, ſed aliunde habet, ut ſit. Noli o homo, ſic iſtud accipere, neque Marcelli, aut Photini morbo laborare... Et quid inquit? Et character ſubſtantiæ ejus? utpote quemadmodum ipſe Pater in ſe ipſo ſubſiſtit nullius indigus, ita & Filius &c.* Rursùs ad illa verba *tantò melior Angelis effectus*: ait Theodoretus, hoc debere intelligi quoad humanitatem. *Ut Deus enim eſt effector, & Dominus Angelorum. Ut homo autem, poſtquam reſurrexit & in cœlos aſcendit, Angelis præſtantior evaſit.... Quemadmodum ergo erat minor Angelis, ut homo, quoniam illi quidem habent naturam immortalem, ipſe verò ſuſtinuit paſſionem: ita poſtquam aſcendit in cœlos Angelis præſtantior effectus eſt, ſedit enim ſuper omnem Principatum, & Poteſtatem* &c. Epheſ. 1. Theodor. Si verò cum D. Athanaſio Orat. 2. contra Arrianos illa verba accipiamus dicta de Filio Dei, quantum ad divinitatem, non in totum per comparationem dicta ſunt, ſed potiùs, ut diſcrimen naturæ Filii Dei à rebus creatis indicet: unde ſtatim ſubjungit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus eſt tu?* Comparatio enim inter res cognatas, atque ejuſdem generis fit; cùm ergo inter Filium Dei, & Angelos nulla cognatio in natura ſit, ideo illud *melior* non per comparationem dictum eſt, ſed per diſtinctionem, & ad differentiæ notam, & ut diverſitas naturæ Filii Dei ab Angelis oſtendatur. Quare ſtatim illum Filium, hos verò mancipia appellat, illum ut Filium Patri à dextris aſſidere, dicit, illos verò ut ſervos apparitorum, ac nuntiorum munere fungi. Uno verbo: illum demonſtrat Deum Patri coæqualem, hos creaturas. Nec obſtat ly *effectus*, ſeu *factus*: ut enim, ait S. Chryſoſtomus homil. 2. in hanc Epiſt., *hoc quod dixit factus, idem eſt hoc loco ac declaratus*.

XXXV. Dicunt tertiò: Auctor hujus Epiſtolæ cap. 1. v. 5. probat, Chriſtum eſſe filium Dei ex verbis 2. Reg. 7. 14. *Ego ero illi in Patrem*, quæ ad litteram de Salomone dicta ſunt. Cum ergo ſolùm ex ſenſu litterali ſumi poſſit argumentum firmum, non ſolidè argumentatur &c.

Reſpondeo, dicta verba *Ego ero illi in Patrem* de Salomone quidem dicta in litterali ſenſu, qui Dei filius per adoptionem, & proinde impropriè fuit, ſed ex intentione Spiritus Sancti verba hæc Chriſtum myſticè, ac propheticè reſpexiſſe. Salomonem qui-

quidem ut typum, Chriſtum autem ut per Salomonem adumbratum, qui non adoptione, ſed natura filius Dei eſt. Ex ſenſu autem, qui etſi non litteralis, ſed typicus, à Spiritu Sancto tamen intentus eſt, ſolidum, validumque ſumitur argumentum ad veritatem fidei confirmandam, aliàs cum omnia, quæ in Veteri Teſtamento litteraliter dicuntur, myſticè ac typicè Chriſtum adumbrent, nullum ex Veteri Teſtamento poſſet confici efficax argumentum.

XXXVI. Dicunt quartò: Cap.*9*. v.4. dicit Auctor hujus Epiſtolæ, fuiſſe in Arca urnam auream habentem Manna, & Virgam Aaron, quæ fronduerat,& Tabulas Legis: ſed lib.*3*. Regum 8.*9*., & 2 Paralip.*5*.10. dicitur: *In Arca autem non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes*, quod ait & Joſephus lib.8. antiquit. c.2. &c.: mentitur ergo Auctor iſte.

XXXVII. Reſpondet Bellarminus lib.1. de Verbo Dei c.17. tempore quidem Salomonis non fuiſſe in Arca aliud, quàm Tabulas Legis, ſed poſtea à Judæis poſitas intra Arcam fuiſſe etiam Urnam, ac Virgam, quod Auctor hujus Epiſtolæ ex Traditione Judæorum optimè ſcire potuit. Ita Theophylactus monens, Hebræos ſui temporis ita ſenſiſſe. Addit etiam, ex textu 3. Regum, & 2. Paralipom. ſolùm colligi, quod tempore Salomonis in Arca nil aliud eſſet præterTabulas Legis, non autem quod nil aliud antea fuiſſet. Cui reſponſioni ſubſcribit Grotius in hunc locum, putans Moſem ab initio repoſuiſſe in Arca cum Tabulis Legis etiam vas cum Manna, & Virgam Aaron; cum enim vas Mannæ, ut legitur Exod.*16*.*33*. repoſitum fuerit coram Domino aſſervandum, ubinam meliùs, quám in Arca, reponi poterat? Virgam autem Aaron in Tabernaculo aſſervatam fuiſſe conſtat Numer.17.10. Verùm cum lapſu temporis metus irrepſiſſet, ne Virga ibi incluſa cariem, Manna autem mucorem pateretur, ablata ſunt ea ex Arca, & cuſtodita in aptiori loco. Cumque Templum à Salomone conderetur eadem ratione extra Arcam relicta ſunt, & in crypta ſubterranea cuſtodita. Et ideo Auctor 3. lib. Regum, & 2. Paralip., qui Arcam deſcripſit, ut erat Salomonis tempore, benè dixit, & in ea non fuiſſe niſi Tabulas Legis, omittens vas Mannæ, & Virgam, quia pro illo tempore revera aliud non erat. Tutior meo judicio via ad conciliandum veritatem hujus Epiſtolæ cum dictis 3, Reg., & 2. Paralipom. eſt, quam indicat Bellarminus ipſe, cuique ſubſcribunt P. Alexandre tum hic, tum in Hiſt. Vet.Teſt. t.1. diſſert.*3*. a.*3*. §.*3*. n.*6*., Huet. demonſtr. Evang. propoſ.4.c.1. n.2., & P.Lamy Apparat. Biblic. lib.1. cap.4. n.10. nimirùm intra Arcam fuiſſe quidem

ſo-

ſolas Tabulas Legis; vas autem Mannæ, & Virgam Aaron fuiſſe juxta Arcam in eodem loco, nimirùm in Tabernaculo, ubi erat Arca: unde ait laudatus Huetius: *In Arca ſolas fuiſſe Tabulas lapideas à Deo ſcriptas, diſcimus ex lib. Regum, & Paralipomenon. Lex autem fuit ad latus Arcæ exterius, quo & Urna aurea Mannæ plena, & Aaronis Virga: hoc eſt ſi Joathanem Paraphraſtem Chaldæum audimus, in capſa, vel ſi Gemaram Thalmudici libri, in ſcrinio ad latus dextrum Arcæ*. Verùm quia poſſet aliquis hic objicere, Auctorem hujus Epiſtolæ dicere, Vas cum Manna, & Virgam fuiſſe in Arca, non juxta Arcam: obſervandum eſt, particulam *In* non ſemper denotare rem, quæ *intra* alterum eſt, ſed aliquando, quæ *juxta*; ſic ementes, & vendentes in Templo fuiſſe dicuntur Matth. 21. 12., Marci 11. 15. nimirùm in porticibus, quæ non intra, ſed juxta Templum erant: ſic Joann. 10. 23. *Et ambulabat Jeſus in Templo in porticu Salamonis*, i. in porticu juxta Templum. Dicitur etiam Chriſtus paſſus in Hieruſalem, quia paſſus in Monte Calvariæ propè Hieruſalem. Sic ergo Paulus ait, hæc tria fuiſſe in Arca, Urnam habentem Manna, Virgam, & duas Tabulas Teſtamenti, Tabulas quidem intra Arcam, Manna verò, & Virgam juxta poſitas, ut de Manna habetur Exodi 16. 33., de Virga autem Num. 17. 10. Aptiſſimè autem hæc tria numeravit Apoſtolus, quia hæc tria objiciebant Judæis eorum ingratitudinem.

XXXVIII. Dicunt quintò, Auctorem hujus Epiſtolæ eodem cap. 9. 15. dum loquitur de Teſtamento propriè dicto, quod morte teſtatoris confirmatur, allegare verba Exodi 24. 6. 8., & Levit. 14. 49. *Hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*, ubi nomine Teſtamenti intelligitur *fœdus*, ſeu pactum; patet autem non omne pactum eſſe Teſtamentum.

Reſpondeo, quod licèt vox Hebraica *Berith* Fœdus, & Teſtamentum promiſcuè ſignificet; tamen LXX. Interpretes, quorum verſionem hic S. Paulus ſecutus eſt, *Diathicin*, i. ultimam diſpoſitionem, verterunt non ſine divino afflatu, quia cum Fœdus illud cum Iſrael non eſſet conſummandum, niſi per Sanguinem, & Mortem Jeſu, quo fiebat, ut eſſet pactum de conferenda per mortem ejus hæreditate vitæ æternæ, aptiſſimè pactum illud vocare potuit Paulus nomine Teſtamenti. Hæc ſunt motiva, quæ militare poſſent contra hujus Epiſtolæ authenticitatem.

XXXIX. Motiva autem, quibus adducti fuere, & hactenus adducuntur aliqui, ut opinentur eam non eſſe Pauli, ſed alterius, ſequentia ſunt. Primum eſt diverſitas ſtyli ab aliis Paulinis. Habet enim ſelectiores voces Græcas, leniùs fluit, non au-

Digitized by Google

autem ſalebroſa eſt, & fracta verbis intercisis, ut aliæ. Sermo inſuper gravior, copioſior, ornatior.

XL. Reſpondent eruditi non pauci, Epiſtolæ quidem iſtius argumentum, ordinem, ratiocinia, ſententias eſſe Pauli, non verò dictionem, & ornatum, ſed vel S. Lucæ, vel S. Clementis Romani, qui ſuam in ea ſcribenda S. Paulo commodarint operam, ideoque non Hebraicè, ſed Græcè primitùs ſcriptam eſſe: quod & Scripturæ Veteris allegatio ſecundum verſionem LXX. Interpretum probare videtur,& nominumHebraicorum explicatio, quæ tribuenda non videtur Epiſtolæ Interpreti, ſed Auctori, ut contextus, & ſeries orationis demonſtrat. Argumentatur enim Apoſtolus ab ipſa nominum interpretatione, ut S. Chryſoſtomus, aliique Græci Scriptores adnotarunt. Hæc ſententia nititur Origenis auctoritate apud Euſeb. lib.6. hiſt. cap.25., quæ tanquam expeditior probatur Bellarmino citato.

XLI. Verùm Clemens Alexandrinus apud eumdem Euſebium, lib.6. cap.14. putat, eam Hebraico idiomate ſcriptam, à Luca verò in gratiam Græcorum Græcè redditam, atque ornatam. *Epiſtolam autem ad Hebræos* (ait Euſebius) *Pauli quidem eſſe, affirmat* (Clemens) *ſed Hebraico ſermone, utpote ad Hebræos, primùm ſcriptam fuiſſe: Lucam verò eandem Græco ſermone ſtudiosè interpretatum, Græcis hominibus reddidiſſe. Quare in ea Epiſtola, & in Actibus Apoſtolorum eundem dictionis colorem reperiri.* Cui ſententiæ adhæret Euſebius ipſe lib.3. cap.38. putans tamen, eam non à Luca, ſed à Clemente translatam. *Cum enim* (inquit) *ad Hebræos patrio ſermone ſcripſiſſet Paulus, alii Lucam Evangeliſtam, alii hunc, de quo loquimur, Clementem Epiſtolam illam eſſe interpretatum ferunt. Quod quidem veriùs videtur, cum præſertim & Clementis, & illa ad Hebræos Epiſtola eundem habeat ſtylum, nec utriuſque ſcripti ſententiæ valde inter ſe diſcrepent.* Quicumque ergo fuerit Epiſtolæ hujus ex Hebraico in Græcum interpres, ei tribuit hæc opinio eloquentiam, atque ornatum, quo ab aliis Paulinis diſcrepare videtur, quæ Apoſtolicam ſimplicitatem magis ſapere videntur. Neque Hebraicorum nominum interpretatio arguit, eam non fuiſſe primò Hebraicè ſcriptam, ſed Græcè; non enim Paulus interpretatur nomen Hebraicum Melchiſedech Græcè, ſed Hebraicè, ut ex Etymologia nominis ratiocinetur, ſicut ſi Latinè quis diceret homicidium eſt hominis cædes. Imo ſi dicerem interpretationem additam fuiſſe ab Interprete, quid incommodi? Exodi enim 12. habetur *eſt Phaſe, i. tranſitus Domini*: quæ interpretatio in Hebræo non legitur. Neque obſtat de Scripturis citatis ſecundum verſ. LXX.Inter-

terpretum: nam Paulus potuit benè teſtimonia ex Hebraico fonte depromere, tamen Græcus interpres ex Vetere, ut verterant LXX. ne aliquid novi Græcorum auribus inferret. Nec id eſt novum; multa enim Paulus ipſe Hebræo ſermone protulerat in concione ad Judæos relata Actorum 13., quæ tamen Lucas retulit ſecundum verſionem LXX. Interpretum. Hæc ſententia, quia communior, amplectenda videtur; ei enim adeſt S. Hieronymus in Catalog., & Theodoretus &c.

XLII. Moventur ſecundò, quia Auctor iſtius Epiſtolæ c.2.3. ſeſe annumerat iis, qui non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis doctrinam acceperunt: Paulus autem Galat.1. affirmat, ſe non ab homine, ſed à Chriſto per revelationem accepiſſe Evangelium. Non igitur Paulus hujus Epiſtolæ Auctor eſt.

XLIII. Reſpondeo, me non videre, cur propter hoc Epiſtola hæc Paulo eripienda ſit; dicit enim loco allato, loquens de ſalute: *Quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis* &c. Paulus certè non erat de numero eorum, qui ab initio Dominum audiſſent enarrantem. Chriſti quoque doctrina etiam in Paulo, vel in Paulum, ſeu uſque ad Paulum confirmata fuit prodigiis: in Paulo quidem, i. in ejus prodigioſa converſione; in Paulum, vel uſque ad Paulum, quia uſque ad ipſum, imo per ipſum Deus eam confirmabat prodigiis, atque portentis. Poterat ergo Paulus dicere, ſe non audiviſſe, aut didiciſſe Evangelium ab homine, ſed à Chriſto, & adhuc ſcribere doctrinam à Chriſto enarratam confirmatam fuiſſe in ipſum, vel uſque ad ipſum per prodigia, & portenta. Adverto inſuper, Paulum non dicere, *quæ in me*, *ſed quæ in nos* confirmata eſt. Non ergo loquitur de ſe, ſed hominibus ſui temporis, de iis præcipuè, ad quos ſcribebat oratorio ſtylo: unde ſubdit: *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem*? ibi v.3. Uno verbo: hic non agitur de confirmatione per doctrinam, ſed per prodigia, quibus uſque ad ipſum, & ſuo tempore, Chriſti doctrina per Apoſtolos confirmabatur.

Si pro coronide quæratur, unde ſcripta fuerit, & quale ſit ejus argumentum?

XLIV. Reſpondeo ad primum, certum eſſe eam ex Italia ſcriptam fuiſſe ex cap.13. v.24. *Salutant vos de Italia fratres*. In qua autem Italiæ urbe data ſit, incertum. Romæ aliqui autumant, & colligunt ex cap.13. 19., ubi videtur eam ſcripſiſſe, dum eſſet in vinculis. Citant pro ſe Chryſoſtomum, ſed quo fundamento non ſatis video; non enim ex hoc, quod Paulus dicat:

Digitized by Google

cat; *Deprecor vos, hoc facere* (i. orare) *quo celeriùs reſtituar ad vos*: arguitur, Paulum tunc vinculis detentum, ſed potiùs ardens Pauli indicatur deſiderium, quaſi diceret: date orationum auxilium, ferte opem meo deſiderio; cupio enim videre vos. Ita Theodoretus.

XLV. Ad ſecundum dico, argumentum hujus Epiſtolæ eſſe totum in extollenda Chriſti dignitate, divinitate, officio, ejuſque Sacerdotii, & ſacrificii ſupra Leviticum excellentiâ. Juſtitiam à Veteris Legis ſacrificiis non expectandam eſſe, docet, ſed ab uno Jeſu Chriſti Sacerdotio, & fide in ipſum. Præceptis ſaluberrimis Hebræos imbuit, ut in fide conſtantes ſint, exemplo SS. Patrum, qui per fidem Deo placentes magna, & mira egerunt, & paſſi ſunt: hortatur ad hoſpitalitatem ſervandam, qua quidam Angelos recipere meruerunt: ad obedientiam præpoſitis præſtandam, ad eleemoſynarum largitionem, & ad patientiam in adverſis, flagellorum paternæ diſciplinæ utilitatem demonſtrans.

§. VII.

Apocalypſis.

XLVI. A*pocalypſis* vox Græca eſt, quæ latinè redditur *Revelatio*. Cumque liber iſte multa contineat myſteria à Deo revelata, ideo *Apocalypſis* nomen habet, antiquitùs tamen dicebatur etiam *Joannis revelatio*, ut apud Euſebium lib. 3. c. 25. lib. 6. cap. 25. Librum hunc Marcionitæ rejiciebant, teſte Tertulliano lib. 4. contra Marcionem, & Alogi apud Epiphanium hæreſ. 51., & Theodotiani apud ipſum hæreſ. 54. Lutherus etiam more ſuo eam deſpicit in prologo, deridens Joannem, quod dicat: *Beatus homo, qui ſervat ea, quæ in ipſa ſcripta ſunt*, cùm homo non ſit, qui in ea ſcripta capere valeat: & in præfatione antiquiore Novi Teſtamenti ait, ſe Apocalypſim neque pro Apoſtolico, neque pro Prophetico libro recipere, ſed ſimilem judicare lib. 4. Eſdræ. Calvinus tamen eam recepit, & ipſi multi ex Lutheranis adhærent, à Magiſtro ſuo in hoc deficientes.

XLVII. Ex antiquis autem, etiam ex Catholicis non defuere, qui eam vel rejicerent, vel ſuſpectam haberent. Eam rejecit Cajus antiquus Scriptor apud Euſebium lib. 3. cap. 28.; quia putabat, eam eſſe fœtum Cerinthi hæretici, indito Joannis nomine, ut ſuis erroribus auctoritatem conciliaret. *Sed &* (inquit) *per revelationes quaſdam à ſe tanquam à magno Apoſtolo con-*

ſcriptas, portenta quædam, quaſi ab Angelis ſibi oſtenſa commentus nobis introducit, affirmans poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terris futurum, ac rursùs homines Hieroſolymis degentes cupiditatibus, & voluptati corporis obnoxios fore. Quod teſtatur etiam Dionyſius Alexandrinus apud eundem Euſebium ibi, ubi loquens de Cerintho dicit: *Ajunt, eum librum compoſuiſſe indito Joannis nomine, dum auctoritatem figmentis ſuis ex Joannis nomine mutuari vellet*. Huic tamen opinioni Dionyſium non ſubſcripſiſſe, ſed Apocalypſim ut Joannis opus habuiſſe, conſtat ex iis, quæ ſcribit apud Euſebium lib.7. cap.25. de Apocalypſi, ſeu revelatione Joannis dicens: *Nonnulli quidem ex iis, qui nos præcesſerunt, librum hunc repudiarunt penitus, ac refutarunt, ſingula ejus capita refellentes, eumque abſque ullo ſenſu, & ratiocinatione ſcriptum eſſe monſtrantes. Ad hæc inſcriptionem libri falſam eſſe, dicunt; neque enim auctorem ejus eſſe Joannem. Sed neque eam revelationem eſſe, quippe quæ tam craſsè, tamque opaco ignorantiæ obducta ſit velo, & non modo Apoſtolorum neminem, ſed ne ullum quidem è Sanctis, & Eccleſiaſticis viris hujus libelli conditorem fuiſſe affirmant. Cerinthum enim, qui nominis ſui ſectam conflavit, cum magnæ auctoritatis nomen ad faciendam fidem commentis ſuis vellet præfigere, Joannis titulum operi ſuo indidiſſe*... Deinde opinionem ſuam ſtatuens dicit: *Ego verò librum illum rejicere omnino non auſim, præſertim cùm multi ex fratribus eum magni faciant* &c. Hæc Dionyſius, quamvis poſtea dubitet, an ſit Joannis Apoſtoli, an alterius Joannis. Demum S. Hieronymus Epiſt. ad Dardanum, Apocalypſim fuiſſe dubiam Græcis, ſicut Epiſtolam ad Hebræos Latinis, aſſerit, ut ſupra vidimus. Hinc Euſebius lib.3. cap.25. poſtquam Scripturis omnium conſenſu receptis Apocalypſim annumeravit, nondum tamen eliquatam ejus auctoritatem declarat, dum loquens poſtea de libris ſpuriis ait: *His adjunge, ſi lubet Joannis Revelationem, quia nonnulli, ut ſuperius dixi, ex albo Scripturarum expungunt, alii inter libros omnium conſenſu probatos annumerant*. Hæc Euſebius; dixerat autem ibi c.24. *De Revelationis autem libro adhuc in utramque partem opinionum varietate certatur*.

XLVIII. Hiſce tamen non obſtantibus melior, & major pars antiquitatis Apocalypſim ut divinam revelationem agnovit, ac ſuſcepit. Videndus propterea Juſtinus Martyr Dialog. cum Triphone ultra medium, de quo Euſebius lib.4. cap.18. recenſens ejus opera dicit: *Joannis quoque Revelationem commemorat, quam ab Apoſtolo conſcriptam eſſe disertè dicit*. Quod teſtatur etiam S. Hieronymus lib. de Script. Eccleſ. in Joanne, addens etiam

etiam Irenæum, dicens: Joannes *in Pathmos inſulam relegatus ſcripſit Apocalypſim, quam interpretantur Juſtinus Martyr, & Irenæus*. Hæc autem Juſtini, & Irenæi in Apocalypſim commentaria nec extant, nec extitiſſe, ullus unquam dixit, præter Hieronymum hoc in loco. Nam idem Hieronymus infra in Juſtino, & Irenæo de illorum in Apocalypſim commentariis ne verbulum quidem facit, nec Euſebius ſupra relatus lib.4. hiſt. c.18. nec in Chronico ad annum decimumquartum Domitiani. Sed hæc obiter dicta ſint. Joannem eſſe Apocalypſis auctorem, tradit Irenæus lib.4. cap.37. & 5., lib.5. cap.30., & apud Euſebium lib.5. hiſt. cap.8., ubi de hoc libro tanquam ſua ætate recenti loquitur, & adhuc vivere, qui fidem facere poſſent, viſa eſſe Joanni Domini Diſcipulo ea, quæ in Apocalypſi memorantur. Hoc idem perſuaſum fuit Tertulliano lib.3. adverſus Marcionem cap.14., lib.4. cap.5. de Præſcriptionibus cap.33., & in Scorpiaco: hoc idem S. Hippolyto Epiſcopo Portuenſi, & Martyri lib. de Antichriſto: hoc idem Origeni homil.7. in Joſue, & apud Euſebium lib.6. cap.25., ubi Joanni, qui in Chriſti ſinu recubuit, tribuit librum *Revelationis*. Omnes ad unum Patres ſubſequentes Apocalypſis auctoritatem faſſi ſunt, eam Joanni Apoſtolo adjudicantes. In Concilio Ancyrano antiquiſſimo citatur ſub nomine Joannis. Etſi autem Laodicenum Concilium eam non poſuerit in ſuo Canone, quia, ut dixi, apud Græcos adhuc de illa dubitabatur, eam tamen Eccleſia Africana in Carthag. 3. Can.47., S. Auguſtinus lib.2. de Doctrina Chriſt. cap.8. lib.20. de Civitate Dei cap.7., & ſequentibus, Eccleſia Romana, ut ex Canone Innoc I. Epiſtola 3. ad Exuperium ex Geleſ.1. in Romana Synodo, & tandem Eccleſia univerſalis in Florentino, & in Tridentino ſeſſ.4. inter libros Canonicos conſcripſere, omnibuſque ut talem propoſuerunt.

XLIX. Quod verò auctorem habeat Joannem Evangeliſtam potiùs, quam Presbyterum, præter conſenſum Patrum, quos ſupra laudavimus, ipſamet Epiſtola prodit; in ea enim Auctor ſe dicit Joannem, & ſcribit Eccleſiis Aſiæ cap.1. v.4. *Joannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia*, & fuit in Inſula Pathmos v.9. *Fui in Inſula, quæ appellatur Pathmos*, ille Joannes fuit, *qui teſtimonium perhibuit Verbo Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti quæcumque vidit*, ibi v.2. Hæc autem omnia ſimul collecta ſoli Joanni Evangeliſtæ conveniunt, nam is fuit fundator, & rector Eccleſiarum Aſiæ; fuit exul in Inſula Pathmos: verba illa *Qui teſtimonium perhibuit* redolent ſtylum, & phraſim Evangeliſtæ, ut patebit conferenti hæc cum iis, quæ habentur Joann.1.; nihil au-

autem horum quadrat Joanni Presbytero, qui licèt in Aſia fuerit, non tamen ibi erat Rector Eccleſiarum, non fuit exul in Pathmos &c.

L. Neque dicas, ſtylum Joannis Apoſtoli eſſe elegantiorem, tum in Evangelio, tum in Epiſtolis: ſolitum eſſe nomen ſuum reticere, & loqui in tertia perſona de ſe ipſo; hic autem loquitur in prima perſona, ſe ipſum ſæpius nominans: rursùs in Codicibus Græcis titulus non eſt Joannis Apoſtoli, ſed Joannis Theologi. Hinc meritò quidam, ut vidimus, dubitarunt.

LI. Reſpondeo: recolendum eſſe, Joannem hìc non hiſtorico, ſed prophetico ſtylo ſcribere, quæ ſibi in extaſi revelabantur, alia autem methodus eſt, alius ſtylus Prophetæ, alius Hiſtorici; Propheta enim ſcribit quaſi poſitus extra ſe, & divino Spiritu abreptus; ſtylum tamen Joannis produnt verba illa *Agni*, & *Verbi*, quibus etiam utitur in Evangelio. Eadem ratione ſæpè loquitur in perſona propria ſuum nomen repetens, ut in Danielis prophetia legere eſt. Neque titulus Theologi appoſitus in Codicibus Græcis eripere valet Joanni Apoſtolo Apocalypſim; cui enim inter Apoſtolos Theologi nomen meliùs aptari poteſt, quam Joanni, qui de Deo tam altè locutus eſt, ut notante Auguſtino tract. 36. in Joannem, ideo Joannes volanti Aquilæ comparetur, alii verò Evangeliſtæ animalibus ſuper terram gradientibus, quod ceteri de humanitate Chriſti, ipſe de divinitate præcipuè ſcripſerit? Athanaſius Orat. contra Gentes num. 42. citans verba Joannis Evangelii cap. 1. dicit: *Uti etiam vir Theologus his verbis docet*, & lib. de Incarnatione num. 18. Apoſtolos, & Evangeliſtas vocat *Theologos*, & ibid. num. 56. loquens de divinis Scripturis dicit: Illæ enim Theologorum hominum miniſterio à Deo probatæ, & ſcriptæ ſunt; quod repetit ad Epiſcopos Ægypti, & Lybiæ num. 14. Aliqui etiam rejecerunt: fateor; ſed qui? Marcionitæ, Alogi, qui teſte Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 30. ſic dicuntur, *i. ſine Verbo, quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium reſpuentes, cujus nec Apocalypſim accipiunt, has videlicet Scripturas negantes eſſe ipſius*. Similes autem damnati homines in auctoritatem trahendi non ſunt. Si qui tamen Catholicorum eam negarunt, id fecere decepti, putantes eam fuiſſe à Cerintho Joanni ſuppoſitam ad tegendum ſuum de millenario regno errorem, ut Cajus ſupra relatus, aliique numero pauci, ſed quid iſti contra Eccleſiarum, & Patrum ferè unanimem conſenſum valent?

LII. Dices cum Luthero: cujus utilitatis eſſe poteſt Apocalypſis liber, cum nemo intelligat ea, quæ ibi ſcripta ſunt?

Reſpondeo. Si hoc titulo Apocalypſis rejicienda eſt, rejiciendi erunt omnes libri prophetici, maximè Ezechielis, Danielis &c., quorum Vaticinia vel nemo intelligere valeat, vel ſaltem pauci. Igitur Luthero repetendum eſt monitum D. Auguſtini tract.9. in Joann. *Lege omnes libros propheticos, non intellecto Chriſto, quid tam inſipidum, & fatuum invenies? Intellige ibi Chriſtum, non ſolum ſapit, quod legis, ſed etiam inebriat.* Lutherus ergo non intellexit Apocalypſim, quia in ea non intellexit Chriſtum. Fateor tamen abſtruſiſſima ibi eſſe Oracula. Sed nunquid ideo rejicienda? Non ita ſentiebat Dionyſ. Alexandr. apud Euſebium lib. cap.25. *Ego verò librum illum rejicere omnino non auſim, præſertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed hujuſmodi de illo opinionem concipiens, quaſi ſenſus mei modum excedat, arcanam quamdam planèque admirabilem ſingularum rerum intelligentiam latere exiſtimo. Nam etſi ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen, altiorem quemdam ſenſum verbis ſubeſſe. Eaque non mea ipſius judicio metior, atque æſtimo: ſed plus fidei tribuens, ſubliminora eſſe cenſeo, quàm ut à me percipiantur. Nec ea condemno, quæ intelligere non potui. Verum inde admiror magis, quod capere non poſſum.* Ita Dionyſius. Ita loqui debuerat Lutherus. Ita etiam reſpondendum erit interroganti, quid intelligat hic S. Joannes per mulierem, Agnum, Olivas, Beſtiam, ejuſque cornua, Candelabra, Aquas, Meretricem, Plagas. Babylonem, Gog, Magog, Phialas, Stellas, Librum, Sigilla, Aves, Angelos alligatos, Seniores, Templum &c. Licèt enim Interpretes varias, innumeras excogitarint horum interpretationes, ſaniùs eſt dicere, horum interpretationem germanam, ac tutam hactenus ſoli Deo notam, nec nos niſi conjecturis, iiſque parùm firmis, inniti poſſe.

LIII. At quomodo ſi nullus capere, aut intelligere poteſt, quæ ſcribit, Joannes dicit cap.1. v.3. *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt?*

Reſpondeo, quod eſtò nullus capere queat, ſaltem certò, quid illis nominibus in particulari adumbrare voluerit Joannes: qui legit tamen, & audit, ſcit ibi Joannem loqui laudando eos, qui Nicolaitarum doctrinam reſpuebant, alios ad pœnitentiam provocando, tepidos deteſtando, vincentibus prœmium pollicendo, perſecutiones tandem finem habituras, perſeverantes tandem cum Chriſto glorificandos, impioſque mittendos in ſtagnum ignis ardentis, & multa de Judicio extremo ibi prænunciari; ideo qui legit, audit, & ſervat uſque in finem, in fide Chriſti perſeverando, beatus erit. Quomodo intelligenda ſint,

quæ

Digitized by Google

quæ dicit de Regno millenario, expoſuimus tom.2. in 1.p. qu.2. de Viſione dub.2. §.3. à num.12.

LIV. Apocalypſis licèt ex dictis pro Canonico habenda ſit, non tamen pro Proto-canonico, ſeu primi Ordinis, ſed pro Deutero-canonico, ſive ſecundi Ordinis libro, quia de eo dubitarunt aliqui, ut vidimus, imo nec in Laodiceno Canone; nec apud Sanctum Cyrillum Hieroſolym. Catecheſ. 4., nec apud S. Gregorium Nazianzenum carm.34. inter Canonicos recenſetur.

Si de tempore, quo ſcripta ſit, quæratur, & loco, dicam; Cum certum ſit fuiſſe conſcriptam eo tempore, quo Joannes fuerat relegatus in Inſula Pathmos, ut ex cap.1. v.9., ex Irenæo lib.5. Euſebio lib.3. cap.18., & S.Hieronym. de Script. Eccleſ., ad tempora Domitiani ejus conſcriptio referenda eſt, (ante quidem ſcriptum Evangelium, quod redux ab exilio conſcriptum reliquit in extrema ſenectute) & ſub exitum Imperii ejus. Quo autem anno ſit conſignanda ejus conſcriptio, dicunt anno 14. Imperii Domitiani, qui eſt Chriſti 97. Ita Baronius, & Alexandre.

§. VIII.

Quædam partes Marci, Lucæ, & Joannis olim dubiæ.

LV. INdubiæ auctoritatis fuere ſemper Evangelia, de aliquibus tamen partibus eorum viſi ſunt aliqui dubitaſſe, num ſint genuinæ eorum, quorum dicuntur, an vero iis aſſutæ.

Primum, de quo dubitatum fuit, fuit S. Marci caput ultimum, in quo agitur de Chriſti reſurrectione. Hoc non eſſe Canonicum, viſus fuit dubitaſſe S. Hieronymus Epiſtola ad Hedibiam q.3., ubi ad quæſtionem ſibi propoſitam de apparenti diſcordia S. Marci à S. Matthæo circa tempus reſurrectionis Chriſti, quam Marcus aſſerere videtur, contigiſſe *Valdè mane una Sabbatorum*, Matthæus verò *Veſperè Sabbati*, Hieronymus, duplicem afferri poſſe ſolutionem, reſpondet. Primam his verbis exprimit: *Aut non recipimus hoc Marci teſtimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris penè hoc Capitulum in fine non habentibus: præſertim cum diverſa, atque contraria Evangeliſtis ceteris narrare videatur*. Si ergo Hieronymi tempore liberum erat recipere, aut non, Capitulum illud Marci, ſignum eſt, tunc non fuiſſe habitum ut Canonicum, eò vel maximè, quod in multis Codicibus deeſſet. Occaſionem huic ſuſpicioni dediſſe, crediderim, S. Hieronymo quoddam additamen-

mentum apocryphum, inſertum tunc temporis illi Capitulo Marci, de quo Hieronymus ipſe lib.2. Dialogi adverſus Pelagianos circa medium. In quibuſdam enim exemplaribus, & maximè in Græcis Codicibus juxta Marcum in fine ejus Evangelii cap.16. 14. ad illa verba: *Poſtea quum accubuiſſent undecim, apparuit eis Jeſus: & exprobravit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, quia his, qui viderant eum reſurgentem, non crediderunt:* additum legebatur: *Et illi ſatis faciebant dicentes: ſeculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt; quæ non ſinit, per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem: idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam*: ex quo additamento revera apocrypho, imo & hæreſim Manichæam redolente, motus eſt fortaſſe Hieronymus ad ſuſpicandum, totum illud Caput ſuſpectum haberi poſſe.

LVI. Non habuiſſet tamen locum dubitandi Hieronymus, dum hæc ad Hedibiam ſcribebat, ſi locum inſignem S. Irenæi lib.3. adverſus hæreſes cap.10. vel 11. reſpexiſſet, ubi caput illud poſtremum verè S. Marci eſſe, cognoſcit dicens: *In fine autem Evangelii, ait Marcus: Et quidem Dominus Jeſus, poſtquam loquutus eſt eis, receptus eſt in cœlos, & ſedet ad dexteram Dei.* Quod argumento eſt; in antiquiſſimis, & ſincerioribus Codicibus Græcis illud ultimum Marci Caput non fuiſſe deſideratum. Et conſequenter ducentis annis ante Hieronymum fuiſſe ab Eccleſia receptum, ut partem Evangelii Marci. Quod ſi S. Hieronymi ævo in aliquibus Græcis Codicibus deerat: id omiſſioni, aut vitio Scriptorum adſcribi debet, Codiceſque illi manci, ac mutili erant. Non enim credibile reddi poteſt, Marcum, qui, ut ſupra vidimus, Evangelium ſcripſerat, prout à Petro audierat prædicatum, unum ex principalibus fidei noſtræ myſteriis, nimirùm reſurrectionem Chriſti ſcribere neglexiſse, ſicut non eſt credibile, quod Petrus eam neglexerit prædicare. Meritò igitur Eccleſia illud ut genuinum Marci Caput ſemper ſuſcepit, & cum aliis ejuſdem Evangelii partibus legendum propoſuit: nec de hoc dubitaſſe Eccleſiam tempore S. Hieronymi, facit fidem S. Auguſtinus, illud cum aliorum Evangeliſtarum dictis concilians lib.3. de conſ. Evang. cap.24. Unde Trident. ſeſſ.4. jubet, libros integros recipi ab omnibus (& conſequenter etiam Marcum) ut in Eccleſia legi conſueverunt. Quin Calvinus ipſe pluribus in locis, & præſertim lib.4. Inſtit. cap.16. §.27. illud admittit: ſibi enim objecto verſu 16. dicti capitis ultimi: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: quo Anabaptiſtæ errorem ſuum de non baptizandis infantibus tueri conantur, eo admiſſo re-

reſpondet; certè non admiſſurus, ſi genuinum Marci non exiſtimaſſet. De hoc ergo non eſt dubitandum.

Si verò quæras, quomodo ergo conciliandus eſt Marcus, qui mane reſurrectionem Chriſti conſignat, cum Matthæo, qui eam veſpere contigiſſe ſcribit, quæ erat quæſtio propoſita Hieronymo ab Hedibia?

LVII. Reſponderi poteſt ſecunda reſponſione S. Hieronymi dictæ Epiſt. ad Hedibiam, conciliari optimè cum Matthæo Marcum, dicendo Matthæum diſignaſſe tempus, quo Chriſtus reſurrexit, quod quidem fuit veſpere, imo nocte; Marcum verò tempus apparitionis, quo ſcilicet apparuit Mariæ Magdalenæ, quod quidem fuit valdè mane. Verùm hæc reſponſio non videtur tollere vim quæſtionis; nam etiam Matthæus videtur loqui de tempore apparitionis, dicit enim cap. 28. 1. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena* &c. Scio, Hieronymum conari diſtinguere tempus reſurrectionis, à tempore adventus Mariæ ad ſepulchrum dicendo: *Ita enim diſtinguendum eſt: quum autem reſurrexiſſet: & parumper ſpiritu coarctato, inferendum, prima Sabbathi mane apparuit Mariæ Magdalenæ: ut qui veſpere Sabbathi juxta Matthæum ſurrexerat, ipſe mane prima Sabbathi juxta Marcum apparuerit Mariæ Magdalenæ. Quod quidem, & Joannes Evangeliſta ſignificat, mane eum alterius diei viſum eſſe demonſtrans*. Quæ ſolutio utpote tanti Doctoris auctoritate munita certè rejicienda non eſt.

LVIII. Planior tamen videtur conciliatio, qua utitur S. Auguſtinus dicto lib. 3. de conſ. Evangeliſt. cap. 24., nimirùm, Matthæum nomine *Veſpere* ſumſiſſe ſecundum conſuetudinem Scripturarum partem pro toto, nempe primam horam noctis, á qua cœperunt emere aromata, pro tota nocte, imo pro nocte dum incipit luce terminari, quod indicant verba Matthæi dicentis: *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati*, initium enim noctis non luceſcit in prima Sabbati, ſed terminus noctis, quod optimè concordat cum Luca dicente *valde diluculò*, cum Joanne: *Mane, cum adhuc tenebræ eſſent*: & Marco *valdè mane*; die quippe ſurgente aliquæ reliquiæ tenebrarum ſunt, quæ tantò magis attenuantur, quantò magis oritur lux; quod autem dicit Marcus *orto jam ſole* non facit ſenſum, ſolem jam conſpicuum ſuper terram fuiſſe, ſed quod cœlum ab Orientis parte jam albeſceret, quod non fit utique, niſi orientis ſolis vicinitate: ſolis enim eſt ille fulgor, qui nomine auroræ appellari ſolet. Videndus eſt Auguſtinus ibi.

LIX. Quoad Evangelium Lucæ hiſtoria illa de ſudore ſangui-

guineo, & Angeli apparitione ad conſolationem Chriſti, relata cap.22., à plurimis Codicibus cum Græcis, tum Latinis olim abfuiſſe teſtantur S. Hilarius lib.10. de Trinitate, & S. Hieronymus Dialogo 2. adverſus Pelagianos. Ceterùm hiſtoriam illam canonicam convincunt Eccleſiæ Catholicæ auctoritas in Tridentino ſeſſ.4., & Codicum omnium, qui nunc extant tum Græcorum, tum Latinorum, necnon Syriacorum, & Arabicorum conſenſus; & antiquitùs etiam ita fuiſſe, teſtis eſt S. Juſtinus Dialogo cum Triphone pag.331. dicens: *Nam in libris, qui ſunt ab ejus Diſcipulis, ipſorumque ſectatoribus compoſiti, memoriæ mandatum eſt, ſudorem ipſius tanquam guttas ſanguinis defluxiſſe in terram.* Hoc itidem tacitè innuit Irenæus, dum lib.3. cap.14. inter multa, quæ contra Marcionem & Valentinum recenſet, dicit, eſſe alia multa à Luca ſcripta, quæ alii Evangeliſtæ non ſcripſerunt: & eodem lib. 3. cap.32. nunc 24. dicit contra Valentinum, quod ſi nihil ſumſiſſet ex Maria, *nec lacrymas fudiſſet ſuper Lazarum, nec ſudaſſet globos ſanguinis.* Quæ fortiora teſtimonia, quam hæc duo prolata ex ſecundo ſeculo? Idem teſtati ſunt ſequentium ſeculorum Patres, & maximè Auguſtinus lib.3. de conſ. Evang. cap.4. Ad illum Irenæi locum reſpexiſſe videtur Epiphanius in Ancorato §.31., ubi conquerens, è Lucæ exemplaribus improvido quodam Catholicorum zelo abraſa fuiſſe verba aliqua, dicit: *Sed & ploravit. In iis Lucæ Evangelii exemplaribus, quæ interpolata non fuerunt, legitur (eoque teſtimonio S. Irenæus in opere contra hæreſes ad eos refellendos utitur, qui Chriſtum ſpecietenus apparuiſſe dicebant; Catholici verò timore quodam inducti ſententiam illam ſuſtulerunt, illius neque finem, neque vim maximam intelligentes) Et in agonia conſtitutus ſudavit* &c. Cauſa autem, quæ illos ſimplices Chriſtianos permovit, ut hiſtoriam illam è Lucæ Evangelio abraderent, fuit, ut ait Bellarminus cap.16. de Verbo Dei lib.1., ne Chriſto infirmitatem, aut animi dolorem tribuere viderentur: qua ratione quoſdam Catholicos præpoſtero zelo è ſuis Codicibus ex illis verbis Lucæ 19.41. *Videns civitatem flevit ſuper illam*, eraſiſſe verbum *flevit*, teſtatur Epiphanius in Ancorato, vel, ut ait P. Lamy lib. 5. cap. 26. in ſua concord. Evangelica, quia ſcilicet Arriani abutebantur hoc loco ad detrahendam Chriſto divinitatem; veluti fieri non poſſet, ut in humanam Chriſti naturam, quæ divinitati perſonaliter unita eſt, tam ingens triſtitia caderet. De his ergo loquuntur Hieronymus lib. 2. Dialogo contra Pelagianos, & D. Hilarius lib. 10. de Trinitate, non quia ipſi hunc Lucæ locum verè Evangelicum non agnoſcerent,

ſed ut monerent, non in omnibus ſui temporis Codicibus fuiſſe, & propterea non ita certæ fidei habitum, nec proto-canonicum, ſicut ceteras ejuſdem Evangelii partes: nec ex hoc loco ſibi blandiri queunt Arriani. Ita enim loquitur ad eos Hilarius laudatus: *Nec ſanè ignorandum à nobis eſt, & in Græcis, & in Latinis Codicibus compluribus, vel de adveniente Angelo, vel de ſudore ſanguinis nil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris variis, aut deſit, aut ſuperfluum ſit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diverſitate Librorum) certè ſi quid ſibi ex hoc hæreſis blanditur, ut infirmum affirmet, cui opus fuerit Angeli confortantis auxilio, meminerint Creatorem Angelorum creationis ſuæ non eguiſſe præſidio, tum deinde neceſſariò eo modo eum confortatum, quo modo & triſtem eſſe. Nam ſi nobis triſtis eſt, ideſt propter nos triſtis eſt, neceſſe eſt, ut propter nos ſit confortatus & nobis, quia qui de nobis triſtis eſt, & de nobis confortatus eſt, ea confortatus eſt conditione, qua triſtis eſt. Sudorem verò nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam eſt ſudare ſanguinem. Nec infirmitas eſt, quod poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit: neque ad hæreſim infirmitatis* (ita vocat hæreſim Arrianam) *pertinere ullo modo poterit, quod adverſus hæreſim Phantaſma mentientem proficiat, per ſudorem ſanguinis ad corporis veritatem.*

LX. In Evangelio Joannis revocata in dubium olim à quibuſdam fuit mulieris adulteræ narratio, quæ legitur initio cap.8. Euſebius lib.3. hiſt. cap.39. Papiæ dicta recenſens dicit: *Aliam quoque exponit hiſtoriam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino accuſata eſt. Quæ quidem hiſtoria in Evangelio ſecundum Hebræos ſcripta legitur.* Hæc ergo hiſtoria non videtur à Joanne ſuo Evangelio inſerta, ſed ex Evangelio apocrypho ſecundum Hebræos in Evangelium Joannis intruſa. Addo, Origenem & Chryſoſtomum in ſuis commentariis illam prætermittere.

LXI. Attamen Canonicam & genuinam Joannis eſſe, fides ſexdecim vetuſtiſſimorum Codicum, quos contulit Robertus Stephanus, item omnium, quos contulere Bibliorum Polyglottorum diligentiſſimi Editores Complutenſes & Anglicani, teſtantur. His veterum teſtimonium ſuffragatur: Ammonii Alexandrini in Harmonia, S. Athanaſii in Synopſi, Ambroſii Epiſt. ad Studium 51. lib.6., Hieronymi lib.2. contra Pelagianos, qui etſi eam abeſſe ab aliquibus Codicibus ſupponat, illam tamen contra Pelagianos intorquet: D. Auguſtini tum tract.33. in Joannem, ubi eam ut indubitatam exponit, tum lib.2. de Adulterinis conjug. cap.6. & 7.; ubi eam dicit eraſam ab infidelibus quibuſdam: poſtquam enim mitem Chriſti ſententiam protulit, *Nec ego*

ego te damnabo, vade, deinceps noli peccare Joann.8. 11. ſubdit: *Sed hoc videlicet infidelium ſenſus exhorret, itaut nonnulli modicæ fidei, vel potiùs inimici veræ fidei, credo metuentes, peccandi impunitatem dari mulieribus ſuis, illud, quod de adulteræ indulgentiâ Dominus fecit, auferrent de Codicibus ſuis, quaſi permiſſionem peccandi tribuerit, qui dixit: Jam deinceps noli peccare: aut ideo non debuerit mulier à medico Deo remiſſione illius peccati ſanari, ne offenderentur inſani.* Conſtat ergo hiſtoriam illam, etſi non proto-canonicam, Canonicam tamen habendam eſſe, quin & talem habet univerſa Eccleſia. Neque dictum Euſebii ſupra relati poteſt ſuſpicionem alicui parere, illam ex apocrypho Evangelio ſecundum Hebræos fuiſſe in Evangelium Joannis injectam: nam quidquid ſit de teſtimonio Papiæ, cui dictum Euſebii nititur, non ſatis conſtat, mulierem, de qua Euſebius ex Papia loquitur, eſſe eam, de qua Joannes. Nam hæc narratur ſolo crimine adulterii accuſata, illa autem dicitur multorum criminum coram Domino accuſata, ac proinde una potuit eſſe narratio apocrypha, altera vera.

CAPUT IV.

De Libris Apocryphis Novi Teſtamenti.

A*Pocryphus* à Græco nomine *Apocryphos*, idem eſt ac latinè abſconditus, ac celatus. Illi ergo libri in hoc ſenſu dicuntur Apocryphi, qui occultæ originis, & ignotæ auctoritatis ſunt: vel quia neſcitur, à quo prodierint, vel an vera ſint, quæ continent. Horum maximus numerus erupit primis Eccleſiæ ſeculis, quos Apoſtoli, & viri Apoſtolici ut nullius auctoritatis rejecerunt, quorum major pars ad bonum Chriſtianæ Reipublicæ omnino periit, ſi nomen excipias, quod in operibus Auctorum Eccleſiaſticorum ſervatum eſt. Hos in tres claſſes diſtinguit Euſebius lib.3. hiſt. cap.25. Prima eſt eorum, qui dubiæ quidem erant ſuo tempore auctoritatis, nec in Novi Teſtamenti corpus erant relati, à pleriſque tamen Scriptoribus Eccleſiaſticis agnoſcebantur, unde tandem ut genuini, atque legitimi declarati ſunt, & hi ſunt libri Deutero-canonici, ſeu ſecundi Canonis, de quibus Capite antecedenti egimus. Secunda eſt eorum, quos nullus unquam, qui continuata ſucceſſione ab Apoſtolis in Eccleſia docuit, in ſcriptis ſuis commemorare dignatus eſt, ſed & ipſum dicendi genus longè ab Apoſtolica ſimplicitate diſcrepat; & hi verè apocryphi, ſeu veriùs ſuppo-

ſiti dicuntur, quia alicui Apoſtolo, aut viro Apoſtolico tribuuntur, cum illius verè non ſint. In tertia verò claſſe ii ſunt, in quibus traditur fides, quæ cum à vera, & Catholica doctrina plùrimùm aberret, hæreticorum hominum figmenta eſſe, manifeſtè coarguit. *Quocirca nequidem inter ſpurios collocandi ſunt hi libri, ſed tanquam abſurdi, & impii, prorſùs repudiandi*. De libris ſecundæ, & tertiæ claſſis hic agemus. Hinc patet differentia inter libros primæ & ſecundæ claſſis, quod dubietas, quæ de libris primæ claſſis olim apud aliquos verſabatur, poſteriori ætate, & meliùs perſpecta veritate, penitùs ſublata eſt, ut tandem tanquam genuini, & Canonici ab omnibus recepti ſint. Dubietas autem, quæ circa libros ſecundæ claſſis apud pleroſque invaluerat, procedente tempore adeo excrevit, ut non ſolum, qui de illorum veritate dubii tenebantur, dubium non depoſuerint, ſed qui aliqua ducti probabilitate eos amplexabantur, tandem veritate comperta eos penitùs rejecerint, atque inter apocryphos reliquerint. De his ergo agemus ſiſtentes pro nunc in Novo Teſtamento.

§. I.

De Scriptis Chriſto ſuppoſitis.

I. Narrat Euſebius lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 13. quòd Abgarus, ſeu Agbarus, *qui Edeſſenis populis trans Euphratem poſitis non ſine laude præerat, cum gravi morbo, & qui humana ope curari non poterat, conſumeretur, ſimul atque de Jeſu nomine ubique diffuſo, ac ſtupendis ejus miraculis, quæ omnium teſtimonio firmabantur, accepit, miſſis per Tabellarium litteris, ſupplex eum rogavit, ut ſe morbo liberaret. At ille tunc quidem vocanti minimè eſt obſecutus, litteras tamen ad eum ſcribere non recuſavit, quibus è diſcipulis ſuis, qui ipſum ſanaret, miſſurum ſe eſſe pollicebatur, neque ipſi ſolum, ſed omnibus propinquis, & familiaribus ſalutem præſtiturum. Nec multò poſt ad exitum perducta ſunt quæcumque ei promiſſa fuerant. Nam poſt reſurrectionem Chriſti, ejuſque in cœlos adſcenſum, Thomas unus e duodecim Apoſtolis divino quodam impetu impulſus, Thaddæum unum è ſeptuaginta Chriſti Diſcipulorum numero Edeſſam miſit, ut Chriſti doctrinam illis Gentibus nuntiaret, ejuſque opera Servatoris noſtri promiſſa exitum ſortita ſunt*. Hæc Euſebius, qui deinde ſubjicit exemplum dictarum litterarum è Syriaco translatarum.

II. Omiſſa Epiſtola Abgari ad Jeſum, quam quiſque apud Eu-

Euſebium legere poterit, & ad rem noſtram non eſt, ſubjicimus ex eodem exemplum Epiſtolæ Chriſti ad Abgarum: *Reſcriptum Jeſu ad Agbarum Regem per Ananiam curſorem*: *Beatus es Agbare, qui in me credideris, quem non vidiſti: de me enim ſcriptum eſt, eos, qui me viderint, non credituros in me, ut ii, qui non viderint, credentes vitam accipiant. Quod autem verò ad me ſcribis, ut ad te proficiſcar, hìc neceſſe habeo omnia implere, propter quæ ſum miſſus, iiſque demùm abſolutis ad eum, qui me miſit, reverti. Ceterùm cum primum ad eum me recepero, ex diſcipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi, tuiſque omnibus præſtet*: hæc ex Euſebio, qui deinde proſequitur enarrans, quomodo Thaddæus exceptus ab Agbaro fuerit, quæque apud ipſum præſtiterit. Antea verò in probationem ſui dicti provocarat ad monumenta civitatis Edeſſenæ, in quibus hæc omnia deſcripta viſebantur, dicens: *Cujus quidem rei teſtimonium habemus ex ipſius Edeſſæ, in qua tunc regnabat Agbarus, tabulariis deſumtum. Siquidem in monumentis publicis, in quibus antiquitates Urbis, & res Agbari geſtæ continentur, hæc etiam ad noſtram uſque ætatem conſervata reperimus*. At non obſtante hoc Euſebii teſtimonio, hujuſmodi Epiſtolarum fides apud Eruditos valdè nutat, itaut plerique, re benè perſpecta, eas in numerum apocryphorum rejiciant. S. Hieronymus non aſſerendo, ſed referendo loquitur, dum ait in c.10. Matth. *Thaddæum Apoſtolum, Eccleſiaſtica tradit Hiſtoria, miſſum Edeſſam ad Agbarum Regem Orſroenæ, qui ab Evangeliſta Luca Judas Jacobi dicitur* &c. qui in hoc diſſentit ab Euſebio, quod Euſebius Thaddæum miſſum ad Abgarum dicit non fuiſſe Apoſtolum, ſed unum ex Diſcipulis; Hieronymus autem eum vocat Apoſtolum. Quin in Ezech. cap.44. verſus finem apertè ſcribit: *Unde & Salvator nullum volumen doctrinæ ſuæ proprium dereliquit, quod in pleriſque apocryphorum deliramenta configunt, ſed Patris & ſuo Spiritu quotidie loquitur in corde credentium*, quod & disertè aſſerit S. Auguſtinus lib.1. de conſenſu Evang. cap.7., & S. Thom.3.p. q.42. art.4. abundè probat, Chriſtum nihil ſcripſiſſe, & conveniens fuiſſe, ut doctrinam ſuam ſcripto non traderet.

III. Scio, ad hæc reſpondere hujus Epiſtolæ defenſores, inter quos ex Proteſtantibus Gugl. Cave in ſua Hiſt. Litteraria, & Erneſtus Grabius Spicileg. Patrum initio Seculi primi, & in Notis, dictos Patres negare, Chriſtum ſcripſiſſe volumen Doctrinæ, non autem parvam Epiſtolam reſponſivam, urbanitatis titulo, nihilque doctrinæ continentem. Cum contrarium evincat Hiſtoricus ſupra laudatus Euſebius, affirmans, ſe id ex monu-

numentis publicis Edeſſenæ urbis deſcripſiſſe; cui addunt Evagrium lib.4. hiſtor. Eccleſiaſ. cap.27. dicentem, *Procopium litteris mandaſſe ea, quæ ſunt de Edeſſa, & Abgaro à Veteribus tradita, & quemadmodum Chriſtus ad Abgarum ſcripſerit*. Verba autem Procopii affert Grabius citatus, à quibus referendis abſtineo, cum nil plus aſſerat, quám Euſebius. Evagrio; & Procopio addunt S. Ephræm Syrum Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconum, qui tempore Conſtantini Magni vixit, & ejuſdem Epiſtolæ meminit in ſuo Teſtamento, Edeſſenos ſic alloquens: *Et benedicta ſit veſtra civitas, in qua habitatis. Ipſa enim Sapientum eſt civitas, & mater Edeſſa: quæ quidem etiam palam, atque manifeſtè ex ore Chriſti Domini benedicta eſt per ſuos diſcipulos, noſtros verò Apoſtolos. Nam quando Rex Abgarus, qui hanc civitatem extruxit, rogabat, ut exciperet eum, qui peregrinus in terris apparuerat, Salvatorem, inquam, univerſorum, & Dominum Chriſtum, dicebat: Omnia audivi, quæ à te facta ſunt, & quæcumque à reprobis, & aſpernantibus te Judæis paſſus es. Veni igitur huc, & nobiſcum habita; habeo enim mihi civitatem hanc exiguam, quæ tibi & mihi ſufficiet. Cujus etiam fidem admiratus Dominus, mittens eò per nuncios, perpetuò civitati illi benedixit, firmans ipſius fundamenta: benedictioque illa inhabitans in ea permanebit, donec Sanctus è cælo apparebit Jeſus Chriſtus filius Dei, & Deus de Deo*. Addunt, Darium Comitem ſcribentem ad Auguſtinum has litteras commemoraſſe dicentem: *Fertur Satrapæ, ſeu Regis potius cujuſdam Epiſtola Deum Dominum Chriſtum deprecantis... Deus affuit Regi, ſanatus eſt, & amplificato petitionis munere per Epiſtolam, non modò ſalutem ut ſupplici, ſed etiam ſecuritatem ut Regi tranſmiſit. Juſſit inſuper ejus urbem ab hoſtibus in perpetuum eſſe, ac ſemper immunem*. Quæ Epiſtola eſt inter Auguſtinianas novæ editionis numero 230.

IV. Verùm hæc, & alia, ſi quæ proferri poſſunt, non adeo me vincunt, ut omnem abigam ſuſpicionem de veritate laudatæ Chriſti Epiſtolæ. Obſervo enim altum de ea ſilentium tribus primis ſeculis. Apoſtoli, aut viri Apoſtolici in ſuis ſcriptis de ea nihil, nec Matthæus, qui tamen cap.4. 24. dicit: *Et abiit fama ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes* &c. nihil de Abgaro, & ejus litteris, nihil de Chriſti reſponſo innuit: non debuiſſet dum de languentibus è Syria deportatis ſcribebat, præterire Edeſſæ Regem pro ſanitate Chriſto ſupplicantem. Rurſus in Scriptis Patrum trium priorum ſeculorum ne vola quidem Abgari, aut Epiſtolæ Jeſu ad ipſum. Solo quarto ſeculo ab Euſebio prodiit rumor, cœpit de ea ſpargi, at non certus,

tus, ut infra oſtendam. At inquies, monumenta civitatis Edeſſenæ id produnt, Euſebius id teſtatur, & forte vidit, S. Ephræm confirmat. Fateor. At ſi ita erat, cur Laodiceni aut Carthaginenſis tertii Conciliorum Patres hanc Chriſti Epiſtolam ſacris Codicibus non annumerarunt, eam in Canone, imo in Capite Canonis reponentes: ſi curæ illis fuit, diſcipulorum litteras Canoni inſerere, neglexiſſent Epiſtolam Magiſtri? Nec dici poteſt, eo tempore notam non fuiſſe, nam præſertim tempore Concilii Carthaginenſis illius fama jam invaluerat, Euſebius jam Hiſtoriam ediderat, Darius Comes jam id ſcripſerat Auguſtino, qui illi Concilio intererat. Cur non miſerunt Edeſſam, ut tantum theſaurum è monumentis illius urbis extractum toti Chriſtiano orbi communicarent? Fortè quia parva Epiſtola erat, nihilque ad doctrinam fidei aliis ſcriptis Apoſtolicis ſuperaddens? At erat Epiſtola Chriſti manu exarata. Quid ad fidem pertinens in ſe claudit Pauli Epiſtola ad Philemonem? Erat Epiſtola ad privatum hominem nil aliud continens,quam ſervi transfugæ commendationem, & tamen Canoni ſacro meruit inſeri, quia Pauli. Eccur etiam non meruiſſet Epiſtola ad Abgarum, commendans ejus fidem, eique vi illius ſanitatem promittens, tali honore donari, quia Epiſtola Chriſti? Probabile igitur eſt, Veteres illos de veritate illius epiſtolæ dubitaſſe, ac monumenta Edeſſenæ civitatis non fuiſſe fidei omnino probatæ. Quapropter deſinente ſeculo quinto, nimirùm anno 494. Gelaſius I. Papa in Concilio Romano cum 70. Epiſcopis iſtud de illis epiſtolis tulit Judicium. *Epiſtola Jeſu ad Abgarum Regem apocrypha, Epiſtola Abgari ad Jeſum Apocrypha.*

V. Dubitandi materiam Epiſtola ipſa tum Abgari ad Jeſum tum Jeſu ad Abgarum miniſtrant. Abgarus inducitur Chriſti divinitatem diſertè atteſtans, ſcribit enim: *Quæ quidem cum de te audiviſſem, de duobus hiſce alterum verum eſſe cogitavi, te aut Deum eſſe, & è cœli faſtigio delapſum: aut Dei filium, qui tam ſtupenda edas miracula.* Quod apertius argumentum pro Chriſti divinitate adſtruenda ſumtum à viro Ethnico? Cur ergo Patres iſtud nunquam Arrianis objecere? Signum certè eſt, ab iis non fuiſſe creditum indubiæ fidei. Sed reponit Grabius, non mirum, ſi Patres contra Arrianos uſi non fuerint, quia inutile ad eos evincendos fuiſſet hoc teſtimonium, cùm Abgarus dubitanter locutus ſit, num eſſet Deus, aut Dei filius, i. vel Deus, vel Meſſias, aut alius ſingularis Dei amicus, quæ collectio mixta cum ignorantia non reddidit Abgarum fidelem, ſed initium ſolum fuit fidei. Attamen nutat hæc meditatio primo; ſi nomine

ne filii Dei non venit vera divinitas, & propterea Patres hoc teſtimonium Abgari contra Arrianos non adhibuerunt, neque potuiſſent eos urgere teſtimonio Chriſti in Evangelio, ubi ſemper ſe vocat filium Dei: ſicut ergo hoc uſi ſunt, ita etiam uti poterant illo. Secundo Abgarus non dubitabat, an Chriſtus eſſet verus Deus, ſed an eſſet Deus, an filius naturalis Dei, quare Thaddæo ſibi dicenti *Dominus noſter, & Deus Jeſus Chriſtus, quidquid à Patre mandatum fuerat, executus eſt, perfectiſque omnibus ad Parentem ſuum eſt reverſus*: reſpondit Abgarus, *& in ipſum credidi, & in Patrem ejus*. Tertiò evincitur ex reſponſo Chriſti *Beatus es, qui cum non videris me, in me credidiſti*. Credidit ergo Abgarus, ut oportebat, eum credere, quò beatus à Chriſto pronunciaretur. Atqui non pronunciaſſet Chriſtus beatum, nec credentem in ſe, qui credens illum Deum, aut filium Dei, revera non crederet ejus divinitatem, ſed tantum haberet dubitationem, aut fidei initium mixtum cum ignorantia; Ergo Abgarum revera credidiſſe, ſignat Epiſtola.

Nec minus dubium exurgit ex Chriſti reſponſo; reſpondit enim commendans ejus fidem, qui cum non vidiſſet, in eum credidiſſet, & deinde diſtulit ejus ſanitatem. Res planè Chriſto inſolita, qui quotquot in eum credentes ad ipſum accedebant, confeſtim ſanare conſueverat, etſi gentiles, & diſtantes. Mulier illa, de qua Matthæus cap. 15. egreſſa de finibus Tyri, & Sydonis Gentilis erat, unde Chriſtus v. 24. rogatus, ut ſanaret filiam ejus reſpondit: *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael*: tamen quia in ea magnam intuitus fuit fidem, protinùs filium ejus ſanavit v. 28. *Mulier magna eſt fides tua. Fiat tibi, ſicut vis: & ſanata eſt filia ejus ex illa hora*. Centurio, de quo idem Matth. cap. 8. Gentilis erat; qui tamen tantam fidem non invenit in Iſrael, puerum illius ſanavit. Debebat quidem Chriſtus differre Gentilibus prædicationem, iis enim non erat prædicandum Evangelium, niſi poſt aſcenſum ejus in cœlum; at ſanitatem Gentilibus eam petentibus concedere conſueverat. Hæc ergo ſanitatis dilatio data Abgaro credenti in Jeſum, & conſequenter etiam juſtificato, cùm homo ſecundum doctrinam Grabii per fidem juſtificetur, fovet dubitationem, num Epiſtola illa fuerit reapſe à Chriſto exarata. Dubium augetur, quia in ea Chriſtus promittit, ſe poſt ſuum adſcenſum ad Patrem miſſurum aliquem ex Diſcipulis ad Abgarum ſanandum: *Ceterum cum primum ad eum me recepero, ex diſcipulis meis aliquem ad te mittam*. Chriſtus autem nulli Diſcipulorum dedit hoc in mandatis. Euſebius enim, qui hanc primus narravit hiſtoriam, dicit Thad-

dæum

dæum quidem miſſum, at non à Chriſto ſed à Thoma, moto non à Chriſto mandante, ſed divino quodam impetu? Vel ergo Chriſtus oblitus fuerat ſui promiſſi, vel Chriſto ea epiſtola tribuenda non eſt. Secundò in epiſtola illa inducit Chriſtum citantem verba Evangelii de ſe ſcripti, dum dicit *Beatus es, qui qui cum non videris me, in me credidiſti; de me enim ſcriptis proditum eſt* &c. quæ ſumta ſunt ex cap.20. Joann. v.29. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Sed tunc temporis nullum Evangeliorum ſcriptum erat, cum omnia poſt Chriſti in cœlos adſcenſum ſcripta fuerint. Ergo ex hoc etiam motivo apparet ſibi contradicens, & proinde ſuppoſititia.

VI. Præterea annorum nota falſa videtur, dicit enim Euſebius citatus: *Acta ſunt hæc anno quadrageſimo ac trecenteſimo* apud Edeſſenos. Ut autem notat Valeſius ad hoc Caput Euſebii, annus hic trecenteſimus & quadrageſimus juxta Edeſſenos cadit in annum primum Olympiadis 202., etenim Edeſſeni annos numerabant ab Olympiadis 117. anno primo, quo Seleucus orſus eſt regnare in Aſia, ut ſcribit Euſebius in Chronico, à quo tempore uſque ad initium Olympiadis 202. ſunt anni 340. Porrò initium Olympiadis 202. incidit in annum 15. Tiberii Cæſaris, quo anno teſte Luca cap.3. v.1. &c. Joannes Baptiſta miniſterium ſuum obire cœpit: *Anno quintodecimo Imperii Tiberii Cæſaris... factum eſt Verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem Jordanis* &c. Hiſce ſuppoſitis dico ſic: Euſebius conſignans acta anno 340. Edeſſenorum, & 15. Tiberii, vel loquitur de tempore, quo Abgarus ſcripſit ad Jeſum, & Jeſus Abgaro reſcripſit, vel de tempore, quo ad Abgarum miſſus fuit Thaddæus. Neutrum autem ſubſiſtere poteſt. Non primum, quia eo anno, quo Joannes Baptiſta miniſterium ſuum obire cœpit, vix Jeſus ſe prodere cœperat, nec fama ejus miraculorum poterat ad Syriam perveniſſe; & hoc etiam dato, nondum efferbuerat Judæorum odium contra Chriſtum, ut Abgarus haberet motivum ſcribendi: *Audio Judæos tibi obtrectare, & inſidias in caput tuum ſtruere*. Si verò loquatur de tempore miſſionis Thaddæi ad Abgarum, multò magis a veritate alienus eſt: nam Thaddæus miſſus eſt poſt Chriſti mortem, & conſequenter anno 18. aut 19. Tiberii, non 15., quo Chriſtus adhuc nobiſcum verſans vix prædicationem ſuam inchoarat.

VII. Si dixeris, multos veterum conſignaſſe Chriſti mortem anno 15. Tiberii, acta autem illa, de quibus loquitur Euſebius, referenda eſſe, non ad tempus conſcriptionis epiſtolarum Abgari

ad Jeſum, & Jeſu ad Abgarum, ſed ad miſſionem Thaddæi, quæ potuit contingere eodem anno ſtatim poſt Chriſti reſurrectionem. Ita Grabius, & Valeſius.

VIII. Contra eſt. Primò, quia Euſebius ipſe in Chronico affigit mortem Chriſti anno 18. Imperii Tiberii, anno autem 15. initium ejus prædicationis. Ergo Euſebius non poteſt loqui de miſſione Thaddæi facta illo anno. Cum Euſebio conſentit Epiphanius hæreſ.51. Secundò dicere Chriſtum mortuum anno 15. Tiberii contradicit Lucæ, qui, ut vidimus, ſcribit, eo anno Chriſtum exorſum fuiſſe ſuam prædicationem. Verùm quia Chriſtum in crucem actum anno 15. Tiberii ſentiunt Tertullianus lib. contra Judæos cap.8., quem ſecutus eſt Lactantius lib 4. Inſt. cap.10., imo & D.Auguſtinus lib.18.de Civit.Dei cap.54., oſtendo, nec admiſſa hac opinione ſubſiſtere miſſionem Thaddæi ad Abgarum; quia ante converſionem Pauli, quæ contigit uno poſt Chriſti adſcenſum anno, vel tertio, ut aliqui putant, inter quos Calvinus, nullus Apoſtolorum, aut Diſcipulorum Chriſti, ad Gentiles tranſivit, imo adhuc ſecuta Pauli converſione Act. cap.11., cum Petrus Cornelium Gentilem ad Chriſtum traxiſſet, & cum eo multi Gentilium Petro concionante fidem amplexi eſſent, hoc audito, Apoſtoli contendere cœperunt, & quaſi increpare Petrum *dicentes* ibi v.3. *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis*? Quanto ergo magis increpaſſent Thomam, ſi eodem anno, quo Chriſtus à nobis diſceſſerat, Edeſſam civitatem Gentilem miſiſſet Thaddæum, ut Abgarum ad Chriſtum traheret? Apparet ergo, plura inveriſimilia complicare haſce epiſtolas.

IX. Supereſt, ut momenta, quæ pro illis faciunt, perpendamus. Primum Euſebii teſtimonium ſupra allatum occurrit, quod monumentis Edeſſenis fulcitur. Reſpondeo, Euſebii quidem auctoritatem flocci non eſſe faciendam, contingere tamen potuit, ut dum hæc ſcriberet, non omnia perpenderet, ut æquum erat, deceptus monumentis iis, quæ non genuina, ſed ſuppoſititia eſſent, vel ſaltem dubiæ auctoritatis; quare Hieronymus de iis mentionem faciens, aut referendo, aut dubitando loquitur, quod & alii ejus temporis faciunt: quæ tandem animum Gelaſii moverunt, ut eas epiſtolas inter apocryphas recenſeret. Et jure quidem; nam multa incredibilia continebant, ut obſervavimus. Quibus addi poteſt, quod ex Archivis Edeſſenis depromtæ dicuntur Epiſtola non ſolùm Chriſti ad Abgarum, ſed & Abgari ad Chriſtum. Unde porrò contigit, quod Epiſtola Chriſto miſſa degenti in Judæa iterum Edeſſam redierit? Secun-

cundò, ſi Abgarus legatione adeo honorifica Chriſtum adiit, cur omnes Evangeliſtæ eam ſilentio prætermiſerunt? Tertiò narratio, quæ refert adventum Thaddæi Edeſſam, multa continet à vero aliena. Thaddæus mittitur ad Regem: hic autem muneris ſui velut oblitus ad Tobiam Tobiæ filium recta divertit, ibi multa edit miracula, antequam conveniat Abgarum, cujus tamen causâ illuc advenit. Tandem Thaddæus ingreſſus ad Regem patitur, ſe à Rege adorari, nec adorationem abnuit, quam tamen Petrus recuſavit à Cornelio, dicens Act.10.26. *Surge, & ego ipſe homo ſum*. Rogatus ab Abgaro, ut de potentia, gloria, & adventu Chriſti coram ipſo diſſereret, renuit dicens, ſe miſſum ad Verbum Dei palam annunciandum, cùm tamen Paulus, & Silas Act.16.32. petente carceris cuſtode loqui Verbum Domini ei, & omnibus, qui erant in domo ejus, non ſint dedignati. Hæc aliena a praxi Apoſtolica notat Alexandre Secul.1. diſſert 3.

X. Evagrius ab Euſebio deſcripſit, ideoque non major ei fides adhibenda, quam Euſebio. Addo. Evagrius ibi non ſolum de Epiſtola, ſed de imagine miſſa à Chriſto ad Abgarum meminit, qua miraculosè ab obſidione Choſroæ Edeſſeni liberati ſunt. Cur ergo Grabius Evagrio credit narranti de Epiſtola, at narranti de Imagine & miraculo ejus credere recuſat?

XI. S. Ephræm Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus plus nimio monumentis ſuæ Eccleſiæ detulit. Imo quæ addit, non dicta ab Euſebio, ſuſpectum reddunt monumentum illud Edeſſenum; dicit enim, quod Chriſtus Abgari fidem admiratus miſit illi per nuncios: cum tamen Euſebius dicat, Chriſtum nullum miſiſſe, ſed miſsum tandem Thaddæum à Thoma impulſu divino moto: dicit, quod Chriſtus per nuncios civitati Edeſſenæ perpetuó benedixit, quæ benedictio permanſura eſſet, donec ſanctus è cœlo apparebit Filius Dei, quæ verba in Epiſtola Chriſti, ut deſcribitur ab Euſebio, non reperiuntur, & rursùs effectum ſuum non habuere. Nam eſto à Choſroa, ut nuper dicebam, liberata divinitùs, Phoca tamen Romanis imperante, Edeſſa in Perſarum poteſtatem venit, teſte auctore Chronici Alexandrini p.875. Imo quam triſtia fata hæc civitas ſub medium ſeculi 12. experta fuerit, Eugenius III. Papa declarat in Epiſt. ad Ludovicum Francorum Regem apud Othonem Friſingenſem lib.1. de geſtis Friderici cap.34. ita ſcribens: *Edeſſa civitas, quæ noſtra lingua Rhoais dicitur, quæ etiam, ut fertur, cum quondam in Oriente tota terra à Paganis detineretur, ipſa ſola ſub Chriſtianorum poteſtate Domino ſerviebat, ab inimicis Crucis Chriſti capta eſt, & multa*

Chriſtianorum caſtella ab ipſis corrupta : ipſius quoque civitatis Archiepiſcopus cum Clericis ſuis, & multi alii Chriſtiani ibidem interfecti ſunt. Et adhuc ſub Mahumetanorum jugo ſervit : ergo benedictio Chriſti, eam ſcilicet manſuram uſque ad ejus adventum, vel falſificata fuit, vel fictitia eſt. Imo nec tanto tempore, nimirum uſque ad ſeculum 12., fidem Chriſto ſervavit Edeſsa. Refert enim Dio lib.60. Arbandum Abgari pronepotem, atque Edeſseni Regis filium in deliciis (& fortè nefariis) Trajano, dum Edeſsæ moraretur, fuiſse, atque coram eo *barbarico quodam more* ad cœnam invitato ſaltaſse. Quæ certè barbarica ſaltatio ſatis probat, Chriſtianam religionem in aula Edeſsena non viguiſse. Tam citò ergo benedictio Chriſti effectu ſuo fuerat defraudata, tam ſubitò prædicationis, ac miraculorum Thaddæi, & Epiſtolæ Chriſti ad Abgarum ſcriptæ abolita memoria ? Nec refert, ſi cum Grabio dicas, additamentum illud de benedictione Chriſti, & de urbe nunquam caſura, aſsutum, ac confictum fuiſse. Ego enim reponam, & cur dici nequit, totum fuiſse confictum ? Si monumenta Edeſsena hac in parte commentitia ſunt, cur commentitia non erunt in illa etiam, ubi referunt Epiſtolam Chriſti ſcriptam ? Certè quod in uno falſatum deprehenditur, in ceteris evadit ſaltem ſuſpectum, niſi aſſignetur ratio falſitatis unius, & veritatis ceterorum; quod hic ex dictis locum non habet, cum de Epiſtola ipſa ſuæ difficultates ſint, eæque non leves.

XII. Quod de Dario Comite ſcribente ad S. Auguſtinum, ac Epiſtolam Chriſti ad Abgarum memorante, adducitur, pervincit quidem, eo ſeculo famam iſtam invaluiſse, non tamen certam. *Fertur* (inquit Darius) *Satrapæ, ſeu Regis potius Epiſtola*. Imo cum S. Auguſtinus Dario reſpondens, nihil de hac Epiſtola tetigerit, credere par eſt, Auguſtinum de illa Epiſtola parum curaſse, quùm diſertè aſſerat lib.1. de conſenſu Evang. cap.7. Chriſtum nihil ſcripſiſse. Deinde Darius utrumque ſcribit, & de Epiſtola à Chriſto ad Abgarum data, & de perpetua civitatis incolumitate : *Ab hoſtibus in perpetuum eſſe, ac ſemper immunem*. Hoc ſecundum Grabio falſum eſt. Ergo primum mihi eſse poterit ſaltem ſuſpectum.

XIII. Si dixeris, Gregorium Epiſtola prima ad Leonem Iſaurum tom.4. Concil. præfixa Nicæno ſecundo, ipſum etiam Nicænum ſecundum Act.5., & Damaſcenum lib.4. Fidei Orthodoxæ, alioſque hanc Epiſtolam protuliſse.

Reſpondeo, Gregorium non ſolius Epiſtolæ, ſed & Imaginis à Chriſto Abgaro miſsæ meminiſse. Concedat ergo mihi Gra-

Grabius, Chriſtum imaginem ſuam Abgaro miſiſse, Orientis populos ad illam oraſse (quod non faciet) tunc autem ego epiſtolam admittam. Concilium autem Nicænum ſecundum, & Damaſcenus loquuntur quidem de Imagine miſsa à Chriſto ad Abgarum, ſed de Epiſtola nec Verbum faciunt.

Hæc ergo ſunt, quæ mihi etſi non certò apocrypham, ſuſpectam ſaltem, & quidem non modicè, reddunt Epiſtolam Chriſti ad Abgarum. Quia tamen ſententiam proferre non auſim, rem in medio relinquam, ut quiſquis perpenſis pro utraque parte motivis ſententiam proferat, ut libuerit.

XIV. Præter hanc Epiſtolam, de qua hactenus, alia ſcripta Chriſto ſuppoſuerunt Hæretici; miſso enim magico libro, quem à Chriſto compoſitum, cujuſque virtute miracula feciſse, Ethnicorum aliqui blaſphemabant, quem ſupra anathematizavimus cum Auguſtino lib.1. de conſenſu Evang. cap.7.; jactabatur olim ab aliquibus Epiſtola quædam Chriſti, tamquam in Hieroſolymam è cęlo lapſa,& per Michaelem Arcangelum in porta Ephrem inventa, & per manus Sacerdotis nomine Leoræ relecta: quam in Concilio Romano ſecundo anno 745. Zacharias Papa Act.2. retulit, ac repudiavit,tanquam ab Aldeberto quodam confictam, ut legere eſt tom.3. Conc. Collect. Harduini Columa. 1939. & contra ipſam & alia pſeudographa Carolus Magnus in Capitular.1. anni 789. tom.1. Capitular. Reg. Francorum column.239. decrevit, *ne credantur, nec legantur, ſed comburantur, ne in errorem per talia ſcripta Populus mittatur*.

XV. Inter apocrypha etiam jam olim rejectus fuit Hymnus Domini, quem aliqui confinxerant, Chriſtum ſecreto docuiſſe Apoſtolos ſuos, & hunc fuiſſe illum, dicebant Priſcillianiſtæ, qui eo utebantur, de quo ſcribit Matthæus 26.30. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti*, addentes, non fuiſſe in Canone poſitum, quia velut ſacramentum Regis abſcondendum fuit his, qui ſecundum carnem ſentiunt, & non ſecundum ſpiritum, & veritatem Dei. Quaſi quod Scripturæ Canonicæ non pertinerent ad ſacramentum Dei, & eis conſcriptæ eſſent, qui ſecundum Carnem ſentiunt, & non ſecundum Spiritum, & Veritatem Dei. De hoc videndus eſt S. Auguſtinus Epiſt. olim 253. nunc 237. ad Ceretium, ubi ex dicto Hymno fragmenta recitat, ac refellit.

* * *

§. II.

§. II.

De Epiſtolis B. V. ad Meſſanenſes, & alios.

XVI. MEſſanenſium civium gloria in eo ab aliquibus ponitur, quod B. M. Virginis Epiſtola ſint honorati. Hoc ſi verum eſſet, non parvi certè faciendum foret. Pro veritate hujus Epiſtolæ P. Inchoffer S. J. tomum implevit, quem inſcripſit *Veritas vindicata*. Econtra Rocchus Pyrrhus Siculus in *ſua notitia Sicilienſium Eccleſiarum* inanem prorsùs P. Inchoffer conatum eſſe, probare nititur. De hoc Cardinalis Albitius in ſuo libro *de Inconſtantia in fide* cap. 30. num. 385. ita loquitur. *In ſuprema &c. fuit ſuper hoc latè diſputatum de anno 1598., & ſub die 30. Julii ejuſdem anni fuit reſolutum, eam* (Epiſtolam B. V. ad Meſſanenſes) *inter Scripturas apocryphas numerari. Ideo cum de anno 1606. die 4. Januarii fuiſſet impreſſa, fuit mandatum, quod exemplaria impreſſa colligerentur, & impoſterùm imprimi probiberentur. Qui autem cupit videre, quam apocrypha, & mendax ſit hiſtoria de Epiſtola B. V. ad Meſſanenſes, adeat Rocchum Pyrrhum in ſua notitia Sicilienſium Eccleſiarum notitia ſecunda Eccleſiæ Meſſanenſ. à pag. 234. ad 254., & in fine voluminis pag. 484. affert decretum S. Congregationis Indicis editum die 14. Aprilis 1633. quo probibetur liber, cui titulus Epiſtolæ B. M. Virginis ad Meſſanenſes Veritas vindicata auctore P. Melchiore Inchoffer è Societate Jeſu, licèt in eo decreto permittatur conjectatio ejuſdem Epiſtolæ eodem P. Melchiore auctore.* Hæc Albitius.

XVII. Stante ergo ſupremæ S. Inquiſitionis decreto ſancientis, dictam Epiſtolam eſſe inter Scripturas Apocryphas rejiciendam, finita eſt controverſia. Attamen pro majori luce hujus controverſiæ videndum breviter, qua occaſione ſcripta fuerit dicta Epiſtola, quibuſque momentis eam ejus defenſores tuiti ſint. Ait ergo Chriſtophorus de Caſtro Hiſt. Deiparæ cap. 23. *Dum Paulus Romam proficiſcens eſſet Rhegii, rogatus à Meſſanenſibus duas habuit conciones, unam de Incarnatione Verbi, & Mariæ Virginitate adhuc viventis, qua excitati duos miſerunt nuncios Hieroſolymam, protectionem illius dopoſcentes, per quos illa miſit unam Epiſtolam Hebraicè ſcriptam manu ſua.*

XVIII. Epiſtolæ autem forma, ut frequentiùs teritur, hæc erat: *Maria Virgo Joachim filia, Dei humillima Chriſti Jeſu Crucifixi Mater, ex Tribu Juda, ſtirpe David. Meſſanenſibus omnibus ſalutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem.*

Vos

Vos omnes fide magna legatos, ac nuncios per publicum documentum ad nos miſiſſe conſtat, Filium noſtrum, Dei genitum, Deum, & hominem eſſe fatemini, & in cœlum poſt ſuam reſurrectionem aſcendiſſe, Pauli Apoſtoli Electi prædicatione mediante, viam veritatis agnoſcentes: ob quod vos, & ipſam civitatem benedicimus, cujus perpetuam protectricem nos eſſe volumus: Anno filii noſtri 42. *Indictione* 1. III. *Non. Junii, Luna* 27. *Feria* 5. *ex Hieroſolymis. Maria Virgo, quæ ſupra, hoc Chirographum approbavit.* Hæc forma Epiſtolæ quam veriorem judicat P. Inchoffer.

XIX. Verùm cuinam eam legenti non ſtatim apparet talis formæ improbabilitas? B. Virginis ſumma humilitas pateretur ne, ſe tot exornari titulis; numero plurali loqui, ut ſolent Reges ac Reginæ; benedicere; ſuamque protectionem populo alicui polliceri? Modeſtiori certè ſtylo ea exarata eſt Epiſtola, quam Edeſſeni oſtentant ſcriptam à Jeſu ſuo Regi Abgaro. In ea nullus eſt titulus, nulla benedictio, nulla protectionis pollicitatio. Secundò num credibile eſt, Paulum integram de Maria Virgine concionem inſtituiſſe, de qua in ejus Epiſtolis vix ſermo eſt, non quia eam ſummo in honore non haberet, ſed quia propoſitum Pauli, ſicut & ceterorum Apoſtolorum, erat nomen Chriſti portare coram Gentibus, & Regibus &c.; ad hoc enim Chriſtus Paulum elegerat Actor. 9. 15.? Tertiò oſtendi etiam debet, tunc vivente adhuc B. Virgine cœpiſſe numerari annos ab ortu Chriſti, ut dicere potuerit *anno filii mei* 42., deinde jam tunc in uſu fuiſſe *Indictiones, Kalendas, Idus, & Nonas, & inſuper Ferias*: quod ſanè ægrè probabitur, maximè apud Hieroſolymam Hebræorum Metropolim; Indictionis enim nomen, vel à penſitatione Annonarum ortum duxit apud Romanos, vel ſub Julio Cæſare, vel ſub Auguſto anno ſecundo; ſicque cum Indictio conſtet 15. annis, eo anno, quo B. V. ſcripſit, Indictio prima jam effluxerat. Si verò earum initium cum aliis referatur ad tempus, quo Conſtantinus Magnus occidit Maxentium, quo toti Italiæ tributum indixit; ſic eo tempore Indictiones nondum incœperant. Si autem quis velit, B. V. loquutam de Indictione apud Chriſtianos, qua Pontifices utuntur in ſuis Bullis: certè hac, cum cœperit anno æræ vulgaris 313., ut eruditi volunt, non potuit B. Virgo uti. Sed etiamſi daremus, Indictionem Chriſtianam cum æra Chriſtiana cœpiſſe, annus 42., quo B. Virgo ſcripſit, non potuit eſſe Indictio prima, ſed annus 12. Indictionis tertiæ. Menſes inſuper diſtribuere per Kalendas, Nonas, & Idus Romanorum quidem erat mos, qui initium menſis Kalendas vocabant, non autem Hebræorum, qui menſem divide-

debant per Lunas, & initium menſis Neomeniam appellabant. Multò minus Feriæ nomen poterat à B. Virgine uſurpari; hoc enim initia ſua habuiſſe à Sylveſtro I. omnes fatentur. Hæc ſunt teſtimonia falſitatis dictæ Epiſtolæ, quæ eadem Epiſtola ſubminiſtrat.

XX. Poſſet ulteriùs objici Lucæ ſilentium, qui cum in Actis Apoſtolorum, quæ conſcripſit, itinera & navigationes Pauli diligenter recenſuit, quique ejus moram tribus menſibus Melitæ deſcribit, inde ejus navigationem Syracuſas, inde Rhegium, inde Puteolos, inde Romam, addere debuiſſet ejus digreſſum Meſſanam, ex quo orta fuiſſet tota urbis adeo celebris ad Chriſtum converſio, ſaneque ſplendida ad Virginem legatio; eo maximè cùm cetera levioris momenti enarret: ſed quia dicunt, argumentum hoc negativum non evincere, cum Lucas non omnia, quæ Paulo obtigerunt, deſcripſerit (quod conatur oſtendere P. Inchoffer laudatus cap.3., maximè ex D. Hieronymo in cap. 2. ad Galatas) ideo oſtendendum eſt, Lucam non ſolùm præterire, ſed poſitivè negare digreſſum Pauli Meſſanam. Dicit P. Inchoffer, Paulum uno die manſiſſe Rhegii, duobus autem ſequentibus Meſſanæ prædicaſſe. Hoc negat Lucas: quod probo Act.28., ubi deſcribitur Pauli navigatio, quùm vinctus Romam traheretur ad Cæſarem, ad quem appellaverat. Dicit Lucas, cum Paulus evaſiſſet naufragium, ad Melitam Inſulam appuliſſe, ibique multis editis mirabilibus tribus manſiſſe menſibus, hæc à verſu 1. uſque ad 11. Poſt menſes tres in Navi Alexandrina, quæ Melitæ hiemaverat, impoſitum Syracuſam adventaſſe, ibique triduo ſtetiſſe, ita verſu 11. & 12. Quæ autem ſequuntur adnotari debent v.13. *Inde circumlegentes devenimus Rhegium: & poſt unum diem flante auſtro ſecunda die venimus Puteolos.* Quibus verbis aſſerit Lucas, Paulum appulſum Rhegium una die ibi moratum fuiſſe, quâ elapsâ, navim aſcendiſſe, & tota nocte navigantem ſequenti die, flante auſtro valido, Puteolos adventaſſe: qui autem ſcribit, una tantum die manſiſſe Rhegii, & die ſequenti perveniſſe Puteolos, certè negat, Paulum moratum uno die Rhegii, duobus diebus ſequentibus fuiſſe Meſſanæ.

XXI. Verum dicet fortaſſis aliquis, D. Paulum, priuſquam Rhegium adventaret, deflexiſſe è curſu ſuo in littus Siculum intra Tauromenium, & Meſſanam, ideoque fama prædicationis ſuæ arceſſitum à Meſſanenſibus, biduò apud eos manſiſſe, inde Rhegium conceſſiſſe, hæc enim non opponuntur iis, quæ ſcribit Lucas: imo ex Luca inferuntur, qui ibi v.13. ait: cum diſceſſiſſet Paulus Syracuſis: *Inde circumlegentes* (nimirum oras & litto-

tora Siciliæ) *devenimus Rhegium*: hoc ergo circuitu Siculorum littorum potuit Paulina navis inter Tauromenium, & Meſſanam Paulum exponere. Quod narrat ex Octavio Cajetano Siculo Scriptore Cornelius à Lapide in 28. cap. Act. Apoſt. v. 11. ſic *Paulina navis poſteaquam Syracuſis ſolvit, oram Siciliæ maritimam prætervecta: rurſum è curſu ſuo deflexit in littus intra Tauromenium, & Meſſanam, ubi nunc ædes eſt Paulo Apoſtolo ſacra. Antiqua ea fama eſt, apud loci accolas, D. Paulum, cum Siciliæ ora legeret, in ſinum illum appuliſſe, cui Monaſterium D. Placidi in edito colle incumbit, in eoque commoratum littore, quod decem paſſuum millibus ab urbe Meſſana diſtat: ipſo in littore, locoque Apoſtoli pedibus calcato Chriſtiani deinde, ubi fides adolevit, parvam, ſed magnæ pietatis indicem, Eccleſiam D. Paulo ſacram conſtruxerunt, quæ Apoſtoli in littus deſcenſum teſtificaretur, reique memoriam ad Poſteros derivaret*. Hæc Cornelius ex Octavio.

XXII. Pulchrè quidem, ſed hæc quomodo cùm Luca cohærent? *Inde* (Syracuſis) *circumlegentes devenimus Rhegium*, inquit Lucas: verba hæc non interruptum, ſed continuum per mare circa oras Siciliæ circuitum indicant, non digreſſum ad littus Tauromenium inter & Meſſanam. Secundo hoc etiam dato, vera eſſe, quæ Cajetanus narrat: ubi adventus Pauli Meſſanam, ubi ejuſdem prædicatio, ubi legatio ad Deiparam? Incredibile, Paulum, qui catena vinctus trahebatur, hùc illùcque diſcurrendi facultatem habuiſſe: & rursùs incredibile, navem ſine cauſa in littus adeo propinquum Rhegio, quó navigabat, ſtetiſſe, maximè cum portus aliquis, aut civitas, ubi merces exponeret, non adeſſet: hoc motivo debuiſſet potiùs dici, quod Meſſanam divertiſſet. Ædes autem D. Paulo ſacra nil aliud indicat, niſi eam erectam, quia circa illud littus tranſierat Paulus, quod non negatur, ſed negatur ibi pedem fixiſſe, aut ſolum illud calcaſſe. Imo Cajetanus ipſe (ut refert Cornelius à Lapide loco citato Iſagoge 22.) oſtendit, S. Paulum fretum Siculum navigantem conſpexiſſe quidem Meſsanam, ſed non adiiſse, ut contendit Conſtantinus Laſcaris; adiiſse verò, cum poſtquam è primis Neronianis vinculis liber rurſum Provincias, & Siciliam, ut videtur innuere S. Chryſoſtomus, peragravit.

XXIII. Verùm melius ego crediderim, Paulum nunquam adiiſſe Meſsanam, nec quum vinctus Romam duceretur, nec cum liber è vinculis in Orientem rediret, quod oſtendo ſic: Paulus Romam non ivit niſi anno Chriſti quinquageſimo nono; cumque Romæ duobus integris annis manſerit in ſuo carcere, ut ait Lucas Act. 28. 30. *Manſit autem biennio toto in ſuo conducto*, i. in

ſuo hoſpitio, quod conduxerat captivus: Roma reverſus fuit anno Chriſti 62. ineunte: atqui non potuit eſſe Meſſanæ nec anno Chriſti 59. nec 62., quod probo. Paulus fuit Meſſanæ circa annum, quo data fuit Epiſtola B. Virginis ſuppoſita; ob hanc enim tuendam, adventum Pauli Meſſanam ejus defenſores comminiſcuntur; at Epiſtola B. Virginis ſuppoſita data fuit anno Chriſti 42., ut vidimus. Ergo vel data fuit antequam Paulus adventaret Meſſanam, ſicque ruit tota machina, vel S. Paulus illis annis Meſſanæ non fuit.

XXIV. Ex quibus hoc aliud argumentum conficio. Ut hæc Epiſtola genuina eſſet B. Virginis, & non ſpuria, debuiſſet Paulus adeſſe Meſſanæ ante annum 42. Chriſti, quo Epiſtola data fuit, tempus ut daretur Meſſanenſibus parandi legationem ad Virginem, & Legatis adventandi Hieroſolymam: atqui ſecundum aſſertores hujus Epiſtolæ, Paulus non potuit eſſe Meſſanæ ante annum vel 62., vel 59. Chriſti. Ergo Epiſtola genuina eſſe non poteſt, ſed ſpuria.

XXV. Aliter evertitur hæc opinio. Si ad rectam Chronologiam attendamus, ſequitur, hanc Epiſtolam fuiſſe à Virgine ſcriptam, poſtquam inter mortales eſſe deſierat; vel vitam produxiſſe multo ultra, quàm docet Traditio. Traditio Eccleſiæ docet, B. V. è mortalibus exceſſiſſe anno Chriſti 48., cumque, cùm peperit Chriſtum, quintum decimum annum ageret, exceſſus ejus coincidit cum anno ætatis ſuæ 63. Cum ergo Paulus non adventarit Meſſanam, niſi anno Chriſti vel 59., vel 62., ſi tunc ſcripta fuit Epiſtola, fuit certè ſcripta, vel undecimo, vel quartodecimo anno poſt ejus mortem. Vel ſi quis voluerit, eam ſuperſtitem fuiſſe anno Chriſti 59., vel 62., oportebat dicere, Mariam Virginem vitam protraxiſſe uſque ad 74. vel 76. annum ſuæ ætatis, quo fieret, ut Apoſtoli jam per orbem diſperſi non potuiſſent ejus morti intereſse, ut contigiſse piè credit Eccleſia. Hæc aliaque ſunt involucra, quibus implicantur defenſores Epiſtolæ B. Virginis ad Meſsanenſes, quibuſque eam eſse apocrypham credere par eſt, qualem ſuprema S. Inquiſitionis ſententia declaravit, ut ſupra dicebam.

XXVI. Proferri inſuper ſolet ab aliquibus alia B. Virginis Epiſtola reſponſiva ad aliam S. Ignatii Martyris. Sed hæc pariter ut ſuppoſititia rejicitur ab Eruditis, cum ſine ullo fundamento aſseratur, S. Ignatium ad eam ſcripſiſse: Sanctus enim Hieronymus de Script. Eccleſ. & alii antiquiores, qui ejuſdem Ignatii Epiſtolas recenſuerunt, eas non noverunt. Ita Baron. ad ann. 48. num. 25. Scio, D. Bernardum ſerm. 7. in Pſalm. *Qui habi-*

bitat meminiſſe, Ignatium Martyrem ſcripſiſſe plures Epiſtolas ad Mariam, quam vocat *Chriſtiferam*. Sed bene obſervat P. Mabillon in Notis, ibi S. Bernardum non intellexiſſe Mariæ nomine Sanctiſſimam Deiparam, ſed quandam Mariam, nimirum *Caſſabolitam*, ſeu *Caſtaboliten*, ad quam extant duæ S. Ignatii Epiſtolæ, & meritó; S. enim Bernardus illam, de qua loquitur, vocat *Mariam quandam*, quo addito certè non appellaſset Mariam Dei Matrem devotiſſimus Bernardus. Utut autem ſit, Epiſtolæ illæ ad Mariam in Græcis Codicibus Operum S. Ignatii non extant, neque extare merentur, cum non redoleant gravitatem eloquii præfati S. Martyris, ut obſervavit Bellarmin. Catalog. Script. Eccleſ. in Ignatio, & Alexandre Hiſt. Eccleſ. ſecul. 1. cap. 12. art. 16., qui etiam inter ſpurias rejicit Epiſtolas ad Mariam Caſsabolitem, quas ſub nomine S. Ignatii laudat S. Bernardus loco citato, utpote ignotas Euſebio, Hieronymo, aliiſque Veteribus, qui S. Martyris ſcripta retulerunt, nec ejuſdem ſtylum ſapientes, nec Eccleſiæ naſcentis moribus, ac inſtitutis accommodatas. Etſi autem in Catalogo Manuſcriptorum Eccleſiæ S. Petri Bellovacenſis legatur: *Epiſtolæ duæ aut tres B. Ignatii Martyris ad Beatam Mariam Virginem ... quæ inventæ fuerunt Lugduni tempore Concilii Innocentii Papæ IV., & de Græco in Latinum converſæ*; attamen peccat in hoc Catalogus iſte, quod dicat, ante tempora Innocentii IV. notas non fuiſſe, cum Sanctus Bernardus iis uſus ſit, & proinde ſuo tempore latinè eſsent redditæ, ſi tamen verum eſt (quod ego nego) eas aliquando Græcè fuiſse conſcriptas.

Fertur etiam ejuſdem B. Virginis Epiſtola ad Florentinos data, ſed de hac idem, ac de aliis, judicium ferendum eſt.

§. III.

Epiſtola Barnabæ.

XXVII. Barnabas unus ex 72. Chriſti Diſcipulis (teſte Euſebio lib. 1. hiſt. cap. 12. *Cujus cum in Actibus Apoſtolorum crebra ſit mentio, tum in Pauli ad Galatas Epiſtola*) genere Cyprius fuit, cum S. Paulo gentium Apoſtolus ordinatus, *Joſeph Levites* priùs vocatus, cognomen Barnabæ ab Apoſtolis tulit, quod idem eſt ac Filius conſolationis, ut à virtute nomen aſsumtum indicaretur. Hic cum haberet agrum, vendidit eum & attulit pretium, & poſuit ante pedes Apoſtolorum. Ita Act. 4. 36. 37., & S. Chryſoſt. homil. 11. in Acta.

Huic tributa fuit olim Epiſtola nunc edita à Cotelerio tom. 1. Patrum, qui Apoſtolicis temporibus floruerunt. De qua diſceptatum quovis tempore fuit, an eſset genuina, an apocrypha.

XXVIII. Nos apocrypham ſuſtinebimus cum Euſebio lib. 3. hiſt. cap. 25., ubi inter ſpurias ponit Barnabæ Epiſtolam, cum S. Hieronymo Catal. Script. Eccl. in Barnaba, dicente: *Unam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem Epiſtolam compoſuit, quæ inter Apocryphas Scripturas legitur*: quod repetit in Ezechiel. c. 43. Neque hic Hieronymus, & Euſebius Apocrypham dicunt, quaſi ſolum dubiam, ſed tanquam certò ſpuriam, ac Barnabæ ſuppoſitam. Quod Euſebium obſervanti clarè conſtabit, qui diſtinguit Scripturas dubias à ſpuriis, dicens: *Pro ſpuriis habendi ſunt etiam Actus Pauli, & Liber Paſtoris titulo inſcriptus, & Revelatio Petri, Barnabæ item Epiſtola*; atqui Actus Pauli, Liber Paſtoris, Revelatio Petri pro ſpuriis indubitate habentur, cur ergo non etiam Epiſtola Barnabæ?

XXIX. Verùm demus etiam, Euſebium reponere Epiſtolam Barnabæ inter ea, quæ ſuo tempore erant dubiæ auctoritatis, quia nondum explorata veritas erat; Modò tamen poſtquam Eccleſia toties de libris ſacris inſtituit examen, cum ſemper hanc Epiſtolam à Canone rejecerit, certò ſpuria tenenda eſt: & credendum, Eccleſiam certò cognoviſſe eam non eſſe genuinum Barnabæ fœtum; ſi enim eſſet, talem eam Eccleſia cognoviſſet, eamque recepiſſet inter ſcripturas Canonicas, non minus ac Epiſtolas Pauli, cujus ſocius, & comes a Deo deſignatus fuit Barnabas, juxta illud Act. 13. 2. *Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum, & Barnabam ad opus, ad quos aſſumſi eos*. Hac ratione S. Auguſtinus lib. 1. contra Adverſ. legis, & prophet. c. 20. ut Apocrypha, quæ ſub nominibus Andreæ, & Joannis teſtimonia adverſarius obtrudebat, exploderet, hoc argumento uſus eſt, dicens: *Quæ ſi illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia, quæ ab illorum temporibus per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas uſque ad noſtra, & deinceps tempora perſeverat*.

XXX. Accedit, vix credi poſſe, adeo eximium Apoſtolum, tantoque Spiritus ſancti, & fidei lumine colluſtratum, coactas allegorias, enarrationes Scripturarum minus veriſimiles, loca eorum minus apte allegata, fabulas de animalibus, ut illud quod tradit hiſenam alternare ſexum, cujus contrarium docent omnes rerum naturalium periti, aliaque, quibus ſcatet dicta Epiſtola, conſcripſiſſe. Cotelerius ipſe etſi huic Epiſtolæ plurimum deferat, diſſimulare tamen non poteſt in Notis allegoriæ illius vitium

tium de trecentis decem & octo domeſticis ab Abrahamo circumciſis in figuram Nominis, & Crucis Jeſu, *quæ* (inquit Cotelerius) *tantopere placet noſtro Auctori, ut nihil ſe unquam majus, nihil verius docuiſſe, profiteatur; quemadmodum procul dubio pia eſt, ac non omnino abſona fidei, ita, quin nonnihil habeat vitii, dubitari non poteſt.* Eam denique non eſſe Barnabæ, demonſtrat modus, quo de Apoſtolis loquitur, dicens, quando eos vocavit Chriſtus, fuiſſe ſuper omne peccatum peccatores. Quis autem credat, Apoſtolorum diſcipulum, imò & Apoſtolis arceſſitum, talia de Apoſtolis ſcripturum, imò tam injuſta, quia falſa? Ex Apoſtolis enim a Chriſto vocatis, de quibus Pſeudo-Barnabas loquitur, quis publicus peccator antea fuerat, niſi fortè Matthæus Publicanus? Magna injuria certè fieret, honeſtos piſcatores Petrum, Andream, Jacobum, Joannem, & reliquos tanquam publicos peccatores traducere. Joannes in ſuo Evangelio c. 1., ubi deſcribit vocationem Apoſtolorum Andreæ, Petri, Philippi, Nathanaelis, quem aliqui putant fuiſſe Bartholomæum, non ut publicos peccatores, ſed ut viros pauperes quidem, ac honeſtos deſcribit, imò Nathanaelem in primo adſpectu a Chriſto laudatum aſſerit hoc elogio: *Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt* ibi v. 47.

XXXI. At inquies, Patres eam ut fœtum Barnabæ cognoverunt: Clemens Alexand. lib. 2. ſtromat. pag. 373. edit. Pariſ. inquit, *Meritò igitur Apoſtolus Barnabas ait: ex ea parte, quam accepi, ſtudui pauca ad vos mittere; ut cum fide veſtra perfectam habeatis cognitionem*, & ibid. pag. 410. *non mihi pluribus verbis opus eſt, ſi adduxero teſtem Apoſtolicum Barnabam (erat autem is ex 70. diſcipulis, & Pauli adjutor) his verbis ſic dicentem &c.* Et Origenes lib. 6. de principiis c.2. *Eadem quoque*, inquit, *Barnabas in Epiſtola ſua declarat.*

XXXII. Reſpondeo, hoc verum eſſe. Sed cum à nullo primi, aut ſecundi ſeculi citetur, videtur non eſſe tantæ antiquitatis, quanta vulgo illi tribuitur, nam de illa nec Clemens, nec Ignatius, nec Polycarpus, nec Juſtinus loquuntur: viri quibus negotia cum Judæis agitanda fuerunt, & qui ab Epiſtola Barnabæ alleganda non ſibi temperaſſent, ſi ante illos fuiſſet ab Apoſtolo conſcripta. Fateor, tertio ſeculo aliquo in pretio fuiſſe, at ſeculis ſubſequentibus veritate perſpecta, inter Apocrypha numerari cœpit, ut vidimus ex Euſebio, ac Hieronymo.

XXXIII. Scriptam fuiſſe, autumant aliqui Eruditi poſt excidium Hieroſolymitanum, i. poſt annum Chriſti 70., nam in illa fit mentio Templi everſi, & deleti. Verba ejus clara ſunt

hæc:

Digitized by Google

hæc: *Propter Judæorum turbas, & motus bellicos, deletum nunc, & everſum ab inimicis eſt Templum*. Barnabam autem nec uſque ad Templi everſionem ætatem ſuam protraxiſſe, communior ſententia eſt, quæ Barnabam credit martyrio coronatum in Inſula Cypro patria ſua, ubi populares ad cognitionem Evangelii perducens, furore Neronis Imperatoris mortem oppetiit: quo imperante ſtabat adhuc Hieroſolymis Templum, quando ſolo æquatum fuit ſub Veſpaſiano. Papebrochius obitum Barnabæ conſignat anno Chriſti 53. ſeptemdecim ante excidium Hieroſolymitanum annis. Alii circa ſeptimum Neronis annum eum obiiſſe, cenſent, nimirùm circa Chriſti annum 62., apud Salominam Urbem coronatum martyrio. Aliqui etiam ut certum putant, Barnabam vivente adhuc Paulo Apoſtolo obiiſſe; hortatur enim Marcum Barnabas in ſua Epiſtola, ut corpore ejus ſepulto, Cyprum relinquat, ad Paulum ſe conferat, & apud ipſum maneat: idque Marcum feciſſe, conſtat, nam dum Paulus ſcriberet ad Coloſſenſes, ſalutat eos nomine Marci conſobrini Barnabæ, quod ſignum eſt, Marcum cum illo fuiſſe. Paulus autem teſte S. Hieronymo de ſcript. Eccleſ. in Paulo capite truncatus eſt anno 13. Neronis auno, ſeu anno Chriſti 65. aut 67.; ante Templi everſionem. Igitur Bernabas Paulo præmortuus, Templi everſioni ſuperſtes eſſe non potuit.

XXXIV. Cùm ergo evicerimus, Barnabam Apoſtolum non fuiſſe auctorem Epiſtolæ, quæ ei adſcribitur, reliquum eſſet, quærere, quiſnam fuerit verus illius auctor, quod tamen aſſequi difficillimum eſt. Duos propterea aliqui Barnabas fingunt, alterum e ſublimioribus Apoſtolis, alterum ex comitibus Apoſtolorum: Epiſtolamque non illi, ſed huic tribuunt. Alii incerto auctore ſub finem ſecundi ſeculi exaratam cenſent, eo quia nullus ante dictum tempus illius mentionem fecit, & primi, qui de ea locuti ſunt, fuerint Clemens Alexandrinus, & Origenes. At multo ante ſcriptam cenſet Erneſtus Tentzelius, nimirum ſub finem Hadriani Imperii. Tum quia Celſo Epicureo, quem extremis Hadrlani temporibus claruiſſe Cavius p. 1. hiſt. litter. p. 81. obſervat, eam fuiſſe notam, dicit Origenes. Tum quia dicta Epiſtola, ubi loquitur de Templi exciſione, loquitur etiam de ejuſdem reædificatione, quæ per hoſtium Judaici Populi miniſtros, nimirum Chriſtianos fiebat, ſaltem ſpiritualiter ibi Deum colentes. Hoc autem ad tempora extrema Hadriani referri debet: hic enim Judæis ad internecionem deletis, Hieroſolymamque adire prohibitis, Chriſtianis cum nova Romanorum Colonia ibi habitare indulſit, ut ex Euſebii hiſt. l.4. c. 6. Eo igitur

tur tempore cum tam inter Orthodoxos, quam hæreticos nil frequentius foret, quam ſcripta ſub falſis Apoſtolorum, ac virorum Apoſtolicorum nominibus evulgare, ut videtur innuere Euſebius ibi c. 7., putat Tentzelius (in notis ad Catal. ſcript. Eccleſ. S. Hieronymi, relatus à Joanne Fabritio in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica) ſub nomine Barnabæ prodiiſſe dictam Epiſtolam auctore Alexandrino quodam ex Judæo Chriſtiano. Motiva quibus ducitur expendit Tentzelius. Sed in re adeo incerta diutius immorari, ſuperfluum judico.

§. IV.

De variis Pſeudo-Evangeliis apud Catholicos.

XXXV. Plura olim circumferebantur Evangelia ultra quatuor, quibus tandem veritate detecta omnis fides ſublata eſt. Primó aderat Evangelium ſecundum Hebræos. Hoc Syriaco idiomate, ſed Hebraicis characteribus, ſcriptum teſtatur S. Hieronymus, qui & ipſum Græcè, Latinèque reddidit. De hoc loquitur S. Hegeſippus apud Euſebium l. 4. hiſt. c. 22. S. Ignatius ep. ad Smyrnæos, Clemens Alexandr. l. 2. ſtromat., Origenes tract. 8. in Matth., & tom. 2. in Joannem, & S. Hieronymus de Script. Eccleſ. verbo *Ignatius*, & verbo *Jacobus*, Comment. in c. 7., & 12. Matthæi, & lib. 3. contra Pelagianos: Hoc Evangelium fuiſſe idem, ac Evangelium Matthæi à Nazaræis interpolatum, ſuoque genio accommodatum, & poſtea ab Ebionitis corruptum, conjectant non pauci, cui conjecturæ anſam dedit varius S. Hieronymi loquendi modus, nam in Catalogo c. 3. in Matthæo videtur Evangelium Matthæi confundere cum Evangelio Nazaræorum: Lib. autem 3. contra Pelagianos Evangelium ſecundum Hebræos, ſeu Nazaræos, adhiberi poſſe, docet, ſi non ad auctoritatem, ſaltem ad antiquitatem. Conciliari tamen poſſunt, ſi dicamus, Nazaræos recepiſſe quidem Evangelium à Matthæo editum, & in linguam Syram Chaldaicam tranſtuliſſe, quia tamen Nazaræi, licet Chriſtum ſequerentur, retinebant tamen Judaicos ritus, ideo huic translationi aſſuiſſe, quæ in incorrupto Matthæi Codice omiſſa opinabantur. Atque ſic Evangelium ſecundum Hebræos nil aliud erat, quam Evangelium Matthæi interpolatum, ac corruptum. Quare Euſebius l. 3. c. 25. loquens de Evangelio ſecundum Hebræos dicit, *quo maximè delectantur Hebræi illi, qui Chriſti fidem ſuſcepere;* hocque ſolo uſos fuiſſe Ebionitas, legis Moſaicæ cæremonias

Digitized by Google

nias impiè cuſtodientes, teſtatur ibid. c. 27. Et c. 39. ex Papia refert, ex eo Evangelio deſumtam fuiſſe Hiſtoriam de Muliere, *quæ multorum criminum coram Domino accuſata eſt*; quam tamen aliam fuiſſe ab Adultera coram Chriſto accuſata Joann. 8., ſupra oſtendi. Quomodocumque autem ſit, an ſcilicet Evangelium ſecundum Hebræos ſit ipſum Matthæi interpolatum, ac corruptum, vel aliud quoddam; cum modo ſit deperditum, etſi ab Euſebio l. 3. c. 25. inter dubia recenſeatur, & eo uſum fuiſſe S. Ignatium martyrem in Ep. ad Smyrnæos c. 3., teſtetur S. Hieronymus de Script. Eccleſ. in Ignatio, modo inter Apocrypha rejicitur.

XXXVI. Secundò aderat etiam Evangelium ſecundum Ægyptios, cujus meminit S. Clemens l. 3. Stromat. p. 452., & 465., & S. Epiphanius hæreſi 62., & S. Hieronymus præfat. in Comment. ſupra Matth. Quibus erroribus ſcateret hoc Evangelium, quùm non amplius extet, definire non poſſumus, hoc ſolum referente S. Epiphanio laudato ſcimus, Sabellianos hoc pſeudò-Evangelio ad confirmandum errorem ſuum uſos fuiſſe, ex quo conjici poteſt, in eo fuiſſe aliqua, quæ Sabelliano errori valde faverent.

XXXVII. Tertio ferebatur S. Jacobi Proto-Evangelium. Hoc a Poſtello in Europam delatum, & teſte Alexandro, etiam à Neandro una cum Evangelio Nicodemi pariter apocrypho, multis fabulis ſcatet. Nonnulla conficta exhibet de Nativitate, Conceptione, Vita, partu B. Virginis. S. Jacobo abjudicatur à doctis omnibus; ſed fortè S. Gregorius Nyſſenus ex eo aliqua decerpſit. De eo Euſebius non loquitur.

Evangelium porrò Nicodemi Phariſæi magiſtri in Iſrael, Judæorum Principis, qui venit ad Jeſum noctu Joann. 3., quique Joann. 19. 39. tulit mixturam Mirrhæ, & Aloes ad condiendum Chriſti demortui corpus, falsò tali nomine inſcribitur, utpote refertum nugis, & affaniis circa Chriſti paſſionem, & circa ejus reſurrectionem ineptiens, ideoque Apocryphis aſſociatur. Alia ferebantur Evangelia ab hæreticis hominibus evulgata, de quibus infra.

* * * * * * * *

§. V.

§. V.

Epiſtola S. Pauli ad Laodicenſes.

XXXVIII. Præter quatuordecim Epiſtolas in Canonem relatas, alia D. Paulo tributa fuit Epiſtola, ad Leodicenſes data. Hujus exemplar ſubjicit Sixtus Senen. lib. 2. Biblioth. Sanctæ in Paulo. Motivum eam D. Paulo adjudicandi ſumitur ex ejuſdem Epiſtola ad Coloſſenſes c. 4., ubi ait: *Salutate Fratres, qui ſunt Laodiceæ. Et cum perlecta fuerit apud vos Epiſtola, hæc facite, ut & in Leodicenſium Eccleſia recitetur, & eam, quæ Laodicenſium eſt, vos legatis.* Ex quibus D. Thomas Lect. 1. c. 4. dictæ Epiſtolæ deducit, S. Paulum ſcripſiſſe alias Epiſtolas, ſcilicet *iſtam, de qua fit mentio hic*, ſc. *Laodicenſium, & unam aliam ad Corinthios præter primam & ſecundam .... Sed ratio eſt duplex, quare non ſunt in Canone: quia non conſtabat de earum auctoritate, quia fortè erant depravatæ, & perierant in Eccleſiis; vel quia non continebant aliud, quam iſta.* Hac Epiſtola abutebatur Marcion, ut ſuos ſtabiliret errores, confundens tamen illam cum ea, quæ eſt ad Epheſios, ut refert Tertullianus lib. 5. contra Marcion. c. 17. & S. Epiphanius hæreſ. 42.

XXXIX. Ab omnibus tamen Epiſtola ad Laodicenſes Sancto Paulo adſcripta, ea ſaltem, quæ nota fuit, ut ſpuria reputatur; primò quia Eccleſia in Canone non repoſuit, niſi 14. tantum Pauli Epiſtolas, inter quas nulla occurrit ad Laodicenſes; ſecundò quia Patres ea numquam uſi ſunt; tertiò quia eam ſemper rejecerunt. Ita S. Epiphanius laudato loco arguit Marcionem, quod auctoritatem attulerit *ex ea ad Laodicenos, quæ nuſquam apud Apoſtolum cernitur*. S. Hieronymus Catal. Script. Eccleſ. recenſitis Pauli Epiſtolis: *Legunt*, inquit, *quidam* & ad *Laodicenſes*, ſed *ab omnibus exploditur*. Quare Epiphanius Diaconus in Nicæno 2. t. 5. act. 6. ait: *Etenim D. Apoſtoli ad Laodicenſes fertur ficta Epiſtola in quibuſdam libris Apoſtoli jacere, quam Patres noſtri reprobavere, ut alienam ab ipſo*. Quod ideo dixit Epiphanius, quia Gregorius Epiſcopus pro Iconomachis addnxerat verba hæc: *Per memoriam habete Deum in cordibus veſtris*: quæ ex Epiſtola ad Laodicenſes ſumſerat.

XL Ad locum ex Epiſtola Pauli ad Coloſſenſ. triplex adhibetur reſponſio; prima, illis verbis *Et eam, quæ Laodicenſium eſt* non exprimi Epiſtolam, quam S. Paulus ad Laodicenſes dederit, ſed eam, quæ ex Laodicea, ſive à Leodicenſibus ſcripta ſit

ad S. Paulum. Ita hunc in locum Theodoretus: *Quidam*, inquit, *exiſtimarunt, ipſum* (Paulum) *etiam ſcripſiſſe ad Laodicenſes. Itaque fictam illam Epiſtolam proferunt. Divinus autem Apoſtolus non dixerit eam, quæ eſt ad Laodicenſes, ſed ea, quæ eſt ex Laodicea*) ſive, ut Vulgata noſtra, *Laodicenſium*); *Illi enim de aliquibus rebus ad eum ſcripſerant. Veriſimile autem eſt, eos vel ea accuſaſſe, quæ Coloſſis facta fuerant, vel eodem cum his morbo laboraſſe*. Et *ideo dixit, hanc quoque Epiſtolam eis eſſe legendam*. Reſponſionem hanc admittit S Chryſoſtomus homil. 12. in dictum Caput 4. ad Coloſſ. *Quidam* (inquit) *dicunt, non eam intelligendam, quam ad eos Paulus, ſed quam ipſi ad Paulum miſerint, propterea quod non dixit, ut eam quam ad Laodicenſes, ſed quæ ex Laodicea ſcripta eſt*. Ex quibus patet, in textu Græco haberi *ex Laodicea*. Quod autem Vulgata noſtra legat *Laodicenſium*, idem eſt; ſicut idem eſt dicere *Epiſtola Joannis*, ac *Epiſtola à Joanne* ſcripta.

XLI. Secunda Reſponſio eſt, Epiſtolam quidem à Paulo ad Laodicenſes ſcriptam, diſtinctam a quatuordecim vulgatis, ſed hanc hodie deſiderari, & in locum illius fictitiam illam ſucceſſiſſe, quam hic rejicit Hieronymus: cui reſponſioni adhæſit D. Thomas ſupra laudatus. Tertia, Epiſtolam, quæ ad Laodicenſes ſcripta putatur, eſſe ipſam priorem ad Timotheum, non ad Laodicenſem, ſed ex Laodicenſi Eccleſia datam, ut ipſi putant, cum, ut vidimus, in Textu Græco legatur *ex Laodicea*. Prima reſponſio videtur communior.

§. VI.

Epiſtolæ Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.

XLII. FErebantur olim (& nunc etiam leguntur) aliquot Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum Epiſtolæ. Has refert Sixtus noſter Senenſis lib. 2. Bibliothecæ ſanctæ in Paulo, dicens, ſe ſcriptum apud probatos fidei Auctores reperiſſe, quod Lucius Annæus Seneca Cordubenſis, Stoicæ Sectæ Philoſophus, Photini Stoici diſcipulus, patruus Lucani Poetæ, vir vitæ continentiſſimæ, ſcripſit Epiſtolas octo ad Paulum Apoſtolum ſibi amiciſſimum; ante cujus martyrium biennio ferè ipſe quoque à Nerone crudeliſſimo diſcipulo ſuo occiſus eſt. Huic cogitationi robur addere videtur S. Hieronymus, qui Senecam Catalogo Script. illuſtrium inſerens ait: *Quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, niſi me illæ Epiſtolæ provocarent, quæ legun-*

leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, in quibus cum eſſet Neronis Magiſter, & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit, ejus eſſe loci apud ſuos, cujus ſit Paulus apud Chriſtianos. D. etiam Auguſtinus Ep, 53., nunc 153., ad Macedonium c. 5. *Meritò, ait Seneca, qui temporibus Apoſtolorum fuit, cujus etiam ad Paulum Apoſtolum leguntur Epiſtolæ: Omnes odit, qui malos odit*. Propterea Juſtus Lipſius in vita Senecæ c. 10. putat, Epiſtolas, quæ hodie habentur, compoſitas eſſe à Semidocto in ludibrium noſtrum; cum verò antiquiſſima ſit traditio de litterario Senecæ cum Paulo commercio, rejicere hoc totum & calcare non audet. In hanc ſententiam it Natalis Alexandre Secul. 1. c. 12. art. 5., quam Erneſtus Salomon Cyprianus (in notis ad Catalogum S. Hieron. in Seneca apud Fabritium in Biblioth. Eccleſiaſtica) ait, ſe non poſſe, quin probet, nam Paulus ad Philipp. 4. 22. ſalvere jubet nomine Sanctorum è familia Neronis. Quis autem in Neronis aula magis addictus probitati vitæ, quam Seneca?

XLIII. His tamen non obſtantibus, probabilius dico, nec Paulum unquam ſcripſiſſe ad Senecam, nec Senecam ad Paulum. Nam Epiſtolæ utriuſque, quæ modò leguntur, certè alienæ ſunt à ſtylo Pauli & Senecæ; nec juvat dicere, ſtylum immutaſſe, & ex induſtria falſaſſe, ne deprehenderentur. Nam Paulus ex vinculis alias Epiſtolas dedit, inter quas eam ad Philippenſes, unde ſibi timere poterat; & tamen in iis emicat Paulina phraſis, imò non timet ſalutare eos, ad quos ſcribit, eorum nomine, qui ſunt è familia Neronis. Dicere autem, eas, quas modo habemus, eſſe ſuppoſitas, veras autem ac genuinas jam periiſſe, quo fundamento apud Veteres aſſeritur? Cum illæ Epiſtolæ, quas habemus, antiquiſſimæ ſint, quis illas veris ſuppoſuit? Si ergo, quas habemus, Paulo & Seneca indignæ ſunt; non ſunt, nec unquam eorum fuerunt.

XLIV. Nec S. Hieronymus contrarium ſentit, nam, ut advertit Eraſmus in Scholiis, dum ait: *Quæ leguntur à plurimis*: tacitè indicat erudito lectori, quid ſentiat; nempe eas Epiſtolas, licet ab aliquibus ut Pauli & Senecæ legantur, ſibi tamen non eſſe certum, revera eſſe, & ideo non dicit *ſunt*, ſed *leguntur*; & ſanè ſi eſſent, eas agnoviſſet Eccleſia, & in Canonem ſuum cum aliis redegiſſet. Eodem modo loquitur S. Auguſtinus, dum enim ait *Cujus etiam ad Paulum leguntur Epiſtolæ* indicat, ſe loqui ex aliorum opinione, quæ tunc ferebatur, non ex ſua: imò lib. 6. de Civitate Dei c. 11. apertè ait, Senecam Chriſtianos commemorare auſum non fuiſſe in neutram partem, *Ne vel*

laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem. Addo, Auguſtinum eas genuinas non exiſtimaſſe, evinci hoc argumento: *Si illorum eſſent, receptæ eſſent ab Eccleſia*: quo ipſe utitur lib. 1. contra adverſ. legis, & prophet. c. 20. ut exſibilet tanquam apocriypha Evangelia, ſub nominibus Andreæ & Joannis ſcripta. Nec poteſt evadi hæc inſtantia, dicendo, ideò ab Eccleſia non fuiſſe receptas, quia agnovit, eas non continere dogmata fidei, aut morum, ſed eſſe meros urbanitatis Apoſtolicæ fœtus. Nam quid ad fidem, aut mores pro Chriſtianis univerſim continet plus Epiſtola Pauli ad Philemonem? Et tamen quia Eccleſia agnovit, eam eſſe Pauli, recepit in Canonem?

§. VII.

Liber Paſtoris.

XLV. Liber iſte apud Antiquos variæ fidei habitus fuit. Ab aliquibus enim citatur tanquam Scriptura Sacra, ut ab Irenæo lib. 4. adverſ. hæreſ. c. 4. 37. nunc 20. dicente: *Benè ergo pronunciavit Scriptura, quæ dicit: Primo omnium crede, quoniam unus eſt Deus* &c., quæ ex lib. 2. Paſtoris mundato ſumta ſunt. Hoc eodem modo librum hunc, ceu Canonicum, citavere plures alii Patres Græci, quorum teſtimonia collegit Cotelerius, librisque Paſtoris à ſe editis præmiſit. Aliis verò liber quidem Eccleſiaſticus, & utilis viſus eſt, ac optimæ notæ, non tamen Canonicus. Ita multis tum Latinis, tum Græcis Patribus. Alii ut apocryphum, & falſum rejecerunt, quibus præit Tertullianus, qui factus jam Montaniſta lib. de pudicitia c. 10. ait: *Cederem tibi, ſi Scriptura Paſtoris, quæ ſola mœchos amat, Divino inſtrumento meruiſſet incidi, ſi non ab omni Concilio Eccleſiarum, etiam veſtrarum, inter apocrypha, & falſa judicaretur, adultera ipſa, & inde patrona Sociorum.* Ita loquitur de Eccleſia Romana Tertullianus jam Hæreticus, cui moderni Critici Heterodoxi conſentiunt, librum hunc aliàs exagitantes tanquam Novatianorum, ac Pelagianorum fontem, ut Montaniſticarum ſuperſtitionum gurgitem, fautorem Arrianorum fabuloſum: &, quod horribilius eſt, ut liberi arbitrii, ſolitudinis Monaſticæ, necnon Purgatorii adſtructorem: ut pſeudographum, & ſuppoſititium ab eo, quem ex Patribus nonnulli laudarunt. Ita ex Alexandro Secul. 1. c. 12. art. 9.

XLVI. S. Hieronymus circa hunc librum viſus eſt anceps, ne

ne dicam ſibi contrarius, eum enim Catal. Script. Eccleſ. c.10. in Herma maximè laudat dicens: *Herman ... aſſerunt, Auctorem eſſe libri, qui appellatur Paſtor, & apud quaſdam Græciæ Eccleſias etiam publicè legitur. Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum Veterum uſurpavere teſtimonia, ſed apud Latinos penè ignotus eſt* (nimirùm ſui temporis, cum, ut vidimus, notus fuerit ſaltem Tertulliano). Deinde illum revocat in dubium Oſeæ ad cap.7. ubi citato libro hoc dicit: *Unde & in illo libro Paſtoris, ſi cui tamen placet illius recipere lectionem, Hermæ primum videtur Eccleſia cano capite, deinde adoleſcentula, & ſponſa crinibus adornata*, lib.1. Paſtoris viſione 1. Tandem illum rejicit tanquam ſtultum, Habacuc cap.1.dicens: *Ex quo liber ille* apocryphus *ſtultitiæ condemnandus eſt, in quo ſcriptum eſt, quemdam Angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus*: quod habetur lib.1. Paſtoris viſione 4. Alexander dicit, Hieronymum in prologo Galeato, quem poſt commentaria in Habacuc edidit, ut apparet ex fine Prologi, ubi opera hactenus à ſe edita recenſet, ſe correxiſse; attamen ego non arbitror, Hieronymum opus habuiſse correctione, ſed innuiſse, quod jam jam dicturus ero, nimirùm librum Paſtoris in aliquibus ſui partibus utilem, in quibuſdam tamen condemnandum, ideoque aliquibus laudatum, aliis ſuſpectum, aliis veró nothum fuiſse: quod expreſserat Euſebius lib.3. hiſt. cap.3. dicens: *Sciendum eſt, eum librum à nonnullis quidem in dubium eſſe revocatum, quamobrem inter recepta auctoritatis libros cenſeri non poteſt; ab aliis verò maximè auctoritatis judicatur, iis præſertim, qui primis religionis noſtræ elementis inſtituendi ſunt. Unde etiam in Eccleſiis eum publicè legi comperimus, & quoſdam ex vetuſtiſſimis Scriptoribus ipſius teſtimonio uſos fuiſſe*.

XLVII. Dico primò. Liber Paſtoris olim dubius fuit, an eſset divinus; id conſtat tum ex Euſebio, tum ex Hieronymo id aſserentibus, tum quia ex Antiquis aliqui eo utebantur tanquam Scripturâ divinâ, aliqui perplexi erant, aliqui ipſum rejiciebant. Nondum enim Eccleſia judicium ſuum ſuper illo protulerat.

XLVIII. Dico ſecundó. Liber Paſtoris tandem declaratus fuit apocryphus. Conſtat, quia à quocumque Canone Scripturarum edito ab Eccleſia ſemper exulavit, ac exploſus fuit, ut patet in Canone Concilii Laodiceni, & Carthaginenſis tertii, D. Auguſtino lib.2. de doctr. Chriſtiana cap.8. Innoc. I. Epiſt.3. ad Exuperium, Gelaſio in Concilio Romano 70. Epiſcoporum, qui apertè illum è Canone expunxit dicens: *Liber, qui appellatur Paſtoris, apocryphus*. Concilia itidem Florentinum, ac Tridenti-

tinum dedignata ſunt, illius vel facere in ſuo Canone mentionem.

XLIX. Dico tertió. Liber Paſtoris non ita cenſendus eſt apocryphus, ut noxiam contineat doctrinam. Probo primo ex Athanaſio lib. de Incarnatione Verbi vocante librum Paſtoris librum utiliſſimum: Euſebio lib. 3. cap. 3. citato dicente, librum Paſtoris à multis perneceſsarium judicatum eſse, *iis præſertim, qui primis fidei elementis imbuendi ſunt*; in Eccleſiis publicè lectitari ſolitum; eo plures Veteres uſos: ex S. Hieronymo in Catalogo Script. Eccl. in Herma, ubi, ut vidimus, vocatur *revera utilis liber* &c.

L. Si dixeris primo, Tertullianum lib. de pudicitia cap. 10. citatum librum Paſtoris ſugillare, vocando eum Scripturam, *quæ ſola mœchos amat*.

Reponam, non eſse audiendum Tertullianum factum jam Montaniſtam, ideo damnantem librum Paſtoris, cujus auctoritate premabatur à Catholicis, ut mœchos ad pœnitentiam recipiendos eſſe, probarent; quia ipſe erroneè exiſtimabat, nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem dimittendi talia crimina; ſed audiendum eſſe Tertullianum adhuc Catholicum lib. de Orat. cap. 12. cujus cum ipſe ſibi auctoritatem objeciſſet, tantum abeſt, ut ſugillet, quin potiùs reverenti expoſitione illuſtrat. Quis autem neſcit, hunc Hæreticorum morem eſſe, libros ceteroquin pios, dum illorum errori non favent, ſugillare; ac eorumdem auctoritatem elevare? Sed hoc Tertulliani factum Libro Paſtoris majorem conciliat fidem. Si enim tunc temporis Catholici contra Montaniſtas utebantur, ſignum eſt, apud illos obtinuiſſe auctoritatem.

LI. Si dixeris ſecundò, librum illum Novatianis favere, unam dumtaxat poſt baptiſmum pœnitentiam admittendo, quare in Bibliotheca Patrum tomo 5., ubi dictus Liber per extenſum ponitur, identidem monetur Lector, ut cautè legat, quia Novatianum dogma ſapere videtur.

Ego reſpondebo, ſimilem ſuſpicionem ingerere verba Pauli ad Hebræos 9. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati . . . rurſùs renovari ad pœnitentiam*. Si ergo ſimilis loquendi forma movere non debet Lectorem; ut ſuſpicetur Paulum Novatiani erroris fautorem: ita nec in caſu. Sed quænam in dicto libro ſunt, quæ Novatianis faveant? Fortè iſta: *Aliam pœnitentiam non eſſe, niſi illam cum in aquam deſcendimus*? Sed hic non de quacumque Pœnitentia ſermo fit, ſed de illa, quæ Baptiſmo præmittebatur, & cujus Baptiſmus ſigillum erat, & complementum; hæc enim

una

una erat, ſicut Baptiſmus unus eſt; Ita reſpondet S. Clemens Alexandr. aperiens ſenſum Libri Paſtoris lib. 2. Stromatum pag. 281.; ceterum poſt Baptiſmum admittit Pœnitentiam expurgantem: *Eum ergo, qui accepit remiſſionem peccatorum, non oportet amplius peccare, nempe in prima, & ſola peccatorum Pœnitentia: ea autem fuerit eorum, quæ prius fuerunt in gentili, & prima vita; ea inquam, quæ fuit in ignorantia. Jam iis, qui vocati ſunt, proponitur pœnitentia expurgans locum animæ à peccatis, ut fides fundetur.... Dedit ergo (Deus) cum ſit multæ miſericordiæ, iis etiam, qui fide in aliquod peccatum incidunt, ſecundam pœnitentiam, quam ſi quis tentatus fuerit poſt vocationem coactus, & callidè circumventus, unam adhuc non pœnitendam acceperit pœnitentiam*. Ita Clemens. Hiccine ergo eſt liber, qui Novatianis favet? Sanè ſi faviſſet, Montaniſtæ, qui in errore Novatianis facem prætulere, illud latis ulnis ſuſcepiſſent, non repudiaſſent, ut ſupra vidimus in Tertulliano.

LII. Dices adhuc, dictum librum favere Arrianis, qui ex eo teſtimonium petebant, unde Athanaſius lib. de decretis Synodi Nicænæ dicit, eos ex libro, qui non eſſet in Canone, teſtimonium petiiſſe.

Verùm ſi repudiandus eſt Liber Paſtoris, quia ex eo teſtimonium petebant Arriani, repudianda erit etiam Scriptura Canonica, cum ex ea Arriani peterent teſtimonia, imo omnes Hæretici ex Scripturis malè intellectis errores ſuos firmare conentur. Fatetur quidem Athanaſius citatus, eum non eſſe in Canone, quod libenter aſſerimus & nos; ſed fatetur etiam, eſſe librum utiliſſimum, & ex eo teſtimonium promit lib. de Incarnatione Verbi Dei num. 3. pag. 49. novæ editionis; & in Epiſtola feſtali inter libros, qui licèt non ſint in Canone, tamen decretum erat à Patribus, legendos eſſe ab iis, qui pietatis cauſâ, & addiſcendi ſtudio acceſſiſſent, Librum Paſtoris recenſet. Quin imo loco ab opponente relato licèt aſſerat, illum non eſſe in Canone, non rejicit tamen, ſed explicando illuſtrat. Signum ergo eſt, Athanaſium eum non contemnere, cum potiùs in citata Epiſtola feſtali eum à libris apocryphis, & rejiciendis ſecernat.

LIII. Dices demum. D. Proſper lib. contra Collatorem cap. 30. notat Caſſianum, quod Collat. 13. cap. 12. Paſtoris libro ſit uſus, vocans *nullius auctoritatis teſtimonium*.

Reſpondeo cum Alexandro. Cum teſte S. Hieronymo Liber Paſtoris penè ignotus eſſet Latinis, non mirum, ſi S. Proſper inter Latinos vivens parvi opus ignoratum penderit. Non ita

ita tamen loquebantur ii, quibus notus erat, ut vidimus.

LIV. Dico ultimo, auctorem Libri Paſtoris fuiſſe Herman S. Pauli Diſcipulum, cujus ipſe meminit in Epiſtola ad Rom. cap. ultimo verſ.14., quique obiiſſe dicitur anno Chriſti 80., atque idipſum annuere videtur auctor ipſe in fine viſionis ſecundæ, ubi de Clemente loquitur, & Grapta. Ita Euſebius lib.3. hiſt. cap.3., S. Hieronymus Catalog. in Herma. Non eſt ergo auctor hujus libri Hermes frater Pii I., ut putant aliqui, inter quos Emmanuel à Scheleſtrate de Antiquit. Eccleſiæ diſſert.3.c.1. notans Hieronymum, quia aliter ſcribat, ſed immeritó. Si enim liber iſte benè inſpiciatur, apparebit, eum eſse auctoris antiquiſſimi, & ævi Apoſtolici, cum eum tanquam Scripturam divinam alleget Irenæus lib.4. adverſus hæreſ. cap.37., nunc 20. ut ſupra vidimus. Hermes autem Pii I. frater vixit ſolum ſecundo ſeculo, 100. annis poſt Hermam, & conſequenter ferè coævus Irenæo. Addo, S. Hieronymum fateri, Librum Paſtoris Latinis penè ignotum fuiſse: ſi autem fratrem Romani Pontificis habuiſset auctorem, non Latinis ignotus fuiſset, ſed Græcis potiùs. Hermeti iſti tribuitur liber, quo continebatur mandatum Angeli viſi in habitu Paſtoris de Paſchate die Dominica celebrando, cujus meminit Auctor libri Pontificalis Damaſo adſcripti; unde dictus fuit Paſtor: hinc ortam crediderim æquivocationem etiam ex nominum ſimilitudine, huic Hermeti poſteriori tribuendi Librum Paſtoris, quod revera ediderat Hermas.

§. VIII.

Acta Pauli, & Theclæ.

LV. Acta ſub nomine Pauli, & Theclæ, referente Tertulliano lib. de Baptiſmo cap.17., auctorem habuere Presbyterum quemdam Aſianum Pauli ſtudioſum, qui pio, ſed mendaci zelo, finxit Actus quoſdam Pauli & Theclæ, quos ſub ementito Lucæ nomine, ut vult Hieronymus, vel Pauli, ut vult Tertullianus, evulgavit; cumque de falſitate in judicio convinceretur, ingenuè confeſsus eſt, id ſe amore Pauli inductum feciſse. In hoc libello fingebatur, conceſsum fuiſse Theclæ à Paulo miniſterium, & jus publicè docendi & baptizandi, qua ſuppoſita conceſſione facta Theclæ, mulieres Tertulliani tempore miniſterium ſibi uſurpare audebant, aſſerentes Theclæ exemplum, quas Tertullianus monet, dicens: *Quod ſi, quæ*

Pau-

Paulo perperam adſcripta ſunt, ad licentiam mulierum docendi, tingendique, defendunt, ſciant in Aſia Presbyterum, qui eam Scripturam conſtruxit, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans, convictum, atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe, loco deceſſiſſe. Quàm enim fidei proximum videretur, ut is docendi, & tingendi daret feminæ poteſtatem, qui ne diſcere quidem conſtanter mulieri permiſit? Taceant, inquit, & domi maritos ſuos conſulant 1. Cor. 14. Aſianum hunc Presbyterum horum Actorum confictorem Grabius, aliique putant, fuiſſe illum Joannem Presbyterum, qui cum Joanne Apoſtolo Aſiæ regebat Eccleſias. Ex hoc Tertulliani teſtimonio colligunt Proteſtantes, mulieribus interdictum eſſe etiam in extrema neceſſitate baptizare. Sed ineptè id conjiciunt. Tertullianus mulieribus ſolùm vetitum eſſe dicit publicum, ac ſolemne baptizandi miniſterium, quaſi ex officio; ut mulieres ſui temporis prætendebant conceſſum Theclæ à S. Paulo.

LVI. Acta ergo hæc apocrypha ſanxit eſſe Gelaſius in Concilio Romano, & ante ipſum talia agnoverat S. Hieronymus Catalog. Script. Eccleſ. in Luca, dicens: *Periodos Pauli, & Theclæ, & totam Leonis baptizati fabulam, inter apocryphas Scripturas computamus*. Quid autem intelligat S. Hieronymus nomine *Leonis baptizati*, non ſatis conſtat. Vel in actis, quæ ipſe viderat, narrabatur fabula Leonis à D. Thecla baptizati, vel ab Actis, quæ poſterioris ævi Patres viderunt, deletum erat, aliàs iſtud narraſſent, ſicut & alia in dictis Actis contenta. Imo nec ante Hieronymi tempora fabulam illam in Actis extitiſſe, argumento eſt ſilentium Tertulliani, qui certè ut fidem illis Actis detraheret, non ſiluiſſet Leonem à Thecla baptizatum, ut oſtenderet quam ineptè jus baptizandi, & docendi in mulieribus collocaretur.

LVII. Nec tamen quis exiſtimet, me dum apocrypha hæc Acta pronuncio, propterea inficiari ea, quæ de S. Thecla Patres aſſeruere, Gregorius Nyſſenus Orat. 14. in Cantica, Epiphanius hæreſ. 78., Chryſoſtomus homil. 25. in Acta, & homil. 22. ad populum Antiochenum, Ambroſius lib. 2. de Virginibus. Vera ergo à ſpuriis ſecernenda ſunt. Verum eſt, S. Theclam vixiſſe S. Pauli temporibus, à S. Paulo converſam ſponſum reliquiſſe, martyrium ſubiiſſe, & alia, quæ SS. Patres narrant. Apocrypha ſunt & falſa, quæ ultra hæc circumferebantur; nimirum Theclæ prædicatione Tryphænam, & numeroſiſſimam ejus familiam converſam fuiſſe ad fidem, & Baptiſmo ab ea tinctam: Theclam jam à Paulo Chriſtiana religione imbutam, jamque multis certaminibus pro fide ſuſceptis claram, tonſo ca-

Digitized by Google

capite, ac virili veſte ipſum adiiſſe: pro Falconilla, quæ infidelis obierat, adeoque inferni pœnis erat addicta, preces fudiſſe: Theclam ipſam mortuam non eſſe, ſed vivam in terram ingreſſam eſſe, quæ Deo volente ſe illi aperuit eo in loco, quo ſacræ Liturgiæ menſa conſtructa eſt: & alia iſtius generis, quæ nugacis Scriptoris ingenium ſpirant.

Si dixeris, hæc omnia modò enarrata auctorem habere S. Baſilium Seleucienſem, qui duos libros conſcripſit *de rebus geſtis Sanctæ Apoſtolæ, ac Protomartyris Theclæ*, quæque ex Græco latinè reddita Petrus Pantinus Decanus Bruxellenſis Typis dedit.

LVIII. Reſpondeo primò, S. Baſilium præfatum talia non confinxiſſe, neque Acta Theclæ in lucem revocata à Petro Pantino eadem eſſe, quæ Baſilius conſcripſerat, nam hæc, teſte Photio in Biblioth. Cod.168. metricè exarata erant; ait enim Photius: *Ille verò Baſilius eſt, qui primæ Martyris Theclæ præclarè geſta & certamina, atque victorias Metris perſequitur*. Ea verò Acta, quæ Pantinus prodidit, ſoluta oratione non metro conſcripta ſunt. Quare videntur potiùs quam Baſilii, eſſe Acta illa antiquiſſima, quæ Tertullianus, Hieronymus, Gelaſius cenſurâ notarunt, cum ea, quæ Patres iſti in eis reprehenderunt ſupra relata, in hiſce Actis Pantinianis adamuſſim legantur. Reſpondeo ſecundó, quod ſi Acta, quæ Pantinus ſub nomine Baſilii prodidit, verè Baſilii ſint, non proinde genuina eſſe pronuncianda ſunt; quia ea fortè conſcripſit, ut ſuo tempore circumferebantur, non benè perpenſa, ac probata Codicum, ex quibus ea extraxerat, veritate.

§. IX.

De variis Liturgiis.

LIX. Liturgia græcè idem eſt, ac *publicum miniſterium* latinè, à verbo *Liturgeo*, quod Latinis idem eſt ac *miniſtro*, ſeu publicum obeo miniſterium. Uſu tamen communi apud Eccleſiaſticos tum Latinos, tum Græcos uſurpatur pro miniſterio apud ipſos præcipuo, nimirùm Miſſæ, ſeu Sacrificii miniſterio, & in hoc ſenſu à nobis hic uſurpatur, unde quærendo de variis Liturgiis antiquis, idem erit ac quærere de variis Miſſis. Hæ autem ſunt Liturgia ſeu Miſſa S. Petri, S. Jacobi, Sancti Matthæi, & S. Marci: de quibus an ſint genuinæ, vel apocryphæ, apud Eruditos eſt quæſtio.

LX. Et

LX. Et quidem primò certum eſt, ut ait Cardinalis Bona rerum Liturgic. lib.1. cap. 8., Eccleſias ab Apoſtolis inſtitutas formam aliquam, & ritum offerendi Sacrificium ab iiſdem accepiſſe. Hoc videre eſt apud Juſtinum M. apolog.2. pro Chriſtianis pag.97. & 98. deſcribentem ritum, qui in Liturgia ſui temporis ſervabatur, qui certè non aliunde quàm ab Apoſtolis potuit proficiſci. Id etiam obſervat P. Maſſuet apud Irenæum lib.1. contra hæreſes cap.3., dum verba illa Irenæi dicentis, Valentinianos hæreticos credidiſse, Catholicos, dum *in gratiarum actionibus* dicunt *In ſecula ſeculorum*, ſignificare voluiſse ſuos Æonas, exponit non de quacumque gratiarum actione, ſed de Euchariſtica, ſeu quæ in ſolemni myſteriorum celebratione fiebat, in qua ſecundum veterum Liturgiarum præſcripta ſæpius repetabatur *Is tres Æonas ton Æonum, i. in ſecula ſeculorum*, ut in ea, quæ Jacobo, quæ Baſilio, quæ Chryſoſtomo tribuitur, videre eſt. Quod inficiari neſcit Grabius ipſe, etſi heterodoxus, nam, ut refert P. Maſſuet ibi, apertè fatetur, omnes illos Ritus ab Apoſtolis derivaſse, dicens: *Illos, qui in omnibus iſtis Liturgiis* (Apoſtolicis) *exprimuntur, quique jam olim ubique inter ſacra myſteria uſitati fuere, Ritus ex Apoſtolica Traditione fluxiſſe*; & Grotius Voto pro pace Eccleſ. p.670. tit. de Miſsa: *Conſenſus*, inquit, *Liturgiarum per omnia loca, ac tempora, in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum ſuum ſanctificet, eaque faciat Corpus, & Sanguinem Chriſti, me dubitare, non ſinit, venire hoc à prima Apoſtolorum inſtitutione*. Conſtat ergo, ab Apoſtolis aliquas editas fuiſse Liturgias. Dubium eſt, an illæ, quæ modo ſub eorum nomine proferuntur, ſint veræ, ac genuinæ illorum, & non potiùs ſuppoſitæ.

LXI. Dico ergo primò. Quæ S. Petri Liturgia, ſeu Miſsa modò oſtenditur, ipſi afficta eſt. Ita omnes Eruditi. Primo quia, ut notat Cardinalis Bona laudato loco, hæc, quæ S. Petri nomen præſefert, labente 16. ſeculo reperta fuit à Cardinali Sirleto in Apulia, & à Lindano publici juris facta. Quod autem eadem ſit, quam S. Petrus Romanæ Eccleſiæ tradidit, quomodo probatur? Quomodo Eccleſia Romana, quæ Petri ſacra lipſana inter perſecutionum procellas cuſtodivit, hanc egregiam ſacrificandi formulam adeo neglexit, ut per 1500. annos nullum ejus veſtigium apparuerit apud orthodoxos Scriptores? In Apulia ſervata fuit, ait Lindanus cap.9. Apologiæ, *Pulcherrima Calligraphia deſcripta, ut impreſſam non pauci ſpectatores judicarint*. At hoc indicat, recentiori manu fuiſse conſcriptam; imo à recentiori Auctore compoſitam, ſuppoſito S. Petri nomine, cum

Digitized by Google

nulla fiat mentio antiqui Codicis, ex quo deſcripta ſit. Accedit, in illa eſse quaſdam orationes ex libro Sacramentorum Gregorii, videturque conſarcinata ex Miſsa latina, & Liturgiis Jacobi, Baſilii, & Chryſoſtomi. In ea occurrit nomen *Theotocon*, ſeu *Deiparæ*, quod nomen ſi Apoſtoli ſcriptis ſuis tradidiſsent, Epheſini Patres, & maximè Cœleſtinus tunc Romanus Pontifex, tam luculento Principis Apoſtolorum teſtimonio ex ſuæ Eccleſiæ Liturgia depromto, Neſtorianos proſtraſsent. Secundò in ea celebratur memoria Cornelii, Cypriani, Laurentii, Griſogoni, & aliorum, qui longo tempore poſt Petrum vixere, quæ omnia manifeſtè evincunt, non fuiſse à D. Petro editam, ſed à recentioris ævi Scriptore concinnatam, ei Petri præfixo nomine.

LXII. Circumfertur ſecundò Liturgia S. Jacobi, quæ legitur tom. 2. Biblioth. PP. Græcolat. Hanc Jacobo adjudicant inter ceteros Leo Allatius in Symmictis pag. 176., & Cardinalis Bona laudato loco num. 3. Jacobo autem eripiunt Critici, non ſolùm Heterodoxi, ſed ex Catholicis multi, inter quos Alexandre ſecul. 1. cap. 12. ar. 3. num. 2. Qui eam ut Jacobi fœtum recipiunt, allegant perpetuam Traditionem Veterum & Græcæ Eccleſiæ conſenſum, quæ illam ſemper ut legitimam agnovit. Græcis jungunt Syros, qui, teſte Abrahamo Ecchelenſi in notis ad Hebediesu de Scriptor. Chaldaicis pag. 135. aſserunt, primum omnium, qui Liturgias ſcripſerit, aliiſque eas ſcribendi facem prætulerit, fuiſse S. Jacobum, quod confirmat Abraham teſtimonio Joannis Maconis, qui intra ſextum, ac ſeptimum vivebat ſeculum. His adjungunt vetuſtiſſima exemplaria, à vetuſtiſſimis Codicibus exarata, & ex ea ſumtas à Veteribus Patribus auctoritates ad Catholicæ fidei dogmata comprobanda apud Allatium laudatum. Synodus Trullana Canone 32. ex Liturgia S. Jacobi probat, vinum aquâ mixtum in Sacrificio Miſsæ eſse offerendum, ut refellat eorum errorem, qui ſolam aquam offerebant. Manuel Malaxus in Homocanone cap. 220. eam in uſu fuiſse, aſserit, uſque ad tempora Baſilii magni, ejuſque meminit Proclus in tractatu *de Traditione divinæ Liturgiæ*, & Cyrillus Hieroſolymitanus multa ex ea tranſtulit in quintam Catecheſim Myſtagogicam. Ita ex Cardinali Bona laudato.

LXIII. Qui verò eam rejiciunt, id evincere conantur ex vocibus in ea contentis, indicantibus Auctorem ævi longè poſterioris Jacobo Apoſtolo. In ea enim reperitur vox *Deipara* quæ ante Concilium Epheſinum fuit valde infrequens: vox *Homouſion* ſeu conſubſtantiale, quæ ante Nicænum primum non erat uſu ſolemni conſecrata. Item verba indicantia Spiritum Sanctum

ſtum vivificantem, & conſubſtantialem Patri; quæ in Concilio Conſtantinopolitano primo videntur nata. Demum in ea legi *Triſagion* & *Doxologiam*, ſeu Ter Sanctum, & Gloriæ Canticum, quod recentioris ævi ab Apoſtolico eſt; nimirùm, quinti ſeculi anno 446. cujus originem Felix III. creatus anno 483. epiſt. 5. 3. ad Petrum data ex Romana Synodo ſic refert: *Cum terra motu Conſtantinopolis quateretur, Populuſque in Campo oraret, infantulus toto populo ſpectante cum Proclo civitatis Epiſcopo, in cœlum per unam horam raptus eſt, ibique hujuſmodi didicit Hymnum* (Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis) *rurſumque deſcendens nunciavit quæ in æthere audierat, dicens de cœlo, quaſi de multitudine pſallentium, hujuſmodi laudes inſonuiſſe auribus ſuis, dictumque ſibi ut eam laudationem Populo indicaret. Quam ubi Populi incœperant, Civitatem receperunt, Deoque per hujuſmodi laudem propitio facto, ab imminenti ira liberati ſunt.* Hæc Felix, ſubinde increpans Petrum Cnaphæum Epiſcopum Antiochenum, quod huic hymno addens hæc verba *Qui crucifixus eſt pro nobis*, Angelorum laudem *pervertere præſumpſiſſet*. Et certè hujus hymni mentionem factam non lego, niſi in Concilio Chalcedonenſi Act. 1. ubi in fine *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miſerere nobis*: quod recidit in annum 451.

LXIV. Nititur tamen his ſatisfacere doctiſſimus Cardinalis. Vocem *Theotocon*, ſeu *Deiparam*, uſurpatam ante Concilium Epheſinum, probat teſtimonio Evagrii, qui lib. 1. hiſt. cap. 2. Neſtorium reprehendit, quod *vocem Deiparæ, quæ à multis probatiſſimis Patribus Sancti Spiritus afflatu fabricata fuerat, rejecit ac repudiavit*: cui conſentit Theodoretus lib. 4. hæretic. fab. cap. 12. dicens, antiquiſſimos fidei Orthodoxæ Prædicatores juxta Traditionem Apoſtolicam Matrem Domini nominaſſe Deiparam ac crediſiſſe. Vocem pariter *Homouſion* Nicæno Concilio antiquiorem oſtendit Athanaſius lib. de decretis Conc. Nicæni, ubi Auctores profert qui nomine Homouſii ante Concilium uſi ſunt. Theodoretus item lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 12. ait *Nonnullos ex Veteribus inſignes Epiſcopos ac diſertos Scriptores hoc vocabulo Conſubſtantialis uſos eſſe, cognovimus* & cap. 13. idem repetens addit, hoc Euſebium, licet Arrianorum Coryphæum, apertè teſtari: quod dixerat etiam Socrates lib. 1. hiſt. cap. 5. Triſagion etiam Iſaiæ cap. 6. legitur, & glorificatio Trinitatis ab Apoſtolis manavit, qui cùm credentes baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, eos docuerunt, Patri & Filio & Spiritui Sancto ſolemnem Doxologiam decantare. Ita Cardinalis præfatus.

LXV. Si tamen meam hanc in re ſententiam aperire debeo, ra-

Digitized by Google

rationibus eximii Cardinalis acquieſcere non poſſum , Dato enim , quod verum eſt, voces illas *Homouſion*, & *Theotocon* à Patribus uſurpatas fuiſſe ante Arrii , & Neſtorii condemnationem, & hæreſim ; eas tamen Eccleſia nondum ſolemniter adoptaverat , ut eas Canoni inſertas , aut in Miſſa publicè recitaret ; non enim tot contentiones ac diſſidia fuiſſent ob voces, quas maximè Græci in Liturgia apud ipſos celebratiſſima conſecratas inſpexiſſent . Imo quid fortius Catholici Arrianis , & Neſtorianis objicere potuiſſent , quàm auctoritatem Liturgiæ editæ à Jacobo Apoſtolo, expreſsè aſſerentis dogmata,& iiſdem vocibus, quæ ab Hæreticis negabantur ? Cùm ergo nec Alexander nec Athanaſius nec ullus ex Patribus , qui contra Arrianos diſputarunt , aut ſcripſerunt : Cùm nec Cyrillus , nec Proclus ipſe , qui in Epheſino Concilio Neſtorium confixere , hanc Jacobi Liturgiam , vel protulerint , aut indicarint, maximum argumentum eſt, hanc Liturgiam illis fuiſſe ignotam . Quoad Triſagium autem legitur quidem in Eſaia cap.6., ſed verba illa *Sanctus Deus Sanctus Fortis Sanctus Immortalis* recentiorem nacta eſſe originem ſupra oſtendi . Quibus ſeriò perpenſis , non poſſum , quin eam Liturgiam non eſſe revera Jacobi ſaltem ſuſpicer . Ni fortè dixerim cùm Bellarmino de Script. Eccleſ. in Jacobo , editam quidem fuiſſe Liturgiam à Jacobo: *Sed à poſterioribus ita locupletatam fuiſſe* , ut non facile ſit dijudicare , quæ pars hujus Liturgiæ Sanctum Jacobum habeat auctorem .

LXVI. Sequitur Liturgia dicta Sancti Marci . Hanc perperam ſub S. Evangeliſtæ nomine fuiſſe obtruſam omnes conſentiunt . Eædem autem ferè rationes ſunt; nam in ea & *Homouſion*, *&* *Triſagion* legimus, & inſuper verba hæc ex Concilio Conſtantinopolitano ferè exſcripta *Spiritum Sanctum Dominum vivificantem , qui in Lege & Prophetis, & Apoſtolis locutus eſt, Tibi conſubſtantialis, & ex Te procedens* . Secundò quia in ea ſit mentio Sancti Marci Martyris , & Evangeliſtæ . Tertiò quia vocat Pontificem *Beatiſſimum Papam* , *&* *Epiſcopum Reverendiſſimum* , qui tituli ævo Apoſtolico ignoti erant . Quartò quia in hac Liturgia , quæ ſupponitur edita Alexandriæ , pro Rege funditur oratio : at Alexandriæ vivente S. Marco nullum Regem fuiſſe certum eſt , cùm tota Ægyptus ab Auguſto poſt devictum Antonium ſubacta , ac Imperio Romano vectigalis effecta , per Præſides regeretur . Quintò quia illi nec ſuffragatur Traditio , aut PP. teſtimonium, cùm apud Veteres de illa altiſſimum ſilentium ſit ; imo *Sirleti manu obſtetricante primum eductа ſit* (ait Cardinalis Bona laudatus num.2.) *in lucem ex vetuſto Codice Monaſterii Roſſanenſis in Ca-*

Calabria Ordinis S. Baſilii. Quare nec fundamentum apparet ſuſpicandi, eam fuiſſe quidem à Marco editam, ſed à Recentioribus auctam, ut de Liturgia Jacobi innuimus cum Bellarmino.

LXVII. Liturgia S. Matthæo adſcripta, dicta Miſſa Æthiopum, certo certius apocrypha eſt. Non ſolùm enim, ut præcedentes, continet ea, quæ Apoſtolorum tempori repugnant, nimirùm memoriam Pontificum, Regum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, in Chriſto dormientium; cùm tempore S. Matthæi nullus Pontificum, aut Regum Chriſtianorum obiiſſet; memoriam Evangeliſtarum, quorum unus Matthæus ipſe eſt; mentionem Synodorum Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, & Epheſinæ, quæ tempore Matthæi nondum erant coactæ; Athanaſii, Gregorii, Baſilii, Chryſoſtomi tribus ſeculis Apoſtolis poſteriorum, aliaque ejuſmodi: verùm etiam pluribus ſcatet erroribus. Primo de Chriſto dicit *Tu es Filius Patris, & Spiritus Sancti*. Secundò nonaginta novem Ordines invocat Angelorum, cùm novem dumtaxat Eccleſia agnoſcat. Tertiò dum Apoſtolos Patronos adſciſcit, omittit Jacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum, & S. Paulum. Quartò Anathema dicit eis, *qui non credunt in Sanctam Mariam Virginem*, cùm ſolus Deus ſit objectum fidei noſtræ. S. Urielis, ignoti in Eccleſia Angeli, nomen celebrat, aliaque apertè indicantia, eam nec S. Matthæi opus, nec probati Scriptoris Eccleſiaſtici, nec admodum antiquam eſſe.

LXVIII. Duas apud Orientales extare Liturgias duodecim Apoſtolorum nomine inſcriptas, ſcribit Cardinalis Bona præcitatus ex Abrahamo Ecchellenſi in Notis. Liturgiæ quoque ſancti Barnabæ meminit Alexander Monachus in vita ejus apud Metaphraſten, hæc autem creditur periiſſe. Illas ſe non vidiſſe aſſerit dictus Cardinalis. Recenſetur etiam Liturgia ſancti Clementis, quam ipſe in lib. Conſtit. aſſerit ab Apoſtolis ſe accepiſſe; de qua teſtimonium perhibet Proclus initio tract. de Traditione Miſſæ: cui adhæret Baronius anno 102. n. 23., addens Proclo aſſenſiſſe quotquot Græcorum de Sacris Ritibus Commentarios ſcripſere. Bellarminus autem lib. de Script. Eccleſ. eam legitimam eſſe putat, licet à poſterioribus auctam. Verùm RR. Critici eam omni fide ſpoliant, dum pluribus validiſque momentis oſtendunt, Clementem non eſſe Conſtitutionum Apoſtolicarum auctorem, ut inter cæteros fuſe demonſtrat Alexander ecul. 1. diſſert. 19. propoſit. 1., probans eas eſſe ab Apoſtorum, & Eccleſiæ doctrina alienas, ideoque ſpurium fœtum Clementi ſuppoſitum: ſed de hoc nobis in præſenti non eſt diſputandum.

LXIX.

LXIX. Aſſertur etiam Liturgia, quam S. Dionyſius Areopagita c. 3. Eccleſiaſt. Hierarch. magnifico ſtylo ut Apoſtolicam deſcribit. Sed hanc vel ipſe Bona dubiam relinquit; Recentiores autem ut ſuppoſitam explodunt volentes libros de Eccleſiaſtica Hierarch. auctorem non habere Dionyſium Areopagitam Athenarum Epiſcopum, & S. Pauli diſcipulum, licet Alexandre eos Dionyſio vendicet ſecul. 1. diſſert. 22. Hanc controverſiam definire præſentis loci non eſt.

LXX. Omnes præfatas Liturgias ſuppoſitas oſtendit S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 27. referens preces, quæ in Euchariſtiæ conſecratione recitantur, ad Traditionem non ſcriptam. *Invocationis verba*, inquit, *cum conficitur Panis Euchariſtiæ & Poculum benedictionis, quis Sanctorum nobis in ſcripto reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Evangelium; verum alia quoque & ante & poſt dicimus, tamquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex Traditione citra ſcriptum accepimus*. Nullum autem eſſet Baſilii argumentum pro Traditione non ſcripta, ſi aliquis Apoſtolorum Liturgiam ſcripſiſſet, vel alteri ſcribenti dictaſſet. Accedit quod omnes ſupracitatæ Liturgiæ multum recedunt ab ea brevitate, ac ſimplicitate, qua teſte Juſtino Apolog 2. pro Chriſtianis primævi fideles ſua myſteria celebrabant: qui inſuper ſcribit, Chriſtianos die Solis, i. Dominico ad Liturgiæ celebrationem convenire ſolitos; quod innuit & Plinius Ep. 97. Liturgiæ verò quæ nomina Apoſtolorum præferunt, & præſertim ea, quæ Jacobi eſt, aſſerit, id fieri *ſingulis diebus in ſacra Miſſa*. Cum ergo diſcrepent à ritu & conſuetudine ævi Apoſtolici, quomodo Apoſtolorum genuini fœtus cenſendæ erunt?

§. X.

De libris Prochori, Lini, & Abdiæ Babylonii.

LXXI. PRochoro uni ex ſeptem Diaconis, de quo Act. 6. v. 5. & ut fertur, S. Joannis Evangeliſtæ diſcipulo, ejuſque Amanuenſi, tribuitur Hiſtoria de vita, miraculis, & aſſumtione S. Joannis, quæ legitur Tomo 7. Biblioth. PP. Pariſienſis edit. Hanc tamen, monet cenſura Magiſtri Sacri Palatii ibidem juncta, *Falsò adſcriptam S. Prochoro Diacono de ſeptem primis, & eſſe apocrypham, fabuloſam, prorſuſque indignam, quæ legatur*: Et quidem nonne indignum Apoſtolo eſt, in Chriſti amore adeo conſtanti, eum ægrè tuliſſe ſortem, quæ ipſi obtigerat de Aſia Evan-

Evangelio imbuenda, ac propterea increpitum a D. Petro fuiſſe, ſubindeque cum mare conſcendiſſet tempeſtate jactatum, ut ſcribit Pſeudo-Prochorus c. 1.? Nonne evidenter etiam falſum eſt, quod ſcribit c.46., Joannem in Pathmo inſula edidiſſe Evangelium ſuum, cum Euſebius lib. 3. hiſt. c. 24. & Hieronymus de Script. Eccleſ. in Joanne tradant, à Joanne jam ab exilio reduce amicorum Aſiæ ſuaſu, & ſub extremum vitæ ſuæ, fuiſſe conſcriptum? Nonne æquè incredibile eſt ac falſum, quod ſcribit c.11., Fideles Joanni, poſtquam è dolio ferventis olei illæſus exivit, Eccleſiam erexiſſe, ejuſque nomine conſecraſſe ad Portam Latinam? Scilicet id paſſus eſſet Domitianus? id tuliſſet Senatus, Populuſque Romanus? Id Sacerdotes Ethnici permiſiſſent? Id non prohibuiſſet Joannis humilitas? Quis credat id quod narrat c. 2., Joannem & Prochorum ipſum Romæ à Balneatrice conductos, operas ei ſuas locaſſe, & Joannem quidem fuiſſe incenſorem fornacis, Prochorum verò aquæ infuſorem? Apage nugas. Hæc ex Alexandro ſecul. 1. c. 12. ar. 7. n. 1.

LXXII. De Lino S. Petri in Pontificatu ſucceſſore Romano anno Chriſti 65. (cujus nomine S. Paulus ſalutat Timotheum in poſteriore ad ipſum Epiſtola, ut obſervat Euſebius lib. 3. hiſt. c. 2. & 4.) circumferuntur Tomo 7. Biblioth. Pariſ. duo libri nomen ejus proferentes; primus quorum inſcribitur: *Hiſtoria Paſſionis S. Petri*, alter: *Hiſtoria Paſſionis S. Pauli* cum hac cenſura: *Ambo ſunt Pſeudepigraphi, multos errores continent, nec ullius cenſentur auctoritatis, ut jam Eruditorum conſenſu nimis exploratum habetur*. Duo inter alia contra totius antiquitatis fidem exhibent. Primum, S. Petrum ab Agrippa Urbis Præfecto invito Nerone interfectum, & ob id fictitium illum Præfectum in ordinem redactum eſſe. Alterum, Petrum Xandippem Albini uxorem à viri ſui conſortio & thoro contra præceptum legis Evangelicæ abſtraxiſſe. Hæc & alia non minus abſurda narrat Pſeudo-Limes meritò eliminandus, quem, quinam fuerit, ignoramus. Baronius auctorem Manichæiſmo infectum cenſet (& forte nomine Leucium) ad ann. 44. 45. & 69. 6.

LXXIII. Abdias (ut aliquibus placet) Apoſtolorum diſcipulus, ab iiſque primus Babyloniorum Epiſcopus ordinatus, fertur ſcripſiſſe vitas Apoſtolorum, Hebraico quidem idiomate, quas Eutropius Abdiæ diſcipulus Græcas fecerit, Julius tandem Africanus latinitate donaverit. Has Wolphangus Lazius anno 1551. edidit, ſed adeo putidæ ſunt ac fabuloſæ, ut vix lectu dignæ ſint. Fabuloſum primò eſt, eas à Julio Africano latinitate donatas, cùm Julius Africanus græcè ſcripſerit, non latinè.

Digitized by Google

Fabuloſum quod narrat, ſuo ævo Eccleſias 75. in una Provincia extructas; cum nec Apoſtolico tempore, nec poſt ſævientibus Ethnicis Imperatoribus publicas Chriſtiani Eccleſias extruxerint, ſed privatis in ædibus, ac ſubterraneis quibuſdam locis Sacra facerent. Fabuloſum, imo & ſibi contrarium eſt, quod ex una parte citat Clementem, Hegeſippum, & Julium Africanum, & nihilominus ſe Chriſtum vidiſſe in carne gloriatur. De iſto Abdia Euſebius non loquitur. Apud S. Hieronymum in Catalogo nec verbum. Quare meritò dubium, an fuerit aliquando: & ſi fuit iſte Abdias, certum, nihil ſcripſiſſe, & hanc hiſtoriam ipſi tributam alterius eſſe. Idcirco cùm libri decem de hiſtoria certaminis Apoſtolici ſub Abdiæ Babylonii nomine ex Germania auctore fortè Wolphango Lazio prodiiſſent, Paulus IV. Pontif. Maximus exploſit eos, ut teſtatur Sixtus Senenſis Biblioth. Sanctæ lib. 2. Verbo *Apoſtolorum*.

§. XI.

Canones dicti Apoſtolici.

LXXIV. Canones Apoſtolici, vel Apoſtolorum nuncupati, qui inter opera S. Clementi attributa obtinent locum, & ſunt numero 85. jurgia inter Eruditos excitarunt. Quidam enim illos omnes rejiciunt cum Gelaſio, qui in Romana Synodo 72. Epiſcoporum pronunciavit illimitatè: *Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus* anno 494. & refertur etiam c. *Sancta Romana* diſt. 15. in Decreto Gratiani. Alii verò omnes ut germanum ac genuinum Apoſtolorum fœtum ſuſcipiunt. Quæ opinio videtur viguiſſe in Oriente à ſeculo 6., cujus teſtis eſt Juſtinianus Auguſtus in Conſtitutione ad Epiphanium Patriarcham Conſtantinopol., Synodus Trullana can. 2. ſeptimo exeunte ſeculo coacta, ſic decernens: *Hoc quoque huic Sanctæ Synodo pulcherrimè & honeſtiſſimè placuit, ut deinceps ad animarum medelam, & perturbationem curationum, firmi ſtabileſque maneant, qui ab iis, qui nos præceſſerunt, Sanctis & glorioſis Apoſtolis traditi ſunt octoginta quinque Canones*. Nonnulli autem media via incedentes recipiunt in legitimos 50. priores Canones, reliquos autem 35. tanquam ſpurios rejiciunt, & ut hæreticis faventes. Ita Bellarminus lib. de Script. Eccleſiaſticis *in Clemente*. Binius autem adhuc liberalior 50. priorum Canonum auctoritatem certam ac indubitatam eſſe vult, aliorum verùm 35. (demto tamen 65. & 84.) inter authenticos haberi poſſe ſcribit, imò & de-

Digitized by Google

debere, Tom. 1. Concil. Notis in Canon. Apoſtolorum. Circa hos Canones diſcordes etiam inter ſe reperio Heterodoxos. Nam Dallæus lib. 3. de Pſeudepigraphis Apoſtolicis omnes ad unum ſpurios declarat. Beveregius autem ex eodem grege omnes adverſus Dallæum vindicat, ut refert Cavius hiſtoriæ litterariæ ſæcul. 1. *in Clemente*, qui putat, Canones iſtos ex communi Eccleſiæ primitivæ diſciplina inſtitutis decretis ortos, & circa finem ſeculi ſecundi in unum Synodicon redactos, Apoſtolicoſque dictos fuiſſe, non quòd ab Apoſtolis conditi ſint, ſed quod ab Apoſtolica doctrina & praxi profluerent, vel à viris Apoſtolicis editi eſſent. An verò illorum collector fuerit Clemens Alexand. ut videntur innuere Euſebius lib.6. hiſt. c.13., & ex eo Hieronymus de Script.Eccleſ. c.38. in Clemente, & Photius Codice 111., an verò alius, in medio relinquit.

LXXV. Ego tamen horum Canonum Collectorem Clemente Alexandrino poſteriorem exiſtimo, primo quia Canones, ſeu Regulæ, quas conſcripſit Clemens, non dicuntur ab Euſebio, vel Hieronymo Apoſtolorum, vel Apoſtolicæ, ſed Eccleſiaſticæ; & inſuper ſcriptæ *adverſus eos, qui errores Judæorum ſequuntur*. Errorum autem Judæorum nullam lego mentionem factam in Canonibus Apoſtolorum nuncupatis. Secundo ſi Canonum illorum collectio facta fuiſſet a Clemente Alexandrino certè nota fuiſſet Cypriano: & ſaltem Firmiliano, aliiſque Epiſcopis tum Africanis, tum Orientalibus, cum Stephano Papa de Baptiſmate ab hæreticis collato acerrimè decertantibus. Ignotos autem eis fuiſſe dictos Canones oſtendo, quia cùm in Canone 46. ſtatuatur, *Epiſcopum, aut Presbyterum Hæreticorum ſuſcipientem baptiſma damnari, præcipimus. Quæ enim conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Et Canone 47. ſic decernatur: *Epiſcopus, aut Presbyter, ſi eum, qui ſecundum veritatem habuerit baptiſma, denuò baptizaverit: aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponatur, tanquam deridens Crucem & mortem Domini, nec Sacerdotes à falſis Sacerdotibus diſcernens*. Si præfati duo Canones noti fuiſſent Firmiliano, Cypriano, eorumque fautoribus, eos certè contra Stephanum intorſiſſent. Cùm enim Stephanus illis aliud non opponeret, niſi antiquam praxim, & conſuetudinem non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis; quodnam amabo fortius telum in ipſum jacere potuiſſent, quàm dictos duos Canones, opponendo Apoſtolicam diſciplinam, & praxim exhibentes, quibus apertè vetatur ſuſcipi baptiſma hæreticorum ac impiorum, inflictis pœnis contra ſecus facientes? Cùm ergo nec Firmilianus, nec Cyprianus, nec alii illis adhæ-

rentes, dictorum duorum Canonum verbum fecerint, ſed unicè argumentis ex Scriptura petitis Stephano ſeſe opponerent, quid clarius adduci poteſt ad probandum, dictos Canones ipſis ignotos fuiſſe, ac proinde nondum lucem adſpexiſſe? Hæc mihi ſunt argumento, hoſce Canones nec tertio ſeculo notos fuiſſe.

LXXVI. Imò nec quarto, nec quinto ſeculo ab iis, quibus noti erant, ut Apoſtolicos habitos fuiſſe, mihi ſuadeo. Primó ex ſilentio Patrum dictorum ſeculorum, qui dictorum Canonum auctoritatem nunquam produxere, quod cæteroquin feciſſent, ſi eos ut monumenta legitima Apoſtolorum habuiſſent. Secundò probo hoc ratiocinio. Si iis ſeculis noti fuiſſent, vel ut Apoſtolici habiti, Canones dicti Apoſtolorum, Eccleſia Orientalis illos in ſuo Codice habuiſſet, & quidem primo loco; utpote anteponendos aliis quibuſcumque Canonibus, ab Epiſcopis aut Conciliis poſtea editis; Sed Eccleſia Orientalis dictorum ſeculorum in ſuo Codice illos non habuit, quod oſtendo. In veteri enim Orientalis Eccleſiæ Codice, cujus Canones recitati ſunt ann. 451. in Concilio Chalcedonenſi, primo ordine deſcripti erant Canones Nicæni, ſecundo Ancyrani, tertio Neocæſarienſes, quarto Gangrenſes, ultimo Antiocheni, ut obſervavit Hincmarus Epiſcopus Remenſis Opuſculo 55. capitum c. 21. & fusè expendit Natalis Alexandre ſecul. 1. diſſert. 18. propoſit. 1. Tertiò quia deſinente ſeculo quinto anno 494. cùm eorum notitia ad Gelaſium perveniſſet, eos inter apocrypha rejecit, ut vidimus, ideſt inter ea, quæ in judiciis non obtinent auctoritatem, & Apoſtolorum nomen falsò præferunt, ut exponit Petrus de Marca Conc. Sac. & Imper. lib. 3. c. 2. num. 7.

LXXVII. Initio tamen ſexti ſeculi quinquaginta priores Apoſtolorum dicti Canones in Eccleſiæ latinæ Codicem relati ſunt. Dionyſius enim Exiguus in Collectione Canonum, quam rogatu Stephani Salonitani Epiſcopi (ex Caſſiodoro Divin. lection. c. 23.) adornavit eodem ſexto ſeculo ineunte circa annum 539., Canones Apoſtolorum nuncupatos primus, ut credo, ex Græcis Latinos fecit, ſuæque Collectioni præmiſit, proteſtatus tamen, non ejuſdem eſſe apud omnes auctoritatis. Ita in præfat. in ſuam Collectionem: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum de Græco tranſtulimus; quibus quia plurimi conſenſum non præbuere, hoc ipſum ignorare veſtram nolumus ſanctitatem: quamvis poſtea quædam conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſſumta eſſe videantur*. Quinquaginta tamen ſolum Canones Apoſtolicos (ex octoginta quinque, qui apud Orientales erant) Latinis communicavit Dionyſius. Quod ab eo conſultò factum putat

tat D. de Marca loco laudato. Ut nimirum aliquam rationem haberet Concilii Romani ſub Gelaſio nuper celebrati, quod dictos Canones apocryphos declaravit, ſolos 50. recenſuit, ut ſupra 35. reliquos damnatio Concilii cadere poſſet. Ut ut ſit, nec tunc temporis, ut Dionyſius ipſe teſtatur, apud omnes indubiæ fidei erant, etiam illi 50. quos ipſe tranſtulit; quod ſignum eſt, nec tum fuiſſe exploratum, fœtum illos eſſe Apoſtolicum.

LXXVIII. Nec tamen adhuc poſt Dionyſii collectionem inter Eccleſiaſticas regulas ab omnibus Eccleſiis Canones Apoſtolici ſtatim admiſſi ſunt. Id innuit Dionyſius ipſe verbis ſupra relatis: id etiam teſtatur titulus Creſconianæ Collectioni præfixus teſte Baronio ad ann. 102. num. 10. Ferrandus itidem Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus in ſuo Breviario Canonum, quod circa initia ejuſdem ſexti ſeculi concinnavit, nullum locum Apoſtolicis Canonibus dedit: ſicut nec Martinus Bracharenſis in ſua Orientalium Canonum Collectione ann. 572.; quod luculenter confirmat Hincmarus lib. 55. capitum c. 45., ubi monens de Canonum Eccleſiaſticorum Codice Hincmarum nepotem Laudunenſem Epiſcopum, enumerationem Canonum inchoat à Canonibus Concilii Nicæni; quod ſignum eſt, ſeculo Hincmari, hoc eſt anno 870, à Canonum Codice, quo Eccleſia Gallicana utebatur, Canones Apoſtolicos adhuc exulaſſe. Quin & Collectio ſub falſo Iſidori nomine eodem ſeculo 9. edita in præfatione nec diſſimulare potuit, quinquaginta Capitula horum Canonum ab omnibus non probari, dicens: *Denique propter eorum auctoritatem cæteris Conciliis præpoſuimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licet a quibuſdam apocryphi dicantur* &c. Videndus D. de Marca in ſua Concordia lib. 3. c. 4.

LXXIX. Attamen & ante & poſt Iſidori Collectionem ab Eccleſia Romana Canones Apoſtolorum videbantur recepti: eos enim citavit Joannes II. Papa anno 534. in ſua Ep. ad Cæſarium Arelatenſem, ubi pro ſarcienda diſciplina utitur Canone 25. & 39. Leo etiam IV. anno 849. Epiſtola ad Britanniæ Epiſcopos data in recenſione Canonum primo loco ponit Canones Apoſtolorum, deinde Nicænos &c. Soli tamen priores 50. Romanæ Eccleſiæ probati fuere, ut conſtat ex decreto Synodali Stephani IV. ex Concilio Lateranenſi anno 769. Tom. 3. Concil. Harduini Columm. 2015. *Non amplius ſuſcipiantur Apoſtolorum Canonum prolata per S. Clementem, niſi quinquaginta, quæ ſuſcipit Sancta Dei Catholica Romana Eccleſia*. Imo Adrianus I. in epitome Canonum, quos tradidit Carolo Magno Romæ commoranti anno 774., ut legere eſt eodem Tom. 3. Concil.

Col.

Digitized by Google

Col. 2033. 2034. ſolum quadraginta quinque Apoſtolorum Canones obtulit, expunctis inter alios 46. & 47. quibus de rebaptizandis ab hæreticis baptizatis agitur. Cui conſonant Urbani II. verba anno 1088. apud Gratianum diſt. 32. cap. *Præter*: dicentis, *Sciendum verò, quod Canonum Apoſtolorum auctoritate Orientalis & ex parte Romana utitur Eccleſia*, ideſt ſolum 45., vel ad ſummum 50. Quod advertens Iſidorus Mercator, qui nono ſeculo vixit, licèt inſignis alioquin impoſtor, & ſecundus apocryphorum parens, non eſt auſus ſuæ Collectioni plures quàm 50. Canones inſerere, ut notat Baronius ad annum 102. Ex varia ergo fortuna, quam ſortiti ſunt dicti Apoſtolorum Canones, modò rejecti, modò recepti, modò in totum, modò ſolùm in parte, quis non videt, quàm nutans ſit, & parum firma eorum auctoritas? His ergo præmiſſis.

LXXX. Dico Canones Apoſtolis inſcriptos cujuſcumque ſint auctoritatis, nedum 35. poſteriores, verum & 50. priores probabilius eſt, fuiſſe Apoſtolis ſuppoſitos, & Pſeudepigraphos. Probatur ex dictis; ſi enim Apoſtoli eorum legitimi ac veri parentes fuiſſent, & verus Clemens Apoſtolis coævus eos evulgaſſet, eos cujuſvis ſeculi Eccleſiæ, & Patres unanimi veneratione pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ regula amplexati fuiſſent, ſicut amplexati fuere pro fidei regula eorumdem Apoſtolorum Symbolum. Cùm ergo id non fecerint; quin imo Patres quatuor primorum ſeculorum, qui viciniores Apoſtolis erant, in iis maximè controverſiis, ac cauſis, in quibus res ipſa poſcebat horum Canonum fieri mentionem, non Victor Romanus Pontifex in controverſia de Paſchate adverſus Aſiaticos, non Firmilianus & Cyprianus in controverſia de Baptiſmo hæreticorum adverſus Stephanum Papam, ut vidimus, imo nec Euſebius, nec Hieronymus inter Apoſtolorum opera Canones illos memorarint; clarum eſt atque apertum, ut Apoſtolorem fœtum agnitos non fuiſſe.

LXXXI. Secundò, vel illi Canones Apoſtolorum non ſunt, vel fides & diſciplina Eccleſiæ Romanæ in multis Apoſtolicæ fidei ac diſciplinæ contradicit. Secunda pars hujus disjuncti probatur. Primò apud Eccleſiam Romanam de fide tenetur Hæreticorum baptiſmum non eſſe reprobandum ut invalidum, quia præcisè ab hæretico & impio collatum. At in Canone 46. & 47. ut vidimus, & inſuper in 67. collatus baptiſmus ab hæreticis & impiis, quia præcisè hæretici ac impii ſunt, reprobatur. Secundò Romana Eccleſia non improbavit; ſed admiſit jejunium Sabbati, & vivente S. Ambroſio ſolemne fuit Sabbato jejunare te-

teſte S. Auguſtino Epiſt. 86. modò 36. ad Caſulanum, Caſſiano lib. 3. de inſtitutione Cœnobiorum c. 10., & Socrate lib. 5. c. 2. imò Innocentius I. *Sabbatarium* vindicaturus jejunium Epiſt. 1. quæ eſt ad Decentium, *Sabbato*, inquit, *jejunandum evidentiſſima ratio demonſtrat*. Atqui Canon. 65. Apoſtolorum ſub inflictione pœnæ interdicit *Sabbatarium* jejunium. Ergo vel Romana Eccleſia contradixit illi Canoni, vel Canon ille Apoſtolis ſuppoſitus eſt. Tertio Canone 84., ubi recenſentur libri ſacri Veteris & Novi Teſtamenti, in eorum ordinem referuntur tres Machabæorum libri, Clementis Epiſtolæ duæ, & Conſtitutionum libri octo. E contra expunguntur è Sacro Canone libri Sapientiæ, Tobiæ, Judith, Eccleſiaſtici, & Apocalypſis. Quis autem non videat, hoc eſſe contrarium Traditioni Eccleſiæ, quæ tertium Machabaicum, Clementiſque Epiſtolas ac Conſtitutiones nunquam pro Canonicis habuit: Sapientiam autem, & alios tanquam libros verè Divinos cum Innocentio I. Ep. 4. ad Exuperium, ex Apoſtolorum utique Traditione admiſit in Canone? Quartò Canone 49. Trina immerſio in Baptiſmate ſub depoſitionis pœna præcipitur, hoc autem Apoſtolorum eſſe non poteſt. Primò quia nec Apoſtoli hoc ritu ſemper baptizarunt, maximè cum una die circiter tria millia baptizarunt (Act. 2.) quod una die fieri vix potuiſſet. Secundò quia veteres ritum hunc ad puram Traditionem, non ſcriptam aliquam legem retulere: ut Tertullianus de Corona c. 2. S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 27. & S. Hieronymus Dialogo adverſus Luciferianos, teſtantur. Tertiò quia Eccleſia latina, quæ trinæ immenſionis ritum dimiſit, Apoſtolorum præceptis contrairet, quod nullus dicet.

LXXXII. Audienda modo ſunt motiva, quibus aliqui dictos Canones defendere conati ſunt. Turrianus, qui omnes 85. ut Apoſtolicos habet, dicit, Canones Apoſtolorum à Gelaſio exploſos alios fuiſſe ab 85. quos habemus, nimirum editos à Priſcillianiſtis ſub Apoſtolorum nomine. Bellarminus autem, qui ſaltem 50. priores ut Apoſtolicos tuetur, dicit Gelaſium in ſuo decreto confixiſſe ſolos 35. poſteriores, at 50. prioribus peperciſſe. Baronius autem dicit, ideo librum Canonum Apoſtolicorum à Gelaſio apocryphum pronunciari, quod non ſit in cenſu Divinorum novi Teſtamenti: non autem quod ex librorum Eccleſiaſticorum albo expungi debeat.

LXXXIII. Sed reſpondeo ad primum petendo à Turriano documenta, quibus probet, extitiſſe olim duos Canonum Apoſtolicorum Codices, unum legitimum & Eccleſiaſticum, alterum apocryphum, cùm Gelaſius non diſtinguat, ſed unicè dicat:

Li-

Digitized by Google

Liber, qui appellatur Canones Apoſtolorum, apocryphus. Qui tamen, ſi verum diceret Turrianus: debuiſſet ſic pronunciare: *Liber, qui falsò à Priſcillaniſtis dicitur Canonum Apoſtolicorum, apocryphus*. Fateor quidem, fuiſſe alios libros à Priſcillianiſtis, aliiſque Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum editos, de quibus conqueritur S. Leo epiſt. 93. ad Turribium, de quibus nos infra dicemus, ſed inter iſtos fuiſſe alium librum Canonum Apoſtolicorum quis dixit? Ulterius Umbertus Cardinalis reſpondens Nicætæ Pectorato, qui Canone 65. Apoſtolorum adverſus Latinos Sabbato jejunantes pugnabat, ait, *hoc* (ideſt Sabbato non jejunandum) *aſſerere conaris ex apocryphis libris; & Canonibus pari ſententia repudiatis*: at hic Canon à Nicæta prolatus non erat depromtus ex Codice Priſcillianiſtarum, ſed ex Codice Orientalis Eccleſiæ, quæ Canones 85. ut Apoſtolicos in Trullana Synodo ſuſceperat, inter quos contra Jejunium Sabbati 65. pugnabat, ergo liber Canonum damnatus à Gelaſio eſt ille idem, qui 85. Canones à Græcis receptos continebat.

LXXXIV. Ad ſecundum rogo ſimiliter Bellarminum, ut ſui dicti fundamentum proferat, cum illud in Gelaſii decreto non inveniam. Certè 50. priores Canones maxima illius libri pars ſunt. Gelaſius ergo damnans librum, cur non illos 50. damnavit? Nam ſi 35. poſteriores tantum explodere voluiſſet, iſtos ab illis certè ſecreviſſet, & cum reſervatione locutus fuiſſet. Rursùs, ſi Gelaſius 50. priores Canones admiſit, admiſit etiam 46. & 47. in illis incluſos, quibus Baptiſmus hæreticorum & impiorum reprobatur. Hoc certè nec Bellarminus fatebitur.

LXXXV. Ad tertium reſpondeo, notando, Gelaſium ibi tres librorum Ordines diſtinguere. In primo enim collocat libros ſacros Veteris Novique Teſtamenti. In ſecundo libros non ſacros quidem nec Canonicos, ſed tamen ab Eccleſia probatos, ut Canones & Acta Conciliorum, necnon Opuſcula SS. Patrum. In tertio libros ab Eccleſia rejectos tanquam ab Hæreticis, vel Schiſmaticis conſcriptos, aut prædicatos, & in hoc tertio ordine poſt multos ejuſdem generis collocat librum Canonum Apoſtolorum, dicens *liber, qui Canonum Apoſtolorum dicitur, apocryphus*. Quomodo ergo dici poteſt, Gelaſium librum hunc ideo apocryphum decreviſſe, quia non Canonicum & divinum, non quia non Eccleſiaſticum? Addo ſi Gelaſius librum hunc vere Apoſtolorum fœtum agnoviſſet, cur ipſum in cenſum librorum Canonicorum, ſicut & cetera Apoſtolorum ſcripta, non retuliſſet?

LXXXVI. Qualiſcumque autem ſint, & fuerint auctoritatis

apud

apud Eccleſiam (quæ ut vidimus varia fuit) hoc invictè ſuſtineo, eos ab Apoſtolis non fuiſſe conſcriptos, ſive Gelaſius eos damnaverit, ſive non. Quod evinco ex Hincmaro, in cujus Gelaſiano Codice licèt fortè deeſſet horum Canonum inter apocrypha rejectio, attamen in Opuſculo 55. capitum cap.24. apud D. de Marca lib.3. ſuæ concordiæ cap.4, num.3. de iis ita loquitur: *Canones, qui vocantur Apoſtolorum, antequam Epiſcopi liberè inciperent Concilia celebrare, à devotis quibuſque collecti, in quibus quædam receptabilia, quædam ſunt non ſervanda. De quibus interdum quædam aſſumta ſunt in Conciliis, quædam à maximis & præcipuè auctoritatis viris, in ſuis Opuſculis, ſicut de apocryphis aſſumta fuiſſe legimus, quoniam in quibuſdam ad inſtructionem valent. Et ideo ſicut Majorum Traditione didicimus, ſeorſum ante Concilia in Canonum libris ad inſtructionem, & propter vulgatam eorum famam ponuntur.... Ceterum iidem Canones, qui vocantur Apoſtolorum, non ab Apoſtolis conſcripti eſſe creduntur.... Sed & B. Gelaſius in Catalogo: Qui libri ab Eccleſia recipiantur: de his Apoſtolorum Canonibus penitùs tacuit; ſed nec inter apocrypha eos miſit: quapropter in lectione illorum ſequenda eſt cautela ab eodem S. Gelaſio præmonita: Cum hæc, inquit, ad Catholicorum manus advenerint, B. Pauli Apoſtoli præcedat ſententia: Omnia probate: quod bonum eſt tenete.*

LXXXVII. Quæ Hincmari verba nobis miniſtrant regulam, qua uti poſſumus, dum dictorum Canonum defenſores opponunt multos Pontifices, Patres, ac Concilia, qui hiſce Canonibus in ſuis deciſionibus uſi ſunt, ut Origenes, Athanaſius, Baſilius, Concilium Nicænum primum, quod multos Canones ex Canonibus Apoſtolicis deſumſiſſe videtur. Et alia &c.

Reſpondetur enim ad hæc & ſimilia, quod Veteres illi, nomine Canonum vel intellexerunt praxim & regulam primitivæ Eccleſiæ, & morem ſtatutum illorum temporum, quem in forma Canonum collegerant devoti ac pii viri, antequam Epiſcopi Concilia liberè inciperent celebrare; & Apoſtolorum nomine decoraverant, quia fortè à viris Apoſtolicis, & tempori Apoſtolorum vicinioribus acceperant; in quibus cum aliqua reperirentur utilia ad inſtructionem, & bonum Eccleſiæ regimen, ideo Patres & Concilia, prout ſibi videbatur expedire, aliqua ex iis deſumebant, & Eccleſiæ proponebant. Præſumendum enim eſt, quod à tempore Apoſtolorum uſque ad tempora, quibus cœpere celebrari Concilia, Epiſcopi, qui Eccleſiam regebant, aliquas ſanctiones & regulas pro bono regimine præſcriberent, quæ ab aliquibus in unum Canonem redactæ nomen dederint li-

Digitized by Google

bro inſcripto *Canones Apoſtolorum*, nimirùm quia à viris Apoſtolicis editæ, non autem ab Apoſtolis ipſis conſcriptæ, aut immediatè traditæ. Unde obſervo, Veteres nunquam fortè eos vocaſſe Canones *Apoſtolorum*, ſed vel *Canones Patrum*, vel *paternos Canones Majorum*, & ad ſummum *Canones Apoſtolicos*, i. ut dixi, á viris Apoſtolicis editos.

LXXXVIII. Quod ſi dixeris, ſub nomine SS. Apoſtolorum Canones illos proponi à Synodo Trullana Can.2., à ſeptima Synodo Can.1.5.& 10., Romana ſub Gregorio VII. Can.2., & aliis; imo poſtremò à Tridentina ſeſſ.25. de reformatione cap.1.: reſpondeo, Synodos illas Canones ut Apoſtolorum nominaſſe, quia erant Apoſtolis adſcripti, & jam inoleverat uſus, ut ſub Apoſtolorum nomine proferrentur; ceterum non decreviſſe, ut tanquam legitimus Apoſtolorum fœtus haberentur, nec quæſtionem hanc, quæ ad eorum inſtitutum minimè pertinebat, expenderunt. Attamen Gelaſius, qui horum Criterium inſtituit, eos ut apocryphos, & ut ſpurium Apoſtolorum fœtum rejecit.

LXXXIX. Quærendum ſupereſt: Si Canones illi Apoſtolos non habuere Auctores, quiſnam fuit illorum parens, & quando editi?

Difficile eſt, ait D. de Marca in ſua Concord. lib.3. cap.2. num.5., in tam alto veterum Scriptorum ſilentio tempus hujus Collectionis indagare, & multò magis eorum auctorem. Vetuſtiſſimos eſſe certum eſt, & tempora Concilii Nicæni anteceſſiſſe. Hincmarus ſupra laudatus cenſet, à quibuſdam devotis viris collectos, antequam Epiſcopi Concilia liberè celebrare inciperent, hoc eſt tempore quo fremebant perſecutiones. Quinam autem fuerint iſti Collectores Deus novit. Collectionem hanc nondum cognitam fuiſſe Orientalibus, quando controverſia incidit de Baptiſmo Hæreticorum, quæ Cyprianum in Africa, & Firmilianum in Cappadocia cum Stephano commiſit, ſupra probavimus. Si enim fuiſſet nota, ea uſi fuiſſent Firmilianus, & Cyprianus contra Stephanum, ad probandam conſuetudinem contrariam conſuetudini, quam opponebat Stephanus, quia, ut vidimus, Canones 46.&47.evidenter rejiciunt Baptiſmum ab Hæreticis datum. Nihil enim opportunius accidere poterat huic diſputationi, ut citarentur in teſtimonium Canones Apoſtolici, ſi ea tempeſtate compacta fuiſſet Collectio illa. Itaque è ſilentio Firmiliani colligere licet, incognitos ea ætate fuiſſe Canones Apoſtolicos.

XC. Putat D. de Marca, & cum eo Alexandre diſſert. 19. ſeculi 1. contentionem inter Firmilianum, & Stephanum occaſio-

ſionem huic Collectioni ſaltem ex parte dediſſe; & Epiſcopos Iconienſis Concilii, cui præerat Firmilianus anno 258., collectis in unum præcedentium Epiſcoporum regulis ſparſis hinc inde, adjeciſſe poſtea Canonem 46.& 47., quibus eorum ſententia exprimebatur. Utque illi Collectioni majorem venerationem auctoritatemque conciliarent, eam ſub nomine Canonum Apoſtolorum à Clemente editorum obtruſiſſe. Conquerebatur enim Firmilianus, Stephanum negantem, baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos eſſe, contraire ei, quod *à Chriſto & ab Apoſtolis traditum eſt*, ut patet ex ejus epiſtola ad Cyprianum. Aſſerebat Stephanus, ſe ex mente Apoſtolorum, & præcipuè Petri loqui, in cujus teſtimonium opponebat Eccleſiæ Romanæ à Petro & Paulo fundatæ conſuetudinem. Non eſt ergo inveriſimile, quod Firmilianus, aliique cum eo, ut Apoſtolos Apoſtolis, Petrum Petro opponerent, Canonibus, quorum uſus jam in Oriente invaluerat, adderent eos, qui Hæreticorum baptiſma repudiarent, & ſub nomine Canonum ab Apoſtolis acceptorum per Clementem evulgarent.

XCI. Ego tamen ægrè adduci poſſum, ut credam, Firmilianum, alioſque Epiſcopos, viros ceteroquin pios, ac ſanctos, qui unicè pro amore veritatis, & rectæ diſciplinæ zelo pugnabant, voluiſſe tanta fraude, ac mendacio opinionem ſuam fulcire, eo vel maximè, quod nec Firmilianus, nec Cyprianus, nec poſteri ipſorum rebaptizantes, tales Canones ſub Apoſtolorum nomine confictos, unquam in ſuæ cauſæ adjutorium protulerunt. Quod certè facturi fuiſſent, ſi eos confinxiſſent, ut ſibi patrocinium ab Apoſtolis compararent. Neque ſufficiens conjectura eſt id ſuſpicandi, quod Canone 38. menſis Hyperberetæi fit mentio, quo ſignificatur October lingua Syromacedonica, cujus erat uſus per Orientem. Nam hæc conjectura eſt quidem ſufficiens, ut credatur, Canones illos collectos fuiſſe ab aliquo, aut aliquibus Orientalibus, non tamen à Firmiliano, vel ejus ſucceſſoribus.

XCII. Tutius ergo crediderim, in incerto relinquendum eſſe hoc quæſitum, nec ſciri, nec probabiliter ſatis conjici poſſe, quiſnam, & cujus temporis fuerit auctor illius Collectionis; ſed ſtandum in opinione Hincmari ſupra relati, primos ejus auctores fuiſſe pios quoſdam viros, ac devotos, qui ex praxi Eccleſiæ primorum temporum, antequam Epiſcopi liberè inciperent habere Concilia eam conſarcinaverunt; dictamque Canonum Apoſtolorum, quia cum ignoraretur auctor illarum ſanctionum, crediderunt, Epiſcopos eas habuiſſe per Traditionem ab Apoſto-

 lis,

lis, quibus ſucceſſu temporis ab hominibus malæ fidei, & Schiſmaticis, alii Canones, doctrinam non ſanam continentes, inſerti fuerint, quæ eſt opinio Iſidori Hiſpal., qui ſeptimo ineunte ſeculo floruit, cujus hæc ſunt verba à Gratiano relata diſt.16. cap.1. *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, ſed quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec Sancti Patres illis aſſenſum præbuere, pro eo quod ab Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur: quamvis in eis utilia inveniantur, tamen auctoritate Canonica, atque Apoſtolica, eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter apocrypha deputata.*

§. XII.

Conſtitutiones dictæ Apoſtolicæ.

XCIII. Clementis Epiſcopi Romani inſigni nomine, ultra Canones Apoſtolorum, circumferuntur etiam Conſtitutiones dictæ Apoſtolicæ, de quibus in præſens quærimus, an genuinæ ſint Apoſtolorum, vel ſaltem Clementis, an verò & Apoſtolis, & Clementi ſuppoſitæ?

Suppoſitas eſse tum Apoſtolis, tum Clementi conſentiunt Eruditi fere omnes, Bellarminus de Script. Eccleſ. in Clemente, Baronius ad annum Domini 32. & alibi, Perronius lib.2. de Euchar. cap.1. Petavius in Notis ad S.Epiphan. ad hæreſim Audianorum.

XCIV. Probatur hoc primo ex ſilentio primorum Eccleſiæ Patrum, apud quos cum nulla fiat earum mentio, argumento eſt, illis vel prorſus ignotas fuiſse, vel apocryphorum numero ac loco habitas.

Sanctus enim Juſtinus, qui ſecundo ſeculo vixit, diſertè teſtatur, Sabbati religionem paſſione Chriſti abolitam, nec Chriſtianos die Sabbati, ſed die Solis, i. Dominica, Conventus ſuos agere conſueviſse. Quod certè non dixiſset, ſi Conſtitutiones Apoſtolicas noviſset, aut aliquo in pretio habuiſset, cùm iſtæ tradant, Sabbati diem, velut Creationis, à Chriſtianis obſervandum eſse, ac in eo feriandum, neque jejunio funeſtandum lib.5. cap.14. & 20. & lib.7. cap.24. apud Clementem. Inſuper Eccleſia Romana Vetus, quæ contra praxim Orientalium jejunium Sabbati per multa ſecula cuſtodivit, id certè non feciſset, ſi Conſtitutiones illas ut Apoſtolicas habuiſset. Secundó Irenæus & Clemens Alexandrinus, qui ſecundo ſeculo exeunte floruerunt, quique Clementem Romanum ſæpè laudant, ille li-

lib.3. cap.3., iſte lib.1.4. & 6. Stromatum, ejus Epiſtolam ad Corinthios referentes, nullam ullibi Conſtitutionum Apoſtolicarum ab ipſo editarum mentionem fecere, cùm tamen illis contra Hæreticos agere, ſuaque opera illuſtrare maximè poſſent. Tertiò Tertullianus Clementi Alexandrino coævus nunquam baptizandi poteſtatem Laicis conceſſiſſet lib. de Baptiſmo cap.17. & de exhortat. caſtitatis c.7.; nec adeo impotenter contra Zephyrinum Papam, quòd permitteret fornicatoribus reditum ad reconciliationem per pœnitentiam, excanduiſſet; ſi Conſtitutiones Apoſtolicas vel noviſſet, vel aliquo in pretio habuiſſet, cùm auctor illarum lib.3. cap.10. omnem baptizandi Laicis adimat poteſtatem; & lib.2. cap.12.&c. & cap.48. latam omnino viam pandat peccatoribus ad pœnitentiam. Quarto cùm Conſtitutionum Auctor lib.6. cap.15. omnium Hæreticorum Baptiſma reprobet, inveriſimile eſt, S. Cyprianum & ſocios, ſi harum notitiam vel exiſtimationem habuiſſent aliquam, non fuiſſe advocaturos in præſidium ſuæ cauſæ. Cum ergo id non fecerint, neque earum meminerint, ſignum eſt, vel eas non noviſſe, vel ut apocryphas, nulliuſque auctoritatis contemſiſſe. Tales pronunciavit in ſua Romana Synodo Gelaſius I. anno 494. dicens: *Item Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur S. Clementis libri octo, apocryphum*. Porrò libri octo, S. Clementis nomine inſcripti, ſunt ipſiſſimi Conſtitutionum libri, de quibus agimus, quamvis Eruditi non pauci cenſeant, hoc Itinerarium eſſe librum diverſum, conſtantem non ſolis octo, ſed novem, vel decem libris.

XCV. Probo, Conſtitutiones præfatas immeritò nomine Apoſtolico inſigniri, quia continent doctrinam ab Apoſtolis & Eccleſia alienam. Primò quia de Filii, & Spiritus Sancti Divinitate malè ſentiunt: nam inter Hæreticos recenſent illos, *qui ſuſpicantur, Jeſum eſſe Deum ſuper omnia* lib.6. cap.25.; Jeſum fingunt *miniſtrantem Deo ſuo ac Patri ad rerum omnium creationem* lib.5. c.20.; vocant Patrem *Dominum Spiritus Sancti* lib.8. c.37. Ajunt nos baptizari in morte Chriſti, in auctoritate Dei univerſorum, & in teſtimonio Spiritus Sancti lib.5. cap.6. quæ quantum Arrianis ac Macedonianis faveant, nemo non videt. Propterea Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Canonem ſecundum Trullanæ Synodi, loquens de Conſtitutionum libris octo, exiſtimat, eas opus eſſe Arriani hominis, dicens: *Fuit opus editum a neſcio quo, quarti ſeculi homine Arriano, variè & in dogmate & in ritu maculoſum* &c.

XCVI. Secundò conjugium, & deinceps manifeſtam eſſe

ſcor-

ſcortationem,& indubitatam impudicitiam eſſe,decernunt, quod Manichæorum error eſt. Tertiò concedunt Ancillis, ut heris infidelibus morem gerant, modo ſolis, lib.8. cap.32. Quartò Baptiſmum ab Hæreticis collatum iterari jubent lib.6. cap.15. & Sabbati ſolemnem celebrationem æque ac Dominicæ diei inſtituunt lib.8. cap.37. ut vidimus. Quintò affirmant ut Chriſti effatum Epiſcopum *non minorem natu eſſe* quam annorum 50. lib.2. cap. 57.; hoc autem nulli ex Apoſtolis aut viris Apoſtolicis in mentem venit: imo S. Paulus Epheſiorum Eccleſiæ præfecit Timotheum valde juvenem, ad quem ſcribens, ait *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat* 1. Timoth.4.12. Alia partim falſa partim apocrypha enarrant, quæ collegit Alexander ſecul.1. diſſert.19. propoſit.1. Ad quæ fortè reſpicientes Synodi Trullanæ Patres Canone 2. protulerunt: *Has Conſtitutiones ad Chriſtianiſmi gregis ædificationem ac ſecuritatem conducibiliter rejecimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam admittentes, & germanæ ac integræ Apoſtolorum doctrinæ inſerentes*.

XCVII. Hactenus dictis contrarii videntur aliqui ex Patribus. Primùm S. Epiphanius Conſtitutiones iſtas ut Apoſtolicas veneratur, argumenta ex iis profert, præcipuè hæreſi 75. contra Aetium, & hæreſi 80. contra Meſſalianos; hæreſi verò 70. (quæ eſt Audianorum,qui dictis Conſtitutionibus abutebantur ad ſuam de Paſchate firmandam ſententiam) eas exponit, & apertè Apoſtolorum eas eſſe ſupponit.

Secundo S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 18. narrans hiſtoriam Phænicis, quæ lib.5. Conſt. Apoſt. cap.6. continetur, eam tribuit Clementi.

Tertiò S. Athanaſius in fragmento Epiſtolæ feſtalis Conſtitutiones Apoſtolorum inter eos libros retulit, qui etſi in Canonem admiſſi non ſint, tamen legebantur in Eccleſia, & ab apocryphis ſecreti erant. Et in Synopſi Sacræ Scripturæ inter libros Novi Teſtamenti, quibus contradicitur, numerat *Doctrinam Apoſtolorum, Clementina* &c.

XCVIII. Reſpondeo ad primum, dato, hanc fuiſſe privatam S. Epiphanii opinionem, non tamen omnium illius ſeculi, unde ait: *Audiani verò ad inſtitutum ſuum quamdam ex Apoſtolorum Conſtitutione auctoritatem accommodant: qui liber, tametſi dubiæ apud multos fidei ſit, non eſt tamen improbandus*. Epiphanius ergo ſupponit, multos ſuo ævo de illis dubitaſſe, ipſe tamen poſitivè non probat, ſed non improbat. Non fuiſſe autem omnibus acceptas, oſtendit ſilentium de illis apud Euſebium & Hieronymum, viros hac in re accuratiores. Imo Hieronymus epiſt.28. ad

Digitized by Google

ad Lucinium ſcribit: *Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes, diebus Pentecoſtes & die Dominica jejunaſſe, in Actibus Apoſtolorum legimus*. Ex quo concludit, jejunium omni tempore Deo acceptum: Hoc autem non dixiſſet Hieronymus, ſi Conſtitutiones ab Epiphanio ſibi amiciſſimo laudatas alicujus exiſtimaſſet auctoritatis, cùm illæ jejunium Dominica die ſub comminatione divinæ maledictionis interdicant.

Addo, fuiſſe quidem S. Epiphanii tempore Conſtitutiones Apoſtolis adſcriptas, ſed planè diverſas ab eis, quas modo habemus. *Illæ enim*, ait Epiphanius, *nihil aut in fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi, ac decretis contrarium continebant*: noſtras verò plurimis ſcatere erroribus, ſive quoad dogmata, ſive quoad Eccleſiaſticam diſciplinam, oſtendimus.

XCIX. Reſpondeo ad ſecundum, hiſtoriam de Phænice non ſolùm legi in libris Conſtitutionum, ſed etiam in Epiſtola ad Corinthios, quæ Clementis opus genuinum eſt, ideoque ex quo S. Cyrillus recitaverit ex Clemente Phænicis hiſtoriam, non infertur eum agnoviſſe Conſtitutiones illas, vel eas pro Apoſtolicis habuiſſe. Protulit ergo Clemens hiſtoriam Phænicis avis (ſive veræ, ſive fictæ) quæ ex ſuis cineribus reproducitur, tanquam exemplum ad reſurrectionis fidem illuſtrandam.

C. Ad tertium reſpondeo, Doctrinam, quam vocat Athanaſius Apoſtolorum, non eſſe Conſtitutiones, de quibus agimus. Primò quia doctrinam illam Apoſtolorum inter eos libros recenſet, qui legendi ſunt ab iis, *qui nuper ediſcendi pietatis verbi gratia acceſſerint*, i. Catechumenis, & nuper ad fidem accedentibus. Conſtitutiones autem, de quibus agimus, datæ ſunt non Catechumenis, ſed Epiſcopis, reſque ad Eccleſiæ regimen ſpectantes tradunt. Rurſus quomodo iis, qui fidem addiſcere cupiunt, legendum librum, qui, ut vidimus, de Divinitate Filii Dei adeo malè loquitur, proponeret Athanaſius, qui pro vera Filii Dei Divinitate, & Conſubſtantialitate contra Arrianos tam ſtrenuè dimicavit? Alius ergo liber à Conſtitutionibus fuit, quem ſub nomine Doctrinæ Apoſtolorum propoſuit legendum in Epiſtola feſtali laudata. Quod verò additur ex eodem Athanaſio in Synopſi, non ſolùm non favet, ſed potiùs nocet objicienti. Ibi enim S. Pater doctrinam Apoſtolorum, & Clementina, enumerat inter libros, quibus contradicitur; imo ſimul cum Itineribus Petri, Itineribus Joannis, & Evangelio ſecundum Thomam: atqui hæc nullius auctoritatis in Eccleſia cenſentur; ergo neque liber dictus Doctrina Apoſtolorum, & Clementina. Imo enumeratis omni-

omnibus prædictis ſubjungit: *Hi omnes cognitionis gratia expoſiti ſunt, perversè tamen ſcripti, nothi, ac reprobi. Et nullus iſtorum maximè apocryphorum approbatus, aut utilis eſt, præſertim Novi Teſtamenti: ſed omnes (iis exceptis, de quibus actum eſt ſuperius, qui & à priſcis ſapientibus, ac Patribus approbati ſunt) digni ſunt qui abſcondantur magis, quam qui legantur.* Ex quibus patet quanti fecerit Athanaſius librum Doctrinæ Apoſtolorum dictum, & Clementina.

CI. Inquies, etiam Trullanam Synodum Can.2. anno 691. agnoſcere Conſtitutiones, ut opus Apoſtolorum, quamvis eas legi prohibeat, quia ſunt ab Hæreticis interpolatæ.

Reſpondeo, Synodi Trullanæ auctoritatem non eſſe tanti, ut nos dimovere debeat à ſententia, quam amplexi ſumus. Nam Synodus illa recipit etiam ut genuinos 85. Canones Apoſtolorum, quos omnes, ut vidimus, ferè nullus Recentiorum recipit, cùm ex illis ſolum 50. tanquam genuini ab aliquibus recipiantur. Imo aliquá etiam ſtatuit, quæ ut falſa, & erronea ab omnibus repudiantur. Secundò vetat illas legi quia ab Hæreticis interpolatas. At cur non ſecrevit depravatas à puris? Etiam Marcion corruperat Evangelium Lucæ, & Pauli Epiſtolas: & tamen Eccleſia non vetuit legi Evangelium Lucæ, & Pauli Epiſtolas, ſed eas repurgatas Eccleſiæ tradidit. Cur ergo idem de hiſce Conſtitutionibus Trullani Patres non fecere? Anne omnia penitus exemplaria corrupta, ac interpolata fuerant, ut nullus ſupereſſet Codex genuinus ac purus, ad cujus comparationem emendari poſsent? At hoc incredibile, ne dicam, impoſſibile eſt. Nam etſi Hæretici corrumpere potuiſsent Codices, quos apud ſe habebant, non tamen univerſos, quos habuiſset Catholica Eccleſia toto orbe diffuſa. Veroſimilius ergo eſt, Conſtitutiones illas ab Hæreticis nedum fuiſſe corruptas, ſed ex integro fabricatas, & ſub ſpecioſo Apoſtolorum nomine ſuppoſitas. Hinc Photius Bibliothecæ Cod.112. ait, *Conſtitutiones porrò tribus ex Capitibus dumtaxat reprehenſioni obnoxiæ videntur. Ex mala nimirùm fictione, quam depellere non eſt admodum difficile: deinde quod contra Deuteronomium criminationes quaſdam adducant, quæ & ipſæ dilui facillimè poſſunt: denique ex Arrianiſmo, quem item paulò acrius inſtando, refellere queas.* Facile ergo erat Conſtitutiones illas repurgare, teſte Photio. Cur autem Trullani Patres, nec ipſe, id facere aggreſſi ſunt?

ſ. XIII.

§. XIII.

Canones Antiocheni dicti Apoſtolorum.

PRæter Canones, ac Conſtitutiones ſupra repudiatas, Apoſtolis tribuuntur à Turriano lib.1. pro Canon. Apoſt. c.25. Baronio ad ann. 102. & Binio in ſua Conc. editione tom.1. alii novem Canones, cuidam Apoſtolorum Antiocheno Concilio adſcripti; quorum auctoritatem in examen modò vocamus.

CII. Apocryphos ego & planè ſuppoſititios illos cenſeo. Primò quia Synodus illa Antiochiæ habita ab Apoſtolis omnino fictitia eſt: tum quia nulla illius mentio in Actis Apoſtolicis, in quibus recenſeri debuiſſet, ſicut recenſetur Synodus Hieroſolymitana: tum quia altum de illis Canonibus ſilentium eſt in Veteribus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis, in ſcriptis Patrum: tum quia varii ſunt in eis referendis eorum Patroni, Turrianus, Baronius, ac Binius, quæ varietas indicium eſt falſitatis: tum denique quia plura continent falſa & abſurda. Primus enim Canon decernit, *ut credentes in Jeſum, quos illius temporis homines vocabant Galilæos, Chriſtiani vocarentur*. Hoc falſum eſſe conſtat ex hiſtoria, Galilæorum namque nomen ſolo quarto ſeculo impoſitum Chriſtianis fuit ab impio Juliano. Legimus quidem in Actis cap.11. 26. Diſcipulos nomine *Chriſtiani* primum vocari cœptos Antiochiæ, ſed eo tempore ſoli Barnabas & Paulus Antiochiam intrant, ut ibi legitur, nullumque ibi Concilium adhuc coactum propterea apparet. Inſuper in Canone 2. 7. & 9. ſancitur abſtinentia á Circumciſione, à ſanguine, ſuffocato, fornicatione, & permittitur veſci carne ſuilla, & piſce, teſtam, ideſt tegumen durum, habente, nec non de eo, qui ſquamis caret. At quis ſibi perſuadeat, Apoſtolos, qui in Concilio Hieroſolymitano adeo luculenter ac nitidè hanc rem ſtatuerant, recudiſſe poſtea decretum Canonibus verboſis adeo & inutilibus? Rursùs Canone 8. ſtatuit, loco Idolorum adorandam eſſe Statuam Chriſti Domini; quod inſigne quidem argumentum eſſet pro cultu Sac. Imaginum, ſed cùm aliundè conſtet, primis Eccleſiæ ſeculis Imagines Chriſti, & præcipuè ſtatuas, non fuiſſe publicæ venerationi expoſitas (quod probat ipſorum Ethnicorum ſilentium, qui certè Chriſtianis exprobraſſent, quod cultus Idololatrici objectum mutaſſent, non reliquiſſent; & prohibitio picturæ, & ſtatuariæ artis, quam promovere antiqui Chriſtiani abſtinebant, ne viderentur Idololatriæ manus da-

dare, ut ex Tertull. contra Hermogenem cap.1. & de Idololatria c.3.) & Statuarum in Eccleſiis uſus nondum invaluiſſet tempore Nicæni ſecundi, ut conſtat actione 7. ejuſdem Synodi: palam fit, Canonem illum ſuppoſititium eſſe. Si enim Apoſtoli Chriſti ſtatuam Idolis ſubrogaſſent, certè Veteres in ejus uſu ſcrupulum non habuiſſent.

CIII. Atqui, inquies, Innocentius I. ep.18. agens de Antiochena Eccleſia his eam laudibus exornat: *Ubi & nomen accepit religio Chriſtiana, & quæ Conventum Apoſtolorum apud ſe celeberrimum meruit: quæque urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta apud ſe ſuſceptum conſummatumque gaudet.* Supponit ergo Innocentius habitum ab Apoſtolis Conventum, ſeu Synodum Antiochiæ.

Secundò idipſum clarius oſtendit Gregorius Piſinuntenſis Epiſcopus, qui in 7. Synodo Generali Act. 1. citat primum illorum Canonem dicens: *In Synodo Sanctorum Apoſtolorum apud Antiochiam* &c.

CIV. Reſpondeo ad primum, Innocentium I. non loqui de aliquo Conventu Synodali facto ab Apoſtolis Antiochiæ, ſed de Conventu Petri, Pauli, & Barnabæ Antiochiæ, in quo Paulus reprehendit Petrum, ut legitur Galat.2.11. &c.; vel de Conventu multitudinis fidelium coacto Antiochiæ à Paulo, Barnaba, Juda, & Sila, miſſis illuc à Concilio Hieroſolymitano, ut ibi ſtatuta illius Concilii promulgarent, ut legitur Act.15. à ver.23. Dici etiam poteſt, Innocentium nomine Conventus Antiocheni innuiſſe Synodum ipſam ab Apoſtolis Hieroſolymis habitam, quod exiſtimaverit Antiochenam, eo quia de Antiochenæ Eccleſiæ cauſa, ejuſque rogatu celebrata fuerit.

CV. Ad ſecundum dico, Canonem illum ex Synodo Antiochena prolatum fuiſſe à Gregorio Piſinuntenſi Epiſcopo non tanquam rem certam, ſed dubiam; ait enim (ita vertit Anaſtaſius Bibliothecarius tom.4. Concil. edit. Harduini) *In Synodo Sanctorum Apoſtolorum, quæ apud Antiochiam congregata dicitur* &c. Cur, quæſo, Anaſtaſius Bibliothecarius, qui Synodum ſeptimam ex Græco tranſtulit, non dixit ſimpliciter congregata eſt, ut habet textus Græcus; niſi quia ſciebat, hanc Synodum, ſibi inauditam, prolatam fuiſſe à Gregorio non ex propria ſententia, ſed quadam ſubobſcura fama ab aliis accepta? Ceterùm etſi etiam Gregorius abſolutè id pronunciaſſet, quid juvaret opinio unius privati hominis, quæ licèt in Synodo ab ipſo recitata, non tamen à Synodo manſit poſitivè approbata?

CAPUT V.

De Libris ſuppoſitis ab Hæreticis.

HActenus percurrimus libros illos, qui licèt ut apocryphi habiti fuerint ab hominibus ſanioris conſilii, in honore tamen fuerunt apud aliquos Eccleſiaſticos, & Catholicos Scriptores. Supereſsent alii ejuſdem claſſis; ſed cum fuerint antiquis fere ignoti, ac nullius utilitatis, ſatius eſt eos prætermittere, ut tranſeamus ad eos, qui à viris Catholicis perpetuò reprobati fuere, vel quia ab Hæreticis confficti, vel quia ſuſpectæ fidei.

§. I.

Prædicatio, Evangelium, Actus, & Apocalypſis Petri.

I. DE iſtis Euſebius lib.3. cap.3. hiſt. ait: *Librum verò, qui Actus Petri dicitur, & Evangelium ejus nomine inſcriptum, Prædicationis quoque, & Revelationis ejuſdem libros, pro Catholicis ſcriptis nunquam eſſe habitos: quandoquidem nec vetuſtiorum quiſquam, nec recentiorum Eccleſiæ Scriptorum, deſumto ex iis libris teſtimonio, uſi ſunt.* De Prædicatione S. Petri ut de Opere dubio loquitur Origenes tom.13. in Joann. Doctrinam ibi ejuſdem S. Apoſtoli nomine falsò inſcriptam non eſse opus hominis à Deo inſpirati, docet idem Origenes lib.1. Periarchon.

II. Evangelium, & Actus Petri inter opera ab Hæreticis ſub Apoſtolorum nomine evulgata rejicit Euſebius lib.3. hiſt. c.25. Et lib.6. c 12. narrat, Serapionem edidiſse librum de Evangelio Petri, quæ in eo falſa erant coarguendo: *Quem quidem librum compoſuit in gratiam quorumdam ex Roſſenſi paræcia (urbe Ciliciæ) qui occaſione illius Evangelii ad doctrinam a recta fide alienam declinaverant.* Hoc Evangelium Petri, dicit Serapion, ſe commodatum accepiſse à ſucceſsoribus quorumdam Hæreticorum, qui Docitæ dicebantur, quorum hæreſim ſectabatur Martianus. Quis fuerit iſte Martianus, non dicit Euſebius. Docitæ autem ſeu Docetæ, teſte Valeſio annotat. ad hoc caput 12. lib.6., Euſebiani hæretici erant, qui Chriſtum non verè, ſed opinione tantùm incarnatum paſsumque eſse dicebant, ut ex Clemen. Alexandr. lib.7. Stromat., & Theodoret. lib. divinorum decret. cap.12. Huius ſectæ principem facit Clemens Alex. lib. 3. Stromat. p.465. Julium

Caſſianum: *Talibus*, inquit, *argumentis utitur quoque Julius Caſſianus, qui fuit Princeps viſionis ſeu phantaſiæ*. Et propterea qui à Græcis Docitæ, i opinantes, dicebantur, à Latinis *Phantaſmatarii* dicti ſunt teſte Prudentio. De his Methodius in Convivio pag.110. Euſebius lib.1. de Eccleſiaſtica Theologia contra Marcellum cap.7. dicens: *Carnem certè Salvatoris Athei quidam hæretici abnegando, & opinione tantùm nudâ, atque per phantaſiam in terris apparuiſſe ſolam dicendo, primi erant, qui in hoc genere à ſcopo veritatis exciderunt*. Videndus Hieronymus in cap.1. & 4. Epiſtolæ ad Galatas, & in cap.6. ubi Tatianum hujus ſectæ facere videtur auctorem: *Tatianus* (inquit) *qui putativam Chriſti carnem introducens, omnem conjunctionem maſculi ad feminam immundam arbitratur*. Quem loquendi modum ſumſit ex Tertulliano, qui initio libri de carne Chriſti ita dicit: *Sed & qui carnem Chriſti putativam introduxit* &c. S. autem Auguſtinus hujus ſectæ non Tatianum, non Julium Caſſianum, ſed Marcum quemdam facit auctorem. Ita lib. de hæreſ. cap.14.: *Marcus etiam, neſcio quis, hæreſim condidit, negans reſurrectionem carnis, & Chriſtum non verè ſed putativè paſſum aſſeverans*: qui Marcus idem forte eſt ac Marcianus, de quo ſupra Serapion apud Euſebium. Utut ſit, horum prolem Manichæos fuiſse crediderim. Cùm ergo in pſeudo-evangelio Petri aliqua ſuo errori favorabilia adinvenirent, eo abutebantur.

III. Revelationem, ſeu Apocalypſim Petri inter ſpuria rejicit Euſebius lib.3. cap.25., non tamen inter hæretica. Aderat etiam Itinerarium Petri, quod percenſuit Gelaſius I. in ſuo Concil. Rom., at ut apocryphum repudiavit.

§. II.

Pſeudo-Evangelia ceterorum Apoſtolorum.

INter libros ſub Apoſtolorum nomine evulgatos recenſet Euſebius lib.3. cap.25. præter Evangelium Petri, etiam Evangelia Thomæ, Matthiæ, & quorumdam aliorum, de quibus modo.

IV. Sub nomine Thomæ Apoſtoli ferebatur primò Evangelium, quod à Thoma quodam Manis Perſæ diſcipulo editum dicunt: & ideo familiare erat Manichæis, ut notat Gelaſius in Concilio Romano: *Evangelium nomine Thomæ, quo utuntur Manichæi, apocryphum* Sub ejuſdem nomine ſimul cum Evangelio ferebatur etiam liber dictus *Circuitus Thomæ, ſeu Itinera Thomæ*, qui

qui ab Athanaſio in Synopſi refertur inter libros, quibus contradicitur. Item *Liber actionum Thomæ*, qui ab Innocentio I. epiſt. 3. ad Exuperium reprobatur. Item *Apocalypſis* ejuſdem, quæ à Gelaſio rejicitur: *Revelatio, quæ appellatur Thomæ Apoſtoli, apocrypha*.

V. Evangelium S. Philippo Apoſtolo attributum à Gnoſticis cenſent aliqui; ego tamen anceps ſum, an iſte Philippus ſit, qui unus ex Apoſtolis fuit, an verò qui unus ex ſeptem Diaconis, quem S. Auguſtinus Serm. 266. & alibi vocat Evangeliſtam, non quia ſcripſerit Evangelium, ſed quia *propter promtum prædicationis eloquium Evangeliſta propriè meruit appellari*. Ejus nomine vulgabantur etiam *Actus*, quos tamen Gelaſius apocryphis annumeravit dicens: *Actus nomine Philippi Apoſtoli apocryphi*. Citantur hi ab Anaſtaſio Sinaita apud Cotelerium tom. 3. Monum. Eccl. Græcæ.

VI. Evangelia SS. Bartholomæi, Thaddæi, & Barnabæ tanquam apocrypha contemſit Gelaſius. Evangelium Bartholomæi á Hieronymo, præfat. in comment. Matthæi, recenſetur inter illa, *quæ diverſarum hæreſeon fuere principia*.

VII. Inter hæc enumerat etiam Evangelium Matthiæ: quod parentes hæreticos habuiſſe, teſtatur etiam Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 25., & Gelaſius apocryphis annumerat. Ferebantur etiam ejuſdem Apoſtoli Traditiones, ex quibus locum profert Clemens Alexandr. Stromat. lib. 2. pag. 380., iiſque abuſos fuiſſe Valentinum, Marcionem, & Baſilidem ad ſuas ineptias ſtatuendas, refert Stromat. lib. 7. pag. 765. dicens: *Ex hæreſibus autem aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ ſunt à Valentino, Marcione, & Baſilide, etiamſi glorientur ſe Matthiæ opinionem adducere: fuit enim una omnium Apoſtolorum ſicut doctrina, ita etiam Traditio*.

VIII. Judæ demum Iſcariotæ ſuum attributum fuiſſe Evangelium, teſtis eſt S. Epiphanius hæreſi 48., addens, apud Cajanos hæreticos multo in honore fuiſſe. In eo extollitur maximè Proditoris ſcelus, quia illud ſubſecuta eſt hominum redemtio, & Satanici regni everſio, quam Judas præviderat. *Simul & Judam traditorem* (de Cajanis ait S. Auguſtinus de hæreſ. cap. 18.) *divinum aliquid putant, & ſcelus ejus beneficium deputant, aſſerentes, eum præſciſſe, quantum eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Judæis propterea tradidiſſe*.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Alii falſi Apoſtolorum Libri.

IX. PRæter ſupra dictos alii circumferebantur ſub ementito Apoſtolorum nomine Codices. Vulgabatur *Raptus*, ſeu *Adſcenſus*, ſeu *Apocalypſis* S.Pauli, in quo fingebantur contineri ea, quæ S. Paulo in raptu ad tertium cœlum fuerant revelata. Cenſetur ab iiſdem Cajanis confictus, eoque maximè utebantur Gnoſtici, ut ſuis fabuloſis commentis auctoritatem conciliarent. Inter apocrypha rejicitur à Gelaſio. Aderant etiam *Pauli Acta*, de quibus tanquam de ſpuriis loquitur Euſebius l.3. c.25. ſæpe laudato.

X. *Acta S. Andreæ* teſte Innocentio I. Ep.3. ad Exuperium à Xenocharide & Leonida Philoſophis edita ſunt, vel à Leucio Manichæo, ut ex lib. de fide contra Manichæos, olim Auguſtino, nunc Evodio adſcripto cap.38. Hæc Auguſtinus lib.1. contra Adverſar.Legis & Prophet. cap.20., & Gelaſius inter apocrypha recenſent; Innocentius autem I. ſupra relatus non ſolùm repudianda, ſed & damnanda decernit. Et ſane Euſebius lib.3. c.25. de his ut de figmentis hæreticæ pravitatis loquitur: tractans enim de Actibus Andreæ, Joannis, & aliorum Apoſtolorum ait: *Sed & ipſum dicendi genus longè ab Apoſtolica ſimplicitate diſcrepat. Senſus quoque ipſe, & quæ ibidem traditur fides, cùm à vera & Catholica doctrina plurimum quantum aberret, hæc hæreticorum hominum figmenta eſſe manifeſtè coarguit.* Unde concludit. *Quocirca, ne quidem inter ſpurios collocandi ſunt hi libri, ſed tanquam abſurdi & impii prorſus repudiandi.*

XI. His accedunt *Liber Apoſtolicus* à Marcione conflatus, teſte S. Epiphanio: *Apoſtoli magni Revelationes* à Cerintho collectæ: *Apoſtolorum duodecim Vitæ* à Paulo IV. inter damnata opera relegatæ: *Apoſtolorum Scripta* à Dictinnio hæretico adinventa: *Apoſtolorum Sortes, Laus Apoſtolorum* à Gelaſio proſcriptæ: *Apoſtolorum Itinerarium* à Nicæna ſecunda Synodo reprobatum: *Apoſtolorum Evangelium*, cujus meminit Origenes homil.1. in Lucam: *Apoſtolorum Doctrina* repudiata ab Euſebio, & Athanaſio in Synopſi: & *Apoſtolorum Actus*, quorum multiplices editi fuerant tum ab Ebionitis, tum à Leucio Manichæo, & aliis.

XII. Aderat etiam *Apocalypſis Stephani Martyris*, à Gelaſio inter apocrypha amandata.

In-

Inſuper *Evangelium Perfectionis, & Evangelium Hevæ.* Hæc ſumma veneratione ſuſcipiebantur à Gnoſticis Hæreticis, qui hoc nomine ob excellentiam doctrinæ, quam affectabant, inſigniri volebant, ſed à multis aliis potiori titulo *Borboritæ* vocabantur, quaſi *Cænoſi ob nimiam turpitudinem* (ut notat S. Auguſtinus lib. de hæreſ. cap. 6.) *quam in ſuis myſteriis exercere dicuntur.*

XIII. *Evangelium Veritatis* Valentini appellabant illud, quod ab ipſis confictum erat: unde S. Irenæus lib. 3. contra hæreſ. cap. 11. non procul à fine: *Siquidem* (inquit) *in tantum proceſſerunt audaciæ, uti quod ab his non olim conſcriptum eſt, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apoſtolorum Evangeliis; ut nec Evangelium quidem ſit apud eos ſine blaſphemia.*

XIV. Liber *de Ortu Mariæ*, liber etiam *de Infantia Salvatoris*, utpotè Gnoſticorum, & Valentinianorum figmentum ejecti ſunt à Gelaſio in Concilio Romano tanquam apocryphi. Matthæo olim affictus fuit alter liber inſcriptus *Mariæ Stirps vel Proſapia* apud Gnoſticos celebris, teſte Epiphanio lib. 1. Panarii, horrendam ac pernicioſam doctrinam continens; inter cetera autem Zachariam Sacerdotem in penetralibus Templi ingreſſum, ut incenſum coram Deo adoleret, vidiſſe formam quandam aſinino capite præditam, quam viſionem cum narrare vellet, & Populum monere, ne Aſinum adoraret, is, qui viſus eſt, vocis & linguæ uſum illi ademit, ſed ademtum paucis poſt diebus reſtituit: eo recepto Zacharias viſionem prodidit Judæis, illi indignati ipſum obtruncarunt. Hac de cauſa commotus Hebræorum Legiſlator Sacerdoti præcepit, ut ingrediens ad ſacra peragenda, tintinnabula veſti appenſa gerat: quo ſonitu admonitus Aſininus ille Deus ſe occultet, ne forma ejus intempeſtivè conſpecta interitum afferat ſpectatori. Serapion Thmvenus Epiſcopus in lib. adverſus Manichæos affirmat, ex hujus libri occaſione Chriſtianos olim accuſatos ab Ethnicis, quod Judæis permixti Aſinum Judæorum numen colerent. Tertullianus tamen in Apologetico autumat, Gentiles veniſſe in hanc ſuſpicionem ex iis, quæ Cornelius Tacitus 5. hiſtor. libro ſcribit, ubi referens Judaicæ originem religionis, ait, Judæos ex Ægypto pulſos, cum in vaſta Arabiæ ſolitudine ſiti macerarentur, ab Aſinis ſylveſtribus, qui fortè de paſtu ad potum petebant, aquarum fontes didiciſſe: & beneficii memores beſtiam divinis honoribus coluiſſe, ejuſque effigiem poſtea in Templo conſecraſſe. Atque inde præſumtum à Gentibus, Chriſtianos, utpote religioni Judaicæ propinquos, Aſinum pro Deo venerari. Hinc & quidam jumentorum locator Tertulliani temporibus

apud

apud Carthaginem ante ſtabulum jumentorum, velut ſuæ artis inſigne auſus eſt appendere tabulam, in qua depictus eſſet homo togatus dextra librum tenens: de cujus capite Aſininæ prominerent aures, in pedibus verò Aſini ungues ſpectarentur, hoc lemmate *Deus Chriſtianorum*, *Ononychitis* ideſt *Aſiniunguis*.

XV. De B. Virgine Maria circumferebatur olim liber, cui titulus: *Mariæ Interrogationes Magnæ*, & *ejuſdem Interrogationes parvæ*: liber execrandis impietatibus & blaſphemiis à Gnoſticis, & Stratioticis Hæreticis repletus, in quo præter alia deteſtandæ fœditatis myſteria, ritus traditur Cœnæ Dominicæ tanta apud eoſdem Hæreticos abominatione celebratus, ut animus eloqui horreat, manus refugiat ſcribere. Videri poſſunt quæ narrat Epiphanius in primum Panarii, & ex eo Sixtus Senenſis Biblioth. ſanctæ lib.2. *in Maria*.

XVI. Liber dictus *de Tranſitu B. Mariæ*, ſive *Mariæ Tranſitus*, à Gelaſio ad apocrypha mandatur. In eo varia de tranſitu B. Virginis apocrypha narrantur. Jacobus Archiepiſcopus Genuæ lib. Annuarum feſtivitatum refert, ſe incidiſſe in volumen quoddam apocryphum ejuſdem argumenti & tituli, D. Joanni Evangeliſtæ adſcriptum, in quo ſcriptum eſſet, Mariam Virginem anno 24. ab Adſcenſione Filii ſui ex hac vita migraſſe; & omnes Apoſtolos momento temporis per aera raptos morienti adfuiſſe, atque ejus cadaver publico funere, & ſolemnibus exequiis elatum, lapideo monumento condidiſſe; eamque poſt diem tertiam revixiſſe, & integro corpore, deducentibus Angelis, in cœlum evolaſſe: Thomam verò, cum abfuiſſet, & rediens credere recuſaret, zonam, qua corpus Virginis præcinctum erat, è ſublime demiſſam accepiſſe, reſurrectionis & corporeæ in cœlum aſſumtionis argumentum. Io Trithemius de Script. Eccleſ. inter opera Melitonis Epiſcopi Sardenſis, qui floruit ſub Antonino Vero anno Domini 160., recenſet librum de Tranſitu S. Mariæ, cujus initium eſt *Melito Chriſti ſervus*: Euſebius tamen lib.4. hiſt. cap.26., & D.Hieron. de Vir. illuſtr.cap.24. enarrantes Melitonis opera, libri hujus nec verbum faciunt. Primus, qui librum de Tranſitu Mariæ Melitoni affinxit, creditur fuiſſe Beda in Retractationibus in Acta cap.8. & 13., ubi ipſum rejicit; notans in eo nonnulla Sacræ Scripturæ veritati repugnantia, alia fabuloſa, alia inveriſimilia, ut legere eſt apud Sixtum Senenſem Biblioth. ſanctæ lib.2. in *Maria*.

XVII. De B.Virginis Tranſitu adeſt Judicium Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, vel cujuſcumque alterius, qui auctor ſit Sermonis olim 35. inter Auguſtinianos, nunc 208. in Appendice to-

tom. 5. oper. S. Auguſtini, qui eſt de Aſſumtione B. Mariæ. *Hodierno*, inquit, *die ad cælos aſſumta fuiſſe traditur Virgo Maria. Sed quo ordine hinc ad ſuperna tranſierit regna, nulla Catholica narrat hiſtoria. Non ſolum autem reſpuere apocrypha, verum etiam ignorare dicitur hæc eadem Dei Eccleſia: & quidem ſunt nonnulla ſine auctoris nomine de ejus Aſſumtione conſcripta; quæ ut dixi ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minimè permittantur. Hinc ſanè pulſantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, nec aſſumtio ejus cum carne, ut in apocrypha legitur, in Catholica hiſtoria reperitur. Quibus dicendum eſt, quia ſi Moyſi corpus ab homine non invenitur in terris, cum quo locutus eſt Deus facie ad faciem; illius quærere dementiæ eſt, per quam idem majeſtatis Deus incarnatus effulſit in terris. Neque enim dignum eſt, de corporis ejus notitia ſollicitum quempiam eſſe, quam non dubitat, ſuper Angelos elevatam cum Chriſto regnare.* Subinde poſtquam dixit, nullum latinum Scriptorem de ejus morte verba facere, nec Joannem Evangeliſtam, quo nullus fidelius narrare poterat, ſi hoc Deus manifeſtari voluiſſet, concludit: *Reſtat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum. Vera autem de ejus Aſſumtione ſententia hæc eſſe probatur, ut ſecundum Apoſtolum ſive in corpore ſive extra corpus ignorantes, aſſumtam ſuper Angelos credamus.*

XVIII. Idem aſſerit Sophronius, vel alius, qui nomine Sancti Hieronymi edidit ſermonem de Aſſumtione Virginis ad Paulum & Euſtochium, & reperitur tom. 5. ultimæ editionis oper. S. Hieronymi. *Quomodo autem* (inquit) *vel quo tempore, aut à quibus perſonis ſanctiſſimum ejus corpus inde ablatum fuerit, vel ubi tranſpoſitum; utrum ne reſurrexit, neſcitur, quamvis nonnulli adſtruere velint eam jam reſuſcitatam, & beata cum Chriſto immortalitate in cæleſtibus veſtiri. Quod de B. Joanne Evangeliſta ejus miniſtro, cui Virgini à Chriſto Virgo commiſſa eſt, plurimi aſſeverant: quia in ſepulcro ejus (ut fertur) nonniſi manna invenitur; quod & ſcaturire cernitur. Verumtamen quid horum verius cenſeatur, ambigimus. Melius tamen Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, committimus, quàm ut aliquid temere definire velimus auctoritate noſtra, quod non probemus: ſicut & de his quos cum Domino (Evangelio teſte) reſurrexiſſe credimus*, de quibus aliquibus perſuaſum eſt, adhuc cum Chriſto immortalitate frui, ut ſint teſtes perennes reſurrectionis ejus: *Unde & B. Petrus* (loquens de David)... *Et ſepulchrum*, inquit, *ejus apud nos eſt, quaſi non ſit auſus dicere, quod ipſe aut corpus ejus apud nos eſt, ſed tantum ſepulchrum, quo conditus fuerat: hinc ajunt reſurrexiſſe & eum cum ceteris*

Digitized by Google

Sanctis: & ideo vacuum remanſiſſe Mauſoleum, ut nunc B. Mariæ cernitur.... Quod (quia Deo nihil eſt impoſſibile) nec nos de Beata Maria Virgine factum abnuimus, quamquam propter cautelam (ſalva fide) pio magis deſiderio opinari oporteat, quam inconſultè definire, quod ſine periculo neſcitur. Epiphanius autem in Panario hæreſ. 78. & 79. ex una parte improbat errorem Collyridianorum hæreticorum, aſſerentium B. Virgini naturam divinam, illamque ſacrificio colentes velut Deam; Et ex alia de ejus morte non audet certi aliquid definire dicens: *Non autem omnino definio hoc, & non dico quod immortalis manſit, ſed neque affirmo quod mortua ſit.* En quanta apud Veteres circa hoc hæſitatio.

XIX. Eccleſia tamen Catholica omni hæſitatione ſublata firmiter credit, ſemperque credidit, B. Virginem fuiſſe mortuam, non quidem martyrio, ut quidam opinati fuerant, contra quos auctor, qui nomine Iſidori fertur lib. de Vit. Obit. Sanctorum cap.68. citatus à Baron. in Martyrolog. ad 15. Auguſti, & alii poſt ipſum. Et inſuper (quidquid ſenſerint Pſeudo-Auguſtinus, & Pſeudo-Hieronymus ſupra citati) eſto repudiet apocrypha, quæ de ejus morte lectitantur; ut firmiorem Traditionem amplectitur eam, quæ docet, Mariam anima & corpore ſimul aſſumtam fuiſſe in cœlum; ejus propterea feſtum ſub nomine Aſſumtionis ſolemniter celebrans. Hujus Traditionis teſtes ſunt Græci, qui Aſſumtionem B. Virginis habent in ſuo Menologio eodem die ac nos. Joannes Damaſcenus homil.2. in dormit. Deiparæ, ubi ex Euthymiaca hiſtoria refert totum quod accidit in Virginis morte, & quod Eccleſia recitat in lectionibus pro Officio Aſſumtionis. Cùm autem in dicta hiſtoria citetur Dionyſius Areopagita lib. de Divinis nominibus cap.3.; eſto liber ille à modernis Criticis Areopagitæ abjudicetur; cum tamen ſub illius nomine cœperit evulgari ante quinti ſeculi finem, colligere licet ex dicto Dionyſii loco, tunc temporis narrationem de obitu & Aſſumtione B. Virginis fuiſſe evulgatam: quod eò magis roboratur, quia in libro Sacrament. S. Gregorii adeſt Miſſa tam pro Vigilia, quàm pro Feſto ſub nomine Aſſumtionis, quod repetit ejuſdem Miſſæ Præfatio; Gregorius autem 6. ſeculo floruit. Hujus Traditionis aſſertor celebris fuit Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, qui floruit circa annum 430., eamque ex Majorum Traditione evulgavit coram Marciano ac Pulcheria Auguſtis, ut refert Damaſcenus homil.2. in dormit. Deiparæ. Hoc idem referunt Nicephorus lib.2. cap.22.& lib.15. cap.14., Metaphraſtes, Glycas, aliique Græcorum. Ex Latinis verò, miſſis duobus apocryphis ſupra relatis ſub S. Auguſtini & Hieronymi

mi nomine, de Virginis Aſſumtione agitur in Ordine Romano, in Concilio Moguntino ſub Carolo Magno Can.*36*., aliiſque monumentis agentibus de Divinis Officiis. Gregor. Turon. de glor. martyr. lib.1. cap.4. & *9*. S. Bernardus Abbas, Petrus Damianus de Aſſumtione ſermones edidere.

XX. Sub Chriſti nomine plures Hæreticos ſparſiſſe libros, memoriæ Veteres prodidere. Prætereo librum magica continentem, quem aliqui blaſphemi à Chriſto editum, Apoſtoliſque Petro & Paulo inſcriptum, fuiſſe mentiti ſunt, quemque ſupra refutavimus cum S. Auguſtino lib.1. de Conſenſu Evangeliſt. cap.10. Alios libros ſub Chriſti nomine ab Hæreticis & Impoſtoribus evulgatos fuiſſe, deteſtatur S. Hieronymus in Ezech. cap.44. dicens: *Salvator nullum volumen doctrinæ ſuæ proprium dereliquit, quod in pleriſque apocryphorum deliramenta confingunt; ſed Patris & ſuo Spiritu quotidie loquitur in corde credentium*. Alii forte ſupereſſent apocryphi recenſendi, ſed cum horum vix nomen ſuperſit, propterea, ne tempus inutiliter teramus, eos omittimus.

CAPUT VI.

De Symbolo Apoſtolorum.

I. S*ymboli* vocabulum non unam apud Auctores Eccleſiaſticos habet etymologiam. Quidam enim obſervantes, *Symbolon* Græce derivari à verbo *Symballon*, quod idem eſt ac *conferre & cum alio congredi*, exiſtimant, Symbolum idem eſſe, ac *collationem*: *hoc eſt quod plures in unum conferunt*. Ita Rabanus Maurus lib.2. de Inſtit. Clericorum cap.*56*., Ruffinus in expoſit. Symboli, S. Iſidorus lib.2. de Eccleſiaſticis Officiis c.22. & in hoc ſenſu Symbolum Apoſtolorum nil aliud erit, quam regula Doctrinæ, quam Apoſtoli in unum contulerunt. Et in hoc ſenſu accepit Symbolum S. Auguſtinus ſerm. 1. ad Catechumenos cap.1. cum ait: *Hoc eſt enim Symbolum, quod recenſuri eſtis, & reddituri. Iſta verba, quæ audiſtis, per divinas Scripturas ſparſa ſunt; ſed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo poſſit dicere, poſſit tenere, quod credit*.

II. Alii Symbolum putant derivari à ſigno, ſeu teſſera, qua olim notabantur milites, ut dignoſcerentur ab hoſtibus, vel quæ olim in pactis aut conventionibus ſyngrapharum loco tradebantur. Primam ſignificationem animadvertit Ruffinus lib. de expoſit. Symboli ad Laurentium; ſecundam verò S. Petrus

Chryſologus ſerm.62. de Symbolo Apoſtolorum. Undecumque ergo Symbolo etymologia derivetur, commodè aptatur Symbolo Apoſtolorum. Hoc enim collectio eſt eorum, quæ nobis credenda Apoſtoli contulerunt. Hoc diſtinguimur, ceu militari ſigno, & ſecernimur à Chriſti hoſtibus. Hoc demum veluti ſyngrapha obteſtamur fœdus, quod cum Deo inivimus in Baptiſmo. *Symbolum* (ait laudatus Chryſologus) *inter duos firmat ſemper geminata conſcriptio, & in ſtipulatione cautum reddidit humana cautela... Sed hoc inter homines, inter quos fraus... Inter Deum verò & homines Symbolum fidei ſola fide firmatur: non litteræ, ſed ſpiritui creditur; & mandatur cordi, non chartæ, quia divinum creditum humana non indiget cautione* &c. Ab his ergo omnibus dici poteſt Symbolum, de quo acturi ſumus. Ita Ruffinus expoſ. Symbol. ad Laurent. *Symbolum autem hoc multis & juſtiſſimis ex cauſis* (Apoſtoli) *appellare voluerunt. Symbolum enim Græcè indicium dici poteſt, & collatio; hoc eſt quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus, in unum conferendo, quod unuſquiſque ſenſit. Indicium autem, vel ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore... multi ex circumciſis Judæis ſimulabant, ſe eſſe Apoſtolos Chriſti... Idcirco ergo iſtud indicium poſuere, per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum verè ſecundum Apoſtolicas Regulas prædicaret* &c.

§. I.

Heterodoxi quid ſentiant?

III. TRia Chriſtianæ Religionis Fidem continentia edita ſunt. Symbolum primum dictum Apoſtolorum, ſeu Apoſtolicum, alia duo primi explicationes & declarationes ſunt, nimirùm Nicænum editum in Concilio Nicæno primo, & Conſtantinopolitanum editum in Concilio Conſtantinopolitano primo; quibus additur quartum vulgò S. Athanaſio tributum. De primo hic agimus, an habuerit auctores ipſos Apoſtolos.

IV. Calvinus dicit, ſe non eſſe ſollicitum de Symboli Apoſtolici auctore; fatetur tamen, tempore Apoſtolorum fuiſſe conditum, ita lib.2. Inſtitut. cap.16. §.18. *Apoſtolicum autem Symbolum nuncupo, de auctore interim minimè ſollicitus. Apoſtolis certè magno veterum Scriptorum conſenſu adſcribitur: ſive quod ab illis in commune conſcriptum, ac editum exiſtimabant, ſive quod compendium iſtud ex doctrina per eorum manus tradita, bona fide collectum, tali elogio confirmandum cenſuerunt. Neque verò mihi du-*

Digitized by Google

dubium eſt, quin à prima ſtatim Eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſeculo, inſtar publicæ, & omnium calculis receptæ confeſſionis, undecumque tandem initio fuerit profectum. Nec ab uno privatim fuiſſe conſcriptum, veriſimile eſt; quum ab ultima uſque memoria ſacroſanctæ inter pios omnes auctoritatis fuiſſe conſtet. Ita Calvinus: qui eſto rem in dubio relinquere videatur, attamen in eam, ut patet, propendit opinionem, ut Apoſtolorum opus non ſit.

V. Magiſtrum ſuum apertius & audacius ſequuntur Calvini gregales. Gerardus Voſſius lib. de tribus Symbolis differt. 1. negat, ab Apoſtolis editum; atque ideo dici Apoſtolicum putat, quia Apoſtolicæ doctrinæ compendium. Chamierus l. 9. de Canone cap. 10. *Eſſe ab Apoſtolis*, inquit, *Symbolum ſic compoſitum, ſi non eſt falſum, certè, quod proximam falſo eſſe nemo negat, incertum eſt*. Apertè negat Baſnagius Annalium Politico-Eccleſiaſt. ad ann. 42. num. 24., ubi erepto Apoſtolis Symbolo concludit, nec à tempore Apoſtolorum fuiſſe conditum, ſed ſecundo aut tertio ſeculo: *In ea igitur* (inquit) *ſententia verſamur, ſecundo, tertioque Seculo ex Apoſtolica doctrina conflatum eſſe Symbolum* &c. Idem ſenſerat Ottius in Baron. ad annum 44. §. 6. & 7. Quibus omnibus præiverat Eraſmus Præfat. ad lectorem Paraphraſis S. Matthæi dicens: *Librum hunc concinnare cupio, non ex humanis lacunis, ſed ex fontibus Evangelicis, & Apoſtolicis litteris, & ex Symbolo, quod an ab Apoſtolis proditum ſit, neſcio*. Ita etiam ſe ſentire, teſtati ſunt Græci in Concil. Florentino part. 2. collat. 13.

Orthodoxi autem contrarium ſentiunt, illud genuinum Apoſtolorum traditum verbum aſſerentes, inter quos Baron. ad ann. 44. num. 15. & 16., Natalis Alexander Secul. 1. differt. 12.

§. II.

Orthodoxorum mens.

VI. Symbolum dictum Apoſtolorum, ſeu Apoſtolicum, cenſendum eſt ab Apoſtolis traditum. Probo aſſertum hoc diſcurſu. Non eſt recedendum à communi Veterum Traditione, ſi non urgeat prudens & rationabilis cauſa, vel motivum: atqui Veterum Traditio eſt, Symbolum, quod dicimus Apoſtolorum, fuiſſe revera ab Apoſtolis Eccleſiæ traditum, nec urget prudens ullum & rationabile motivum, cur ab hac Traditione recedamus: ergo &c. Maj. videtur non neganda; hac enim ra-

ratione quia Veterum Traditio nos docuit, credimus quatuor Evangelia eſſe opus eorum, quorum præferunt nomen. Minorem autem propoſitionem pro prima parte, nimirùm talem fuiſſe Veterum Traditionem, ex ore ipſius Calvini ſupra audivimus lib.2. Inſt. cap.16. §.18. *Apoſtolis certè magno Veterum conſenſu adſcribitur*, quod repetit in Catech. Eccleſiæ Genevenſis c. de Fide.

VII. Hujus Traditionis teſtes ſunt primò Irenæus lib.1. contra hæreſ. cap. 10., qui unam ac eandem eſſe totius Eccleſiæ fidem probans, ait: *Eccleſia enim per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis ac Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram: & in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei* &c. recenſens ſubindè omnia ferè, quæ in Symbolo credimus. Secundò Tertullianus lib. de præſcript. cap.37. *In ea*, inquit, *Regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit*. Hanc autem Regulam eſſe Symbolum, de quo agimus oſtenderat ſupra cap.13. dicens eſſe illam, *qua creditur, unum omnino Deum eſſe*: & apertius lib. de velandis Virginibus cap.1. *Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unum Deum omnipotentem, mundi conditorem; & in Filium ejus Jeſum Chriſtum* &c. Tertiò S. Hilarius lib.1. ad Conſtantium num.3. non longè ab initio conqueritur de Arrianis, quód non ceſſent *rectam Apoſtolorum Regulam depravare*, ubi loqui de Symbolo perſpicuum eſt: quod lib.2. ad Conſtant. num.6., ut & lib. de Synodis num.63., vocat fidem Apoſtolicam, & dicto lib.2. num.4. dicit *in regenerationis ſacramento eſſe confitendum*.

VIII. Quartò idem ſentit Lucifer Calaritanus ad Conſtantium ſcribens lib.2., vocans hoc Symbolum *formam diſciplinæ, & regulam fidei per Apoſtolos traditam*. Et libro de non conveniendo cum Hæreticis increpans Arrianum, quòd *Patrem non eſſe verum Patrem, ſed appellari Patrem* aſſereret, ait: *Cum e contra videamus, Apoſtolos credidiſſe in unum Deum Patrem omnipotentem, verum Patrem, propterea verum Patrem, quod verè, non putativè habeat Filium: & in unicum Filium ejus Jeſum Chriſtum, hoc eſt in verum Dei Filium, & in Sanctum Paracletum verum Dei Spiritum*. Quintò S. Ambroſius lib.1. epiſt.7. ad Siricium Pont. Max. *Credatur*, inquit, *Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat*.

IX. Sextò Cœleſtinus Papa I. Epiſtola ad Neſtorium arguit iſtum, quod abſtulerit verba *Symbolo ab Apoſtolis tradito*. Et

Con-

Concilium Epheſinum in relatione ad Theodoſium de Neſtorii depoſitione proteſtatur, ſe iſtum condemnaſſe *Sacræ Fidei expoſitione præmiſſa, quæ primum à Sanctis Apoſtolis nobis tradita, poſtea fuit à trecentis decem & octo Sanctiſſimis Patribus in Metropoli Niceæ à ſancta memoriæ Conſtantino congregatis expoſita.*

X. Septimò S. Leo ſcribens ad Pulcheriam Auguſtam Ep. 13. *Ipſius* (inquit) *Catholici Symboli brevis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum tandem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa ſit in munitione cœleſti, ut omnes Hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari.* Prælaudatis Cœleſtini & Leonis teſtimoniis uſus eſt in Synodo Florentina Cardinalis S. Angeli (ut videre eſt p. 2. collatione 13.) ubi diſputans cum Marco Epheſino, oſtendit contra ipſum, alioſque Græcos id negantes, Symbolum eſſe verè Apoſtolorum fœtum. Et collatione 8. Archiepiſcopus Coloſſenſis Andreas Rhodius O. P. in diſputatione Archiepiſcopo Nicæno comprobans, Evangelium eſſe principium, ex quo Symbolum deſumtum eſt, ait: *Hoc clarum eſt, Evangelium eſſe Symboli principium, quia Apoſtoli exſequi volentes Dei præceptum, ut omni creaturæ Evangelium prædicarent, ut pariter in evangelizando convenirent, ex Evangelio fecerunt Symbolum, quod dicitur Apoſtolorum*, ex quo infert, doctrinam Evangelii non eſſe extrinſecam à doctrina Symboli, ut Græci autumabant.

XI. Hæc crediderim Andræam Rhodium præfatum ſumſiſſe ex Ruffino, qui in præfatione expoſit. Symboli ad Laurentium, quæ extat inter opera S. Cypriani, ita ſcribit: *Tradunt Majores noſtri, quod poſt aſcenſionem Domini, cum per adventum Sancti Spiritus ſuper ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, ut loquelis diverſis variiſque loquerentur.... præceptum eis à Domino datum, ob prædicandum Dei verbum ad ſingulas quemque proficiſci nationes. Diſceſſuri itaque ad invicem normam priùs futuræ ſibi prædicationis in commune conſtituunt; ne fortè alius ab alio abducti, diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno poſiti, & Spiritu Sancto repleti, breve iſtud futuræ ſibi, ut diximus, prædicationis indicium conferendo in unum, quod ſentiebat unuſquiſque, componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt.* Et poſt multa. *Diſceſſuri ergo, ut diximus, ad prædicandum, iſtud unanimitatis & fidei ſuæ indicium Apoſtoli poſuere: non ſicut filii Noè diſceſſuri ab alterutro, turrem ex latere cocto & bitumine conſtruentes, cujus cacumen pertingeret uſque ad cœlum, ſed munimenta fidei, quæ ſtarent adverſus faciem inimici, ex lapidibus vivis & margaritis Dominicis ædificantes* &c.

Suſ-

XII. Suffragantur S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Eccleſiaſt. Officiis cap. 22., Caſſianus liber 6. de Incarnat. c. 3. & 4., S. Maximus Homil. de Traditione Symboli, & Hincmarus Remenſ. Epiſt. ad Presbyt. Remenſ. Parochiæ tom. 5. Concil. Harduini col. 416., ubi præſcribens ritum in Baptiſmo ſervandum num. 5. ait: *Deinde verò Symboli Apoſtolici traditur ei fides .... Quod enim Symbolum Græcè dicitur, latinè indicium, vel ſignum, ſive collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas. Signum, quod eo benè retento & intellecto Fideles ab Infidelibus ſecernuntur. Collatio, quia in eo Sancti Apoſtoli omnem fidei integritatem contulerunt: quod autem omnes Apoſtoli pari fidei ſinceritate corde retinebant, ore confeſſi ſunt, & ſinguli proprias ſententias conferentes, Symbolum, ideſt totius fidei collationem ediderunt. Diſceſſuri enim ab invicem per totius orbis provincias normam prædicationis in commune ſtatuerunt, ne localiter ab invicem diſſidentes, diverſum aliquid vel diſſonum prædicarent.* Ex hactenus prolatis ſufficienter apparet firma apud Veteres Traditio, quod Symbolum dictum Apoſtolorum, Apoſtolos habuerit Auctores.

XIII. Quod autem ab hac Traditione recedendi, cauſam & rationabile motivum non habuerint Proteſtantes, oſtendemus infra, ſolvendo eorum momenta. Deinde quia dum negant eſſe fœtum Apoſtolicum, neſciunt aſſignare, quiſnam fuerit ejus parens, neſciunt, quo tempore editum fuerit. Calvinus enim, ut ſupra, ut indubium cenſet, *à prima ſtatim Eccleſiæ origine fuiſſe confectum, adeoque ab ipſo Apoſtolorum ſeculo.* Calvini verò ſequaces illud putant recentius, Baſnage ſupra relatus in ſecundum aut tertium ſeculum rejicit. Ottius Annal. Ecclef. ad ann. 44. num. 7. dicit, de illo nullam fieri mentionem uſque ad Concil. Nicænum. Dico ergo ſic. Qui negat aliquod inſtrumentum eſſe illius, cujus fertur, & eo tempore conditum, quo hactenus traditum eſt, ei incumbit certò oſtendere, cujus determinatè alterius ſit, & quo tempore editum; aliàs ab eo, quod ſibi incertum videtur, prolabetur in incertius. Sed qui negant, Symbolum Apoſtolicum, eſſe editum ab Apoſtolis, neſciunt determinare à quo, & quo tempore conditum fuerit: ergo temerè & abſque fundamento veterem hanc traditionem repudiant.

XIV. Quæres primò, quandonam Apoſtoli Symbolum hoc ediderint?

Reſpondeo ex Ruffino & Hincmaro ſupra laudatis, probabilius eſſe, illud edidiſſe, cum poſt Hieroſolymitanum Conventum, de quo Act. 15., proximè ſeparandi erant: *Diſceſſuri itaque*

ad

Digitized by Google

ad invicem (ait Ruffinus) *normam ſibi prius futuræ prædicationis in commune conſtituunt, ne fortè alius ab alio abducti, diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent*. Colligo ex Paulo Galat.7. v.1. *Deinde poſt annos* 14. *iterum aſcendi Hieroſolymam* : & v.2. *Et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus* : *ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe*. Ecce collationem factam inter Paulum aliosque Apoſtolos de fidei Articulis, ſeu de Evangelii prædicati doctrina, anno quartodecimo, qui correſpondet ſecundum multos anno, quo habitum fuit Concilium Apoſtolicum Hieroſolymis. Credibile ergo eſt, hac occaſione Apoſtolos invicem conferentes Symbolum edidiſſe. Cui aſſentitur Adrichomius, qui in deſcriptione Hieruſalem num.6. aſſerit, ibi conditum ab Apoſtolis, in ſui diviſione poſt Concilium, fuiſſe Symbolum. An autem locus, ubi illud condiderunt, fuerit Cœnaculum Sion, ut ipſe opinatur, an Mons Oliveti, ut vult Quareſmius Elucid. Terræ Sanctæ tom. 2. lib. 4. cap. 1., incertum relinquo.

XV. Quæres ſecundò. An ſinguli ſingulos articulos protulerint, an omnes ab omnibus collectis editi ſint?

Reſpondeo, Auctorem Sermonis 241. olim 115. de tempore D. Auguſtino tributi cenſere, ſingulos ſingulas ſententias protuliſſe, ait enim: *Petrus dixit*: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Joannes dixit*: *Creatorem cæli & terræ. Jacobus dixit*: *Credo & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum* &c. & ſic de ſingulis. Sed verius crediderim, non ſingulos ſingulas partes, ſed omnes ſimul communi conſenſu Symbolum edidiſſe, ut colligitur ex Ruffino, aliiſque ſupra laudatis, qui nihil dicunt de ſententiis ab unoquoque Apoſtolorum prolatis, quamvis Hincmarus videatur huic opinioni ſubſcribere dicens: *Singuli proprias ſententias conferentes, Symbolum ideſt totius Fidei Collectionem ediderunt*.

XVI. Quæres tertió. Quot articulis conſtiterit Symbolum prout ex Apoſtolis prodiit?

Reſpondeo cum Concilio Vaurenſi anno 1368. cap.1., quod extat tom.7. Concil. Harduini columm.1806., Symbolum Apoſtolorum diſtinctum eſſe in 14. articulos fidei, *quorum ſeptem ſunt pertinentes ad Divinitatem, alii ſeptem ad Chriſti humanitatem, ſeu ſeptem de Deo ſecundum ſe, & ſeptem alii de Deo ratione humanitatis aſſumtæ, qui omnes in iſtis quatuor verſibus continentur*:

Unum crede Deum, Patrem, Filium, quoque Flamen,
Et hi ſpectant ad Deum in ſe.

Qui creat, & recreat homines, quos ſalvificabit.
Et hi ſunt de effectibus ipſius Dei in homines.
Conceptus, natus, paſſus, deſcendit ad ima,
Surgit, & aſcendit, veniet diſcernere cuncta.
Et hi pertinent ad naturam à Filio Dei aſſumtam. Subjungit autem idem Concilium: *Aliqui tamen computant ſecundum numerum Apoſtolorum duodecim, qui iſtos fidei Articulos diſtinxerunt. Sed prima diſtinctio melior eſt, quæ accipitur ſecundum numerum credendorum.*

§. III.

Defenditur Symbolum ab impugnantibus.

XVII. PRimum & potiſſimum Adverſariorum argumentum eſt, quod ſi Symbolum hoc fuiſſet ab Apoſtolis editum, Lucas in Actibus Apoſtolicis rem tanti momenti non præteriiſſet, aut certè aliquis Apoſtolorum in ſuis ſcriptis ejus meminiſſet.

XVIII. Inſuper debuiſſet in Canonem Sacrarum Scripturarum referri. Quid dignius, & magis Canonicum, quàm Symbolum univerſæ fidei, habens parentem totum Apoſtolicum cœtum? Si ſingulorum Apoſtolorum opera Canoni Scripturarum inſeri meruerunt; ſi Clementis Epiſtolæ, & octo Conſtitutionum libri pro Canonicis ab aliquibus habiti ſunt, cur non hoc Symbolum? Sanè ſi nos Epiſtolam Chriſti ad Abgarum, ſi Canones Apoſtolorum, ut non genuinos, ſed ut ſuppoſitos fœtus exploſimus, quia non fuere, ut debuiſſent, Canoni Scripturarum inſerti; nulla videtur ratio, cur amplectamur tanquam legitimum Symbolum Apoſtolorum, quod à Canone Scripturarum ſemper exulaſſe conſpicimus.

Præterea ſi hoc Symbolum Apoſtolicum revera eſſet, Nicæni Patres illud indicaſſent, maximè cùm Symbolum ſuum condere ſunt aggreſſi.

XIX. Reſpondetur, ſilentium S. Lucæ eſſe argumentum negativum & infirmi roboris; reſpondebo enim cum S. Hieronymo in Epiſt. ad Galat. cap. 2. *mirum non eſſe, ſi Lucas rem hanc tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus ſuſtinuiſſe ſe replicat, Hiſtoriographi licentiâ prætermiſerit*: vel cum S. Chryſoſtomo homil. 1. in Acta, & lib. contra Gentiles, ubi de libro Act. Apoſtol. ait: *Continet autem non acta ipſa omnia, neque omnium, ſed unius tantum & alterius, & ea quidem numeratu facilia.* Ejus tamen

men meminiſſe Paulum,ſupra dixi ad Gal.2., ubi ait,ſe cum Apoſtolis contuliſſe Evangelium: tunc enim editum fuiſſe omnium conſenſu Symbolum, credere par eſt.

XX. Ad aliud, cui maximè fidit Baſnagius, reſpondet Natalis Alexandre Secul.1. diſſert.11., quod Symbolum, etſi ab Apoſtolis editum, non fuit in Canone repoſitum, quia eſto doctrinam Apoſtolorum contineat, non tamen continet doctrinam ſcriptam, quæ ſola in Canone Scripturarum recenſetur, ſed verbo ac oretenus traditam. Et quod ita ſit, oſtendit tum ex S. Hieronymo, qui Epiſt.61. ad Pammachium *Symbolum* (inquit) *fidei, & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta, aut atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus*: tum ex Ruffino laudata Expoſit. Symboli. *Idcirco denique* (ait) *hæc non ſcribi in chartulis, neque membranis, ſed retineri cordibus, tradiderunt; ut certum eſſet, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum Traditione didiciſſe ſufficeret*: tum ex S. Petro Chryſologo ſerm. 62. dicente *Symbolum fidei ſola fide firmatur, non litteræ ſed Spiritui creditur, & mandatur cordi non chartæ*. Hinc fit, non debuiſſe inter Scripturas Canonicas referri. Debuiſſent quidem inter eas referri Epiſtola ad Abgarum, quia à Chriſto conſcripta, & Canones Apoſtolici, quia, ſi revera fuiſſent eorum, vel fuiſſent ab ipſis conſcripti, vel taltem dictantibus ipſis, aut eorum juſſu exarati.

XXI. Ex his diſſipata manet prima Baſnagii contra Alexandrum inſtantia. Sed dicit inſuper. Fallitur ſi vir eruditus arbitretur, eò Regulam fidei eſſe Canonicam, quia ſcribitur. *Verba Servatoris, atque præcepta, prius utique Canonica erant, quam ſcripto mandarentur; Canonicæ etiam Conciones Apoſtolorum, utpote à Spiritu Sancto editæ: imo ſcriptæ ſunt, quia Canonicæ, non eò Canonicæ, quia ſcriptæ*. Dicit ulterius: *Neque Apoſtolorum Epiſtolæ propria manu ſunt exaratæ. Scripta fuit illa ad Epheſios per Tychicum; illa ad Romanos, ſi vera inſcriptio, per Phæben; illa ad Philippenſes per Epaphroditen: exiſtimabantur tamen Pauli Epiſtolæ, quia amanuenſibus utebatur, qui dictata excipiebant. Jam verò Apoſtoli verba Symboli dictaſſe dicuntur. Cum igitur Symbolo requiſita ineſſent omnia, ut Canonica Regula haberetur; multo magis ſcribi debuit, & Canonica cenſeri, quàm in Hieroſolymitana Synodi ad Antiochenam Eccleſiam Epiſtola, cujus nec materia tam gravis eſt, nec tam neceſſaria fidelibus ac illa Symboli*. Hæc Baſnagius Annal. ad ann.42. num.19.

XXII. Verùm nihil horum nos premit. Non primum, quia ſcimus, & fatemur nos etiam, non ideo aliquid eſſe Regulam

 fidei,

fidei, & Canonicum, quia ſcriptum; imo verba Dei & Apoſtolorum prius eſſe Canonica, quàm ſcripta: ideoque Symbolum Apoſtolorum tanquam Regulam fidei, & Canonicum ſuſcipimus, ſicut & ceteras divinas Traditiones, etſi non fuerint ſcripto traditæ. Sed dicimus, Symbolum Apoſtolorum non numerari inter Canonicas Scripturas, quia ab Apoſtolis non fuit ſcripto mandatum, ſed traditum. Licèt autem non omne quod eſt Canonicum, debeat eſſe ſcriptum, omnis tamen Scriptura Canonica debet eſſe ſcripta, ut vel ipſis verbis palam fit. Miror tamen, hanc doctrinam, quæ mirificè favet Traditionibus non ſcriptis, ex viri Proteſtantis calamo excidiſſe. Si enim doctrina aliqua non eò eſt Canonica, quia ſcripta, ſi priùs eſt Canonica, quàm ſit ſcripta: ergo dari poteſt aliqua doctrina, quæ ſit Canonica & Regula fidei, & tamen non ſit ſcripta. Ergo Traditiones non ſcriptæ, quas Eccleſia quaſi per manus ab Apoſtolis accepit, poſſunt haberi & eſſe Canonicæ, & Fidei Regula. Cur ergo id Proteſtantes inficiantur?

XXIII. Nos non premit ſecundum. Do enim, non omnes Epiſtolas eſſe propria Apoſtolorum manu exaratas, illam ad Romanos per Phæben, ad Epheſios per Tichycum, ad Philippenſes per Epaphroditen (quamvis verius exiſtimem iſtos talium Epiſtolarum fuiſſe delatores, non amanuenſes) tamen dictæ Epiſtolæ fuere Apoſtolis dictantibus vel mandantibus conſcriptæ, ideoque revera inter Canonicas Apoſtolorum Scripturas referri debent. At Symbolum nec ſcripſerunt Apoſtoli, nec Amanuenſibus dictarunt ſcribendum, ſed invicem conferentes ſtatuerunt, ut eſſet communis Regula in prædicatione Evangelii, & quaſi totius Fidei compendium prædicandum, non ſcribendum in charta, ſed in cordibus credentium. Neque ex quo Symbolum ſit Canonica Regula, ſcribi debuit. Unde enim id probat Baſnagius? Scribi quidem debuit ex Synodo Hieroſolymitana Epiſtola ad Antiochenam Eccleſiam, quia cum decretum illius Synodi deberet innoteſcere Antiochenis, nec poſſet id fieri ore, ac voce omnium Apoſtolorum, debuit ſubrogari epiſtola, quæ nomine omnium teſtaretur, qualiter inter abſentes fieri ſolet. At Symbolum erat ipſorum Apoſtolorum voce ac prædicatione in omnes terras perſonaliter deportandum, ideoque etſi materiam magis neceſſariam clauderet, non oportuit, ut ſcripto per Apoſtolos mandaretur; quia Scriptura in ſupplementum præſentiæ perſonalis adhibetur.

XXIV. Tertium, quod ſupra adjiciebatur, reſpondebatur à Græcis in Synodo Florentina p.2. collat. 13. Cùm enim Cardina-

nalis interrogaſſet Græcos: *Habetis Symbolum Apoſtolorum?* Reſpondit Marcus Epheſius: *Non: etſi fuiſſet, fuiſſet factum verbum de eo*, nimirùm in Concilio Nicæno, cum in eo conderetur Symbolum. Reſpondeo, hoc non favere Baſnagio, nec Calvino. Nam ſi ex quo Synodus Nicæna non meminit hujus Symboli, arguitur, non eſſe Apoſtolorum, nec ab Apoſtolis conditum; arguitur etiam tale Symbolum pro eo tempore nondum extitiſſe, quod eſt contra Calvinum, qui illud putat ſecundo aut tertio ſeculo à viris piis editum fuiſſe. Erat ergo jam Nicæni tempore Symbolum, ſeu credendi Regula, cujus expoſitionem Nicæni Patres in ſuo Symbolo inſtituere: cùm autem nec Adverſarii ſciant, quo tempore, vel à quo factum fuerit; credendum eſt illud ab Apoſtolis traditum juxta regulam S. Auguſtini lib. 5. de Baptiſmo contra Donat. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.*

XXV. Secundum Baſnagii momentum eſt: Si Symbolum ab Apoſtolis inſtitutum eſt, ut fideles ab infidelibus atque hæreticis ſecernerentur; vel Apoſtoli reſpexerunt ad ſolos infideles tunc exiſtentes, vel etiam ad poſteros? Non primum, quia longè plures damnantur in Symbolo, quàm qui Apoſtolis fuere coævi, dum in terrarum orbem legati fuerunt; non enim eo tempore adhuc emerſerat Cerinthus, aut Ebion, quos forte ſolus Joannes vidit. Non ſecundum, quia in Symbolo non præcluduntur omnes hæreſes, quæ poſterioribus temporibus emerſerunt. Num enim duodecim Apoſtolici Symboli Articulis præcluduntur errores Pelagii, originale peccatum & gratiæ neceſſitatem negantis? Num Socinianorum, Chriſti Sacrificium, & Divinitatem pro nihilo habentium? Num Anabaptiſtarum circa ſacramenta, juramenta &c.? Si ita eſſet, non fuiſſet opus, ut Synodi Nicæna & Conſtantinopolitana nova ederent Symbola; & ſic oſtenderent, Apoſtolos non plenam & conſummatam, ſed mancam & mutilam Regulam præſcripſiſſe. Ita Baſnagius num. 20.

XXVI. Reſpondeo, Apoſtolos Symbolo ſuo voluiſſe generaliter conſulere Fidei & Eccleſiæ, nedum pro illo tempore, ſed etiam pro futuro. Nec enim tempore Apoſtolorum deerant hæreſes, ut benè notat Natalis Alexander. Aderat Simon Magus, qui teſte S. Auguſtino lib. de hæreſ. cap. 1. negabat, Deum feciſſe mundum, negabat carnis reſurrectionem, & aſſerebat, ſe eſſe Chriſtum, imo & Spiritum Sanctum. Aderat Cerinthus, qui teſte S. Epiphanio hæreſ. 28., & Philaſtrio lib. de hæreſ. in Cerin-

rintho, movens quæſtionem de legis Moſaicæ cæremoniis obſervandis, occaſionem dedit Apoſtolis Hieroſolymitanæ Synodi celebrandæ. Negabat iſte, Deum verum eſſe conditorem mundi; Chriſtum merum hominem docebat ex Joſeph & Maria genitum: cui coætaneum facit Euſebius lib. 3. hiſt. cap. 27. 28. & 29. Ebionem, & Nicolaum, illum Ebionitarum, iſtum Nicolaitarum parentem. Aderant etiam inter fideles ſeductores, falſi Prophetæ, falſi Fratres, ut S. Paulus in ſuis Epiſtolis prodit, & Lucas in Actibus Apoſtolicis. Hi omnes occaſionem dederunt Apoſtolis condendi Regulam Fidei, qua veri fideles ſcirent, quid tenendum, quidve repudiandum. Hinc Ruffinus laudata Expoſit. in Symbolum: *Indicium autem* (inquit) *& ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore, ut Paulus Apoſtolus dicit, & in Actis Apoſtolorum refertur, multi ex circumciſis Judæis ſimulabant, ſe eſſe Apoſtolos Chriſti ...., nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris Traditionum lineis nunciantes* &c.

Eſto autem in præfato Symbolo expreſsè non refellantur omnes hæreſes, quæ ſucceſſu temporum ab inferis emerſerunt: in eo tamen Apoſtoli fundamenta jecerunt, quibus poſſent per Eccleſiam Scripturâ duce extirpari, dum enim jubebantur fideles credere ſanctam Eccleſiam, conſequenter docebantur ipſam audire ut Magiſtram, & tenere id, quod ulterius ex Scripturis ſanctis tenendum, credendumque eis propoſuiſſet: nec enim Symbola poſteriora Nicænum, Conſtantinopolitanum, errores Pelagii, Socinianorum, ceterorum Hæreticorum expreſsè confodiunt, & tamen eos deteſtamur, quia eos deteſtatur Catholica Eccleſia. Dici etiam poteſt, præcipuum Apoſtolorum ſcopum in ſuo Symbolo fuiſſe, illos exprimere Articulos, quibus Chriſtiani ab Ethnicis, & Judæis, quibus prædicabant, diſcernebantur, relinquentes alios, Eccleſiæ nata occaſione exponendos, quos Eccleſia in Symbolis ſucceſſivè editis imitata eſt: Nicæni enim Patres explicarunt ea, quæ contra Arrium, contra quem agebant, militabant; Conſtantinopolitani, quæ contra Macedonium.

XXVII. Verùm ecce tertium Baſnagii argumentum. Si Symbolum illud fuiſſet ab Apoſtolis prolatum, fuiſſet opus à Spiritu Sancto dictatum, non minùs ac Sacra Scriptura. Sicut ergo nulli licet, vel verbum, vel apicem Sacræ Scripturæ ſufficere; aliàs injuria fieret Spiritui Sancto: ita nec licuiſſet Eccleſiæ verba addere Symbolo; Cùm autem conſtet, multa addita fuiſſe, quæ in Symbolo, ut ab Apoſtolis, non erant; multa etiam variata, ut inferius expendemus: evidenter colligitur, illud,

illud, ut ab Apoſtolis editum, Eccleſiam non cognoviſſe.

XXVIII. Reſpondeo, ut dicebamus, Symbolum fuiſſe ab Apoſtolis conſignatum Eccleſiis, quas fundabant voce ac prædicatione, non ſcripto; quo factum eſt, ut aliæ aliis verbis illud exceperint, & fidelibus ſuis tradiderint: in quo differt Scriptura divinitus inſpirata a Traditione; in illa enim, tam doctrina, & ſenſus, quam verba ipſa à Spiritu Sancto ſunt; ideoque nulli licet detrahere, aut minuere: quod autem Spiritus Sanctus per Traditionem docuit, cùm conſtare non poſſit, quibus verbis docuerit; ſufficit, ut teneatur quoad ſenſum ſubſtantialem, etſi non quoad verba: ideoque Eccleſiam illi addere poſſe aliquid, magis explicativum ſenſus à Sancto Spiritu intenti, prout ſibi viſum fuerit expedire.

XXIX. Sed dices. Saltem in omnibus Eccleſiis deberet eſſe idem quoad doctrinam, & numerum Articulorum, quod tamen eſt falſum; cum in aliquibus Eccleſiis olim pluribus ſententiis, & articulis conſtiterit, in aliis autem paucioribus. In Symbolo enim, quod recitat Tertullianus tum lib. de velandis Virgin. c.1., tum de Præſcript. hæretic. cap.13., tum adverſus Praxeam cap.2., non habentur articuli de Chriſti deſcenſu ad inferos, de Spiritu Sancto, de Eccleſia, de Sanctorum communione, de remiſſione peccatorum, de vita æterna. Imo S. Hieronymus Epiſt.61. Symbolum deſcribens, omittit *de vita æterna*, dicens: *Poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem Eccleſiæ, omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum Carnis Reſurrectione concluditur.* Idem Ruffinus ſæpè laudatus: *Sed ultimus iſte ſermo, qui reſurrectionem pronuntiat, ſummam totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit*. Hanc vocem *Catholicam* certè Apoſtoli Symbolo non addiderunt, cùm Eccleſia eo tempore anguſtis concluſa finibus Catholica dici non poſſet, ideſt univerſim diffuſa: quare in Symbolis antiquis, & maximè Aquilejenſi, vox illa *Catholica* prætermittur; ſicut & à Marcello Epiſt. ad Julium: imo & à Ruffino, qui tamen totum Symbolum explicare aſſumit. Articulum de Chriſti deſcenſu ad Inferos omittit Marcellus Ancyræ Epiſcopus Epiſt. ad Julium, cujus exemplum exhibet Epiphanius hæreſ.72. §.3.; ſicut etiam hæc verba *Creatorem cœli & terræ*. Symbola autem Romanum, & Orientale, Chriſti ad inferos deſcenſum non meminere. Symbolum Apoſtolicum dicit: *Credo in Deum.* Orientale verò: *Credo in unum Deum*. Aquilejenſe poſt *Omnipotentem*, addit *inviſibilem*, & *impaſſibilem*. Quomodo autem, ſi ab Apoſtolis editum eſſet Symbolum, auſæ fuiſſent Eccleſiæ, ab illo detrahere articulos, vel addere?

XXX.

Digitized by Google

XXX. Reſpondeo, quod cum Symbolum fuerit ab Apoſtolis traditum non ſcripto, ſed voce, ut dictum eſt, non mirum eſt, ſi apud aliquas Eccleſias non omnia expreſsè in eo poſita fuerint, ſed aliqua prætermiſſa; non ita tamen, ut Fides eſſet ſubſtantialiter mutila. In ſola Eccleſia Romana eodem ordine, iiſque planè verbis, & ſententiis recitatum ſemper fuit, ut ab Apoſtolis prodierat. Unde Ambroſius ad Siricium Papam lib.1. Epiſt.7. *Credatur* inquit *Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit, & ſervat*. Idem teſtatur Ruffinus.

Tertullianus tamen citatis locis non intendit, repræſentare totum Symbolum, ſed ea ſola capita, quæ militabant contra hæreſes tunc dominantes, ſcilicet Praxeæ, Valentini, Marcionis, & Apellis, quæ de Divinitate Chriſti, ejus Paſſione, ac Reſurrectione malè ſentiebant. Quare ex ſilentio Tertulliani colligi non poteſt, Eccleſiam Africanam ſuis tradidiſſe Symbolum ita diminutum, ut omitteret articulos *de Eccleſia, Sanctorum communione, Remiſſione peccatorum, & Vita æterna*. Imo oppoſitum colligitur. Nam tempore S. Cypriani, Baptiſmo tingendis præmittebatur interrogatio: *Credis in vitam æternam, & remiſſionem peccatorum per Sanctam Eccleſiam?* ut habetur in Concil. Carthagin.1. ſub Cypriano anno 254. Quare S. Auguſtinus Serm.1. de Symbolo dictos articulos recenſet & exponit. Dici etiam poſſet, non mirum, ſi Tertullianus Montaniſtarum errore maculatus omiſerit in Symbolo *Eccleſiam Catholicam*, quam ſubſannabat, homines illius injurioſo *Pſichicorum* nomine vocando; ſicut & *Remiſſionem peccatorum*, quam ab Eccleſia Montaniſtæ auferebant, cùm dicerent, graviora peccata eſſe irremiſſibilia.

D. autem Hieronymus dicit: *Omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione concluditur*: quia carnis reſurrectio eſt inter Chriſtiana dogmata potiſſimum, & quaſi totius Fidei finis, & complementum. Unde D. Paulus 1. Cor. 15. 13. Sic argumentatur: *Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*. Ita ergo ibi errorem Joannis Hieroſolymitani oppugnans, qui non carnem, quam modó habemus, ſed corpus alterius rationis ſurrecturum aſſerebat, dixit reſurrectione carnis omne Chriſtiani dogmatis ſacramentum concludi: non quia ſit ultimum, quod in Symbolo recitaretur, ſed quia eſt totius fidei Chriſtianæ fundamentum. Et hoc intendit etiam Ruffinus loco citato dicens: *Iſte ſermo, qui reſurrectionem carnis prænunciat, ſummam totius perfectionis ſuccincta*

ſta brevitate concludit. Vel dici poteſt, D. Hieronymum & Ruffinum *Carnis reſurrectione* non excluſiſſe *Vitam æternam* animæ: loquebatur enim ille de reſurrectione carnis glorioſæ, dicens: *Hæc eſt vera reſurrectionis confeſſio, quæ ſic gloriam carni tribuit, ut non auferat veritatem*:quare ſub eodem articulo gloriam corporis, & animæ concluſit. Et Ruffinus: *Tunc reſurgent, qui ſunt in terræ pulvere: hi quidem in vitam æternam: hi autem in opprobrium, & confuſionem æternam*. Verum quidquid ſit; tempore S. Hieronymi fuiſſe in Symbolo articulum de vita æterna, teſtis eſt S. Auguſtinus ſerm.1. de Symbolo cap.9.

Quoad vocem *Catholicam* cenſent aliqui, non fuiſſe primitus poſitam ab Apoſtolis, ſed additam fuiſſe majoris explicationis cauſâ; cum antéa contineretur in eo articulo, quo profitemur ſanctam Eccleſiam: ſola enim ea Eccleſia ſancta eſt, quæ eſt Catholica. Unde S. Auguſtinus ſerm.1. de Symbolo cap.6. *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans* &c. Neque *eſſe Catholicam* dicunt eſſe notam Eccleſiæ naſcentis, & quaſi adhuc infantis in cunis poſitæ, qualis erat cum Apoſtoli Symbolum hoc tradiderunt; ſed Eccleſiæ jam firmatæ, & quaſi adultæ: ſicut aliæ ſunt notæ hominis infantis, & aliæ adulti.

Ego tamen exiſtimo (ut fusè oſtendi in opere de Vera Eccleſia) notam *Catholicæ* convenire Eccleſiæ in omni ſtatu, & proinde vocabulum hoc bene potuiſſe inſeri ab Apoſtolis ſuo Symbolo. Eccleſia enim ut Catholica ſit, non requiritur, quod quovis tempore ſit, & fuerit toto orbe diffuſa, ſed illa, quæ una manens, toto orbe effundenda eſt, taliter enim eam deſcripſerat Chriſtus Apoſtolis Act.1.8. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa, & Samaria & uſque ad ultimum terræ*. Quare S. Auguſtinus Epiſt.80. num.199. ad Heſichium cap.12. *Quo pacto igitur ab Apoſtolis eſt prædicatio iſta completa, quando adhuc uſque ſunt gentes (quod certiſſimum eſt nobis) in quibus modo cœpit, & in quibus nondum cœpit impleri? Non itaque ſic dictum eſt Apoſtolis: Eritis mihi teſtes in Hieruſalem &c. tanquam ipſi ſoli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi: ſed ſicut eis ſolis videtur dixiſſe, quod dixit: Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi, quod tamen eum univerſæ Eccleſiæ promiſiſſe, quæ aliis morientibus, aliis naſcentibus, hæc uſque in ſeculi conſummationem futura eſt, quis non intelligat?* Unde & ſupra idem Auguſtinus dixerat: *In quibus ergo gentibus nondum eſt Eccleſia, oportet ut ſit, non ut omnes, qui ibi fuerint, credant: omnes enim gentes promiſſæ ſunt, non omnes homines omnium gentium*. Poterat ergo

Eccleſia Chriſti tempore Apoſtolorum *Catholica* nuncupari, quamvis tunc arctis finibus concluſa, & nondum per orbem diffuſa: ſicut tempore S. Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli, licet nondum extenſa, ſed quaſi tyrannorum metu abſcondita, adhuc cœpta erat vocari Catholica, ut legere eſt in Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ apud Euſeb. lib. 4. hiſt. cap. 15., cui inſcriptio erat: *Eccleſia Dei, quæ eſt Smyrnæ .... Omnibus ubicumque terrarum Sanctæ, & Catholicæ Eccleſiæ Populis*.

XXXI. Neutra tamen reſponſio placet Baſnagio num. 23. Non prior, quia ſi illa vox *Catholica* addita Symbolo fuit; ergo Symbolum non fuit ab Apoſtolis editum; aliàs nullus illi auſus fuiſſet quidquam addere, ſicut nec eorum Epiſtolis. Non ſecunda, quia Chriſtianum nomen prius uſurpari cœpit, quàm Catholicum: atqui Chriſtianum ante diſperſionem Apoſtolorum non fuit in uſu; ergo minus Catholicum. Deinde: ſi Eccleſia dicta fuiſſet ab Apoſtolis Catholica, quia licèt tunc non foret extenſa, eſſet tamen futura extenſa per terrarum orbem, ſequeretur, in hoc Apoſtolos vaticinatos fuiſſe, & fuiſſe idem ac dicere: *Credo Sanctam Eccleſiam futuram Catholicam*, quod eſt inveriſimile: cùm enim Eccleſia ſimul exhibeatur Catholica, & Sancta; ſi vox *Sancta* refertur ad præſens, cur vox *Catholica* referri debet ad futurum?

XXXII. Sed vel non intelligit, vel refugit intelligere Baſnagius; nec quæ opponit infringunt datas reſponſiones. Non primam; quia cùm ex dictis ſupponamus, Symbolum fuiſſe ab Apoſtolis non ſcriptum, ſed traditum, non quoad verba, ſed quoad ſubſtantiam, & ſenſum; eſt in poteſtate Eccleſiæ addere aliquod verbum magis explicativum, ad pleniorem fidelium inſtructionem. Non enervat ſecundam, quia *Chriſtiani* titulus cœpit in uſu eſſe Antiochiæ, ut habetur Act. 11. 26. & conſequenter ante Concilium Hieroſolymitanum, & ante diſperſionem Apoſtolorum: cur ergo non & Catholici titulus? Neque credendo tunc Eccleſiam *Catholicam*, fuiſſet idem ac credere *Eccleſiam futuram Catholicam*: erat quippe tunc Eccleſia verè Catholica, quia, ut dixi, erat illa, quæ ſecundum Chriſti Oraculum una ac eadem per omnes gentes erat effundenda, ſicut Regi adhuc puero, ac in cunis exiſtente, verè convenit titulus Regis, quia eſt ille, qui regnaturus eſt, eſto adhuc non regnet. Erat etiam tunc motivum monendi fideles, Eccleſiam, quam credere debebant, debere eſſe Catholicam: cùm enim aliqui tunc ſcinderentur, privatas ſibi condentes Eccleſias, & dicentes: *Ego quidem ſum Pauli; alius autem: Ego Apollo*, ut 1. Cor. 3. 4., oportuit eos monere,

Ec-

Eccleſiam, quam credere debebant, eſſe unam in toto orbe, ſicut in toto orbe unus eſt Chriſtus. Poteſt etiam dici, Eccleſiam dici Catholicam illam, quæ fidem Chriſti non mutilam, ſed integram ſervat: quo in ſenſu nomen Catholici uſurpavit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio dicens, eos eſſe Catholicos *qui tenent id quod ſemper, quod ubique, & quod ab omnibus creditum eſt*. Hanc autem eſſe Eccleſiam, quam credere debemus, docuerunt nos Apoſtoli, ut etiam Ruffinus in Expoſ. Symboli teſtatur, qui juxta Pamelii editionem Cyprianicam non præterit in Symbolo vocem *Catbolicam*. Quod ſi in aliis editionibus eam prætereat, dico, Ruffinum expoſuiſſe Symbolum, ut recitabatur in Eccleſia Aquilejenſi, in quo forte vox *Catbolica* non exprimebatur, ſicut nec expreſſa fuit à Marcello Epiſt. ad Julium. Sed teſtimonium unius, vel alterius Eccleſiæ non convincit, vocem illam non fuiſſe ab Apoſtolis appoſitam, cum in aliarum Eccleſiarum Symbolo, & præſertim Romanæ, vox *Catbolica* cuſtodita fuerit. Sed hæc ſatis.

XXXIII. Voces illas: *Deſcendit ad inferos*: fatetur Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. *16*. §. 8. à principio appoſitas non fuiſſe, cùm à multis Veteribus fuerint omiſſæ, quamvis ab aliis inſerantur. Quare putat, *poſt aliquantum temporis inſertas, non protinus, ſed ſenſim Eccleſiis inſueviſſe*. Poſſet Calvino reſponderi, cùm juxta ipſum deſcenſus Chriſti ad inferos à quibuſdam quidem Veterum omittatur, ab aliis tamen in Symbolo exprimatur, ut Calvinus ipſe concedit; non video, cur potius dici debeat, illa verba non fuiſſe primitus ab Apoſtolis appoſita, quàm appoſita quidem fuiſſe, ſed temporis tractu fuiſſe detracta. Et ſane ſubtracta fuiſſe dicuntur à Joanne Epiſcopo in Concilio Florentino Seſſ. 10. Verum Calvino non diſſentiam, & dicam, fuiſſe addita: non enim legebantur in Symbolo Romano, & Orientali, ut teſtatur Ruffinus; neque apud S. Auguſtinum Serm. 1. de Symbolo exprimuntur. Deſcenſus tamen ad Inferos implicitè continebatur in illis verbis: *Et ſepultus*: quia ſæpè in Scripturis ſepulchri nomine infernus locus deſignatur; unde Ruffinus in laudata Expoſit. Symboli *Vis* (inquit) *tamen Verbi eadem videtur eſſe in eo, quod ſepultus dicitur*. Quatenus ſcilicet, ſicut corpus Chriſti deſcendit ad locum ſuum, nempe terram, quæ eſt locus corporum, ita & anima ad locum animarum, nimirum ad eam inferorum partem, in qua captivæ tunc detinebantur Sanctorum animæ: ut eas inde educens, & captivam ducens captivitatem, Triumphator in cœlum aſcenderet. Calvinus loco citato haſce duas interpretationes contemnit loc. cit. §. 8. & *9*.; ſed audiendus non eſt.

XXXIV. Illa porro verba *Creatorem Cœli & terræ*, quæ à Romano, & Aquilejenſi Symbolo abſunt, continentur in iſta voce *Omnipotentem*. *Omnipotens autem* (ait Ruffinus) *ab eo dicitur, quòd omnium teneat potentatum. Tenet autem omnia Pater per Filium, ſicut & Apoſtolus dicit Coloſs.* 1. *Quia per ipſum creata ſunt omnia, viſibilia, & inviſibilia* (videatur Auguſtinus de Symbolo ſerm. 1.) Illa autem verba *Inviſibilem, & impaſſibilem, in Eccleſiæ Romanæ ſymbolo non habentur* (inquit Ruffinus) *conſtat autem apud nos* (i. apud Eccleſiam Aquilejenſem) *addita hæreſeos cauſa Sabellii, illius profectò, quæ à Noſtris Patripaſſiana appellatur; ideſt quæ Patrem ipſum, vel ex Virgine natum dicit, & viſibilem factum, vel paſſum affirmat in carne.*

XXXV. Quartum Baſnagii argumentum eſt: dicimus, Apoſtolos in uno edendo ſymbolo, antequam invicem disjungerentur, conveniſſe, ne fortè alius ab alio *diverſum quid his, qui ad fidem Chriſtianam invitabantur, exponerent*, ut ait Ruffinus. Hoc autem beatiſſimis Apoſtolis injuriam infert, inquit Baſnagius, *Quid? Num Apoſtoli diſperſi per orbem terrarum, diverſum quid, quod fidem ſpectaret & mores, auditoribus inſtillare potuerunt? Torpebatne in ſingulis Spiritus ille Sanctus, à quo, promittente Domino, ad omnem dirigi veritatem debuere? Nonne Scriptura Veteris Teſtamenti ea omnia complectitur, quæ & Symbolum; ut vel in ea ſola Regulam haberent Apoſtoli, ad quam loquerentur? Num Paulus, qui triennio prædicavit in Arabia, antequam ullum ſalutaret Apoſtolum, diverſum aliquid his, qui ad fidem invitabantur, expoſuit?*

XXXVI. Reſpondeo viciſſim interrogando Baſnagium: Exorta quæſtione de uſu Legalium, ut habetur Act. 15., *Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare Legem Moyſi: Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc. Cùmque magna conquiſitio fieret* &c. Quid opus erat Apoſtolis hoc Conventu, ut veritas ſtatueretur? Num Spiritus Sanctus, qui omnes collectos dirigebat, ſingulis deerat? Num unus diviſus ab alio diverſum aliquid hac in re quoad fidem, ac mores inſtillare potuiſſet? Nonne Scriptura ſufficiens erat ad edocendum quidquid ſtatui poterat ab illo cœtu? Rurſus: Paulus Galat. 2. *Aſcendi* (inquit) *Hieroſolymam ſecundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem.* Quid? Num Paulus poterat in vacuum currere, aut cucurriſſe, ut egeret, Evangelium conferre cum Apoſtolis cæteris? Quid ad hoc dicet Baſnagius, quod ego non potero dicere in meo caſu?

XXXVII.

XXXVII. Interim dicam. Nulla facta fuit injuria Apoſtolis, nulla Sancto Spiritui ex conventu illo ad edendum ſymbolum; eadem enim, quæ omnibus ſimul inſpiravit, ſingulis inſpiraſſet, nec unus diverſam ab altero doctrinam venientibus ad fidem prædicaſſet: quia tamen diſperſis jam, nec amplius colligendis Apoſtolis refragari aliquis potuiſſet, expediens fuit, ut invicem in una formula convenirent edenda, ut doctrinam, quam quiſque prædicabat, aſſerere poſſet, eſſe doctrinam omnium; atque ideo facilius ſuſciperetur. Hac de cauſa editum eſt Hieroſolymis Concilium: hac de cauſa revelante Spiritu Paulus contulit cum Apoſtolis Evangelium: *Contulit*, inquit S. Hieronymus, *non didicit. Aliud eſt enim conferre, aliud diſcere. Inter conferentes æqualitas eſt: inter docentem, & diſcentem minor eſt ille, qui diſcit.* & infra. *Non quod Paulus timuerit, ne per decem & ſeptem annos falſum in Gentibus Evangelium prædicaſſet: ſed ut oſtenderet præceſſoribus ſuis, non ſe in vacuum currere, aut cucurriſſe, ſicut putaverant ignorantes.* Ita Hieronymus in dictum Cap.2. ad Galat. Et S. Auguſtinus Lib.28. contra Fauſtum c.4. *Ipſe Apoſtolus Paulus poſt Aſcenſionem Domini de cælo vocatus, ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & conferendo Evangelium, ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet. Sed cùm cognoviſſet eum hoc annunciantem, quod etiam illi annunciabant, & in eorum communione, atque unitate viventem..., meruit auctoritatem, ut verba illius hodie ſic audiantur in Eccleſia, tanquam in illo Chriſtus, ſicut ipſe veriſſimè dixit, locutus audiatur.* Eadem ergo cauſa, quæ movit Paulum ad conferendum cum Apoſtolis Evangelium, ut nimirum ii, ad quos Verbum annunciabat, facilius crederent, movit etiam omnes Apoſtolos ad conferendum, & communicandum in eodem Symbolo abſque injuria characteri Apoſtolico, & Spiritus Sancti afflatui ipſis aſſiſtentis.

XXXVIII. Demum urget Baſnagius. Si Symbolum Apoſtolicum ab ipſis inſtitutum Apoſtolis fuit; hoccine veriſimile, in Miſſis celebrandis Conſtantinopolitanum ipſi fuiſſe præfatum; quod in multis factum Eccleſiis legimus: in Hiſpanicis ex Concil. Toletan. III. æræ vulgaris anno 589.: in Gallicis, & Germanicis, docente Walafrido Strabone de Rebus Eccleſ. c.22.; & in Romana, ut ex Ordine Romano conſtat, & etiam hodiernis temporibus factitatur?

XXXIX. Reſpondeo, à nobis Symbolum Conſtantinopolinum Apoſtolico non præferri: Apoſtolicum enim docemus omnes pueros, adultos, viros, fœminas, idiotas, ruſticos, & tanquam Chriſtianæ fidei teſſeram proponimus: æquè ac Orationem

Do-

Dominicam: *Symbolum verò, & Orationem Dominicam omnis Chriſtianus memoriter ſciat, omnis ætas, omnis ſexus, omniſque conditio; maſculi, fœminæ, juvenes, ſenes, ſervi, liberi, pueri, conjugati, innuptaque puellæ: quia ſine hac benedictione nullus poterit in cœlorum regno percipere portionem.* Ita Concil. Forojulenſe ſub Carolo Magno 791.; quod anno 706. in Concilio Trullano ſtatutum fuerat can. 7. Symbolum autem Nicænum & Conſtantinopolitanum ſolis Sacerdotibus, ac Eccleſiaſticis publicè in Miſſis recitandum, & decantandum proponitur. Rationem autem, cur Symbolum Apoſtolorum privatè, & quaſi ſecretó, omnes doceat, & recitet Eccleſia; publicè autem Nicænum ſolum & Conſtantinopolitanum; dedit Concil. Vaurenſe anno 1368. c. 1. tom. 7. Concil. Harduini pag. 1086. dicens: *Symbolum Apoſtolorum ſilenter & ſecretè dicitur quotidie in Completorio, & in Prima: quia fuit editum tempore, quo nondum erat fides Catholica propalata. Alia autem duo publice in diebus Dominicis, & feſtivis, quando major ad Eccleſiam congregatur populus, decantantur; quia fuere edita tempore fidei propalatæ. Symbolum quidem Nicænum poſt Evangelium cantatur in Miſſa &c. quaſi Evangelicæ fidei expoſitio. &c.*

TOMI PRIMI FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

Quæ primo Tomo continentur.

A

AAronis Virga, *ac Manna vas plenum unquamne aut juxta Arcam, aut intus cum Tabulis ſervarentur*. Pagina 293. *& ſeq.*

Abdiæ Babylonii *falsò inſcripta* Hiſtoria Certaminis Apoſtolici *quam fabuloſa*. 345. *numer.* 73.

Abgari *Regis ad Jeſum legatio, ejuſque curatio*. 308.
Chriſti ad ipſum Epiſtola. 309. *pleriſque apocrypha. ibid. Cavio, & Grabio probatur. ibid. Eorum momenta. ibid. & ſeq. refelluntur* 310., 314., *ſeqq.*
Tum Abgari tum Jeſu Epiſtolis fidem adimit ipſarum materies. 311., *ſeq. Adimunt annorum notæ*. 313 *Quod de eis judicium Gelaſius tulerit*. 311.

Acta Pauli & Theclæ *apocrypha*. 336. *ſeq. Quis eorum verus auctor. ibid.*

Actus Petri *apocryphi*. 363. *ſeq.*

Actuum Apoſtolorum *liber Canonicus Petri & Pauli res geſtas continet, de ceteris Apoſtolis pauca*. 257. *num.* 2.

Adulteræ *Mulieris Evangelica* Hiſtoria *pluribus olim dubia. 306. Joanni Evang. vindicatur. ibid.*, 307.

Æræ Mahumetanæ *exordium*. 125. *n.* 2.

Æthiopum Miſſa, *quæ & Liturgia Matthæi, apocrypha*. 343. *n.* 67.

Aggæi Prophetæ *de Chriſto vaticinium*. 121. *ſeqq.*

Albanenſium *contra Dei unitatem error*. 67. *n.* 9.

Albigenſes *Manichæorum de Deo errori conſentiunt*. 68. *n.* 10.

Albitii Card. *de B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes Epiſtola, S. R. Inquiſitionis Decreto rejecta, teſtimonium*. 318.

Alcoranum *Mahumetis legem Evangelio ſucceſſiſſe, uti Evangelium Legi, Mahumetani putant*. 138. *n.* 21. *quam ſtulte*. 139., *ſeqq.*

Alexandri Nat. *de Apoſtolicorum Canonum auctore ſententia non probatur*. 354., *ſeq.*

S. Ambroſii *de Symbolo uti ab Apoſtolis tradito teſtimonium*. 374. *n.* 8.

S. Andreæ *Acta commentitia à quibus edita*. 366. *n.* 10.

Andreæ Rhodii *Ord. Prædic. in Florentina Synodo contra Græcos diſputantis de Symbolo Apoſtolis afferendo ſententia*. 375.

Annæi Senecæ *ad Paulum, & Pauli ad ipſum, quæ leguntur Epiſtolæ, an genuinæ*. 330., *ſeq.*
An aliquod ſaltem inter ipſos Epiſtolicum commercium. 331.

Digitized by Google

Antiocheni *qui feruntur Apoſtolorum novem Canones planè fictitii*. 361.

Antiochiæ *nulla ab Apoſtolis coacta Synodus*. 361., *ſeq.*

Apellitarum *circa Deum error*. 66. *n.6.*

Apocalypſin *ex Hæreticis qui recipiant*. 297. *n.46. Ex Catholicis olim qui rejecerint*. *n.47.*, *qui acceptarint, qui dubii*. 298. *ſeq.*

An auctor ejus alius ab Evangeliſta Joannes. ibid. Evangeliſta aſſeritur. 299., *ſeq. Lutheri cavillatio, dicacitas*. 297. *n.46.*, 300. *n.52. diſſolvitur, caſtigatur*. 301.

Quo tempore ſcripta ſit, quo loco. 302.

Apocalypſis alia *Petro afficta*. 363., *ſeq.*

Alia Paulo, quæ & Raptus, ſeu Adſenſus Pauli. 366. *n.9.*

*Alia Stephano adſcripta, Gnoſticis acceptiſſima ibid. n.*12.

Apocryphus *proprie qui Liber dicendus*. 307.

Quot apocryphorum ad Nov. Teſtam. ſpectantium claſſes. ibid.

Qui Chriſto ipſi tribuuntur. 308. *ſeqq. Epiſtola ad Regem Edeſſæ. ibid. Epiſtola Hieroſolymam de cœlo miſſa*. 317. *Liber magicus. ibid. Hymnus Domini. ibid.*

Apoſtolicæ Traditionis *in re Liturgica Grabii, & Grotii ingenua confeſſio*. 339. *n.60.*

Apoſtolis *Chriſti Reſurrectionem prædicantibus fidem negaverit nemo prudens*. 154, *ſeqq. Ita & narrantibus Chriſti miracula*. 184.

Scribendi Evangelia non eis præceptum. 250. *Ex illis duo ſcripſerunt tamen, ſed quare? ibid. V. Libri plures. Libri ab Hæreticis.*

Symbolum neque ſcripſerunt ipſi neque ſcribendum aliis mandavere. Non chartæ tradendum, ſed credentium cordibus decrevere. 380. *n.23. Quando condiderint*. 376., *ſeq.*

Eccleſiis à ſe inſtitutis aliquem ſacrificandi ritum eos tradidiſſe, habendum pro certo. 339. *n.60.*

Apoſtolos *ſuper omne peccatum peccatores impie quam falsò traducit Epiſtola Pſeudo-Barnabæ*. 325. *n.*30.

Arianam *Hilarius Hæreſim* Infirmitatis *vocat*. 306. *n.59.*

Ariani *Hiſtoria de Sanguineo Chriſti ſudore abutebantur*. 305.

Ariſtonis *de inimicis non male habendis præclara ſententia*. 202. *n.28.*

Articuli, *qui in Symbolo, an ſinguli à ſingulis Apoſtolis editi*. 377. *n.15.*

An juxta Apoſtolorum, aut credendorum potius numerum computandi. *n.16.*

Aſinina *Gnoſticorum & Valentinianorum fabula*. 367. *n.14.*

Aſiniunguius Deus, *uti quem colerent, Chriſtianis exprobratus ab Ethnicis*. 367. *n.14.*

S. Athanaſius *an probaverit Conſtitutiones vulgo Apoſtolicas*. 358. *n.*97., 359. *n.*100.

Ejuſdem de eis, ac de Clementi-

Digitized by Google

tinis, aliiſque libris judicium. 360. *n.*100.

Athei *vel pauciſſimi vel nulli,* 3., *ſeq.*
Pulcre ab Auguſtino capti. 6. *n.*6.
Eorum à communi de Deo ſenſu defectionis vera origo, & craſſa deceptio. 5. *n.*3.

Atheorum *noviſſimi quidam capti ac pœnis addicti.* 4. *n.*1.

Auctor *malorum pœnæ Deus, Diabolus malorum culpæ.* 74. *n.*23.

S. Auguſtinus *Abgari ad Chriſtum & Chriſti ad Abgarum Epiſtolas, ſibi à Dario Comite memoratas, neglexit.* 311.

B.

Babylonis *nomine quid in Epiſtola priori ſua Petrus intelligat.* 235., *ſeqq. Sphanhemius refellitur. ibid. V.* Romam.

Baptiſmum *trina non ſemper immerſione Apoſtoli miniſtrarunt.* 381. *n.*81.

Bar-Coſba, *aliis Barcochebas, Hadriano Principe à Judæis uti Meſſias habitus, ſupplicio ſcelerum pœnas dedit.* 163. *n.*22.

S.Barnabæ *inſcripta Epiſtola aliis olim ſpuria, dubia aliis.* 324. *Quibuſdam Patribus genuina.* 325. *num.* 25. *plane apocrypha.* 324., *ſeq. Sed ejus quis auctor?* 326., *ſeq.*

Baronii *interpretatio Gelaſianæ in Canones Apoſtolicos animadverſionis.* 351. *num.*82. *rejicitur.* 352. *n.*85. *de Antiochenis Apoſtolorum Concilio, & Canonibus aſſertio refellitur.* 361., *ſeq.*

S. Bartholomæus *Apoſtolus idem aliquibus eſt ac Nathanael à Chriſto in Evangelio laudatus.* 325. *n.* 30. *Evangelium Matthæi hebraicum Indis reliquiſſe perhibetur,* 221. *num.*6., 226. *n.*13.

S. Baſilii Magni *pro Traditione inſigne teſtimonium atque argumentum.* 344. *n.*70.

S.Baſilius Seleucienſis *an Auctor Actorum Sæ Theclæ.* 338. *an eorum, quæ Pantinus vulgavit. ibid.*

Baſnagius *Apoſtolis Symbolum; Symbolo ævum Apoſtolicum eripit.* 373. *Latè refellitur.* 378. *ad* 390.

Beli *ſimulacrum fuiſſe primum Idolum, veriſimile.* 23. *n.*11.

Bellarmini *de Apoſtolicorum Canonum auctoritate & numero ſententia.* 346. *n.*74.
Gelaſiani contra eos judicii explicatio. 351. *n.*82. *infirmatur.* 352. *n.*84.

Belli *expeditiones unde & quam piè olim Conſtantinop. Imperatores auſpicarentur.* 242. *n.*41.

Berœæ *à Nazaræis aſſervatum vetus Matthæi Evangelium hebraicum* 227. *n.* 14. *conſuluit Hieronymus, tranſtulitque. ibid.*

S. Bernardo *quæ fuerit Maria, quam Chriſtiferam vocat, uti ad quam ſcripſerit Martyr Ignatius.* 322., *ſeq.*

Beveregii, *& aliorum de Apoſtolicorum Canonum libro ſententia.* 347. *n.*74.

Digitized by Google

Binii *de Canonum Apoſtolicorum auctoritate & numero extrema opinio*. 346.
De Antiochenis item Apoſtolorum Canonibus & Concilio. 361., *ſeq. refutatur*, *ibid.*
Bona *ſine malis eſſe poſſunt, mala ſine bonis eſſe non poſſunt*. 72. *n.*19.
Borboritæ *qui heretici*. 367. *n.*12.
Byzantina *Hodegorum Baſilica quæ & unde dicta*. 242. *n.*41.

C

CÆlatores, *Statuarios, & id genus artificum ex gente ſua habuerint ne unquam Hebræi*. 243.
Calvinus *aurei Vituli hebraicam Idololatriam callide ac falſo interpretatur*. 54. *ad* 60. *Inde cultum ſub imaginibus Deo à Chriſtianis præſtitum perperam damnat*. 61. *n.*15.
Canonum Apoſtolicorum *numerus*. 346. *De iis inter Eruditos contentio*. *ibid.*, *& ſeq.*
Quæ auctoritas quinque prioribus Eccleſiæ ſeculis. 347., *ſeq.*
Quæ ante & poſt eorum à Dionyſio Exiguo Collectionem. 348. *ſeq.*
Omnes ne aut aliquos Gelaſius Papa rejecerit. 351., *ſeq. Turriani, Bellarmini, & Baronii exceptiones*. 351. *n.*82. *excluduntur*. *ibid.*, *& ſeq.*
Nec Apoſtoli Auctores neque Clemens. 350., 351., *ſeq. Neque Firmilianus, aliive cum eo Epiſcopi Iconienſis Concilii*. 354., *ſeq. Et tamen Rebaptizantibus favent*. 350. *num.* 81. *Collectores Clemente Alexandrino poſteriores fuerint, oportet*. 347. *n.*75. *pii aliqui viri*. 353. *Unde illos & qua ratione collegerint*. 353. *n.* 86., 355. *n.* 92. *Hincmari atque Iſidori Hiſpalenſis ſententia*. *ibid.*
Novem alii vulgo Antiocheni rejiciuntur. 361., *ſeq.*
Carpocratiani *una cum Homeri, Pythagoræ, aliorumque Philoſophorum imaginibus, Chriſti imaginem proponebant, colebantque*. 65. *n.*1.
Caſtabolitenſe *quædam, an Dei Mater Bernardo fuerit Maria illa, quam Chriſtiferam vocat, ad quam ſcripſerit Martyr Ignatius*. 322., *ſeq.*
Cave *Guillelmi pro Epiſtola Chriſti ad Abgarum veritate momenta*. 309., *ſeq. V.* Abgari.
Cœleſtini I. *pro communi Symbolo Apoſtolis afferendo teſtimonium*. 374. *n.*9.
Cerdonianorum *de Deo error*. 65. *n.*3.
Certaminis Apoſtolici Hiſtoria *Abdiæ aſſicta, à Wolphango Lazio vulgata, quam fabuloſa*. 345. *n.*73.
Chriſtianæ Religionis Veritas *ex Chriſti auctoris præſtantia*. 187., *ſeqq.*
Ex doctrinæ ſublimitate, & ſanctitate. 191., *ſeqq.*
Ex Martyrum conſtantia ac numero perquam ingenti. 212.
Ex admiranda Fidei propagatio-

Digitized by Google

tione. 204., *ſeqq.*, *per infimæ plebis illitteratos*. 208., *ſeq.*, *citra vim quamlibet*, *hominumque potentiam*. 211. *n*.41., *inter efferatas,imo Potentium perſecutiones*. 212., *ſeq.*
Ex perſeveranti firmitate. 215. *ſeqq.*
Chriſtiana Lex *non uni Populo*, *ſed univerſo homini ad ſalutem neceſſaria*. 89. *n*.18.
Moſaicam non damnat, *ſed abſolvit*. 140.; *imo una eadem cum iſta eſt fine ſpectato*; *non alia niſi* mediorum *varietate*. *ibid.*, & *ſeqq.*
Chriſtiani *Sanctorum uni pro una*, *alteri pro re altera quare ſupplicent*. 47. *n*.38.
Eorum inter & *Paganorum ſacrificia diſcrimen*. 76. *n*.26.
CHRISTUS *Svetonio*, & *Paganis Chreſtus*. 152. *n*.2. *Ejus nominis Tertulliani pro Chriſtianis Interpretatio*. 153.
V. JESUM. *V.* Oraculum.
Circumciſio *inutilis Pauli tempore*, *non mortifera*. 264. *n*.17.
S. Clemens *Petri ſucceſſor an auctor Epiſtolæ Canonicæ ad Hebræos*. 295.
An Liturgiæ ſub ejus nomine vulgatæ. 343. *n*.68.
An Collectionis Apoſtolicorum Canonum. 346., *ſeqq.*
An Conſtitutionum Apoſtolicarum. 356., *ſeq.* *V.* Conſtitutiones.
Clerici *Jo: de Matthæi Evangelio non hebraicè ſcripto ſententia*. 222. *n*.8. *refutatur*. 223., *ſeq.* *V.* Jo. Clerici.
Coloſſis *ac Laodiceæ*, *qui ſparſi errores Simonis Magi Paulum ad ſcribendum excitarint*. 262. *n*.13.
Concilii Epheſini *pro Symbolo Apoſtolis aſſerendo teſtimonium*. 375. *n*.9.
Concilium nullum *ab Apoſtolis Antiochiæ coactum*. 361., *ſeq.*
Conſtitutiones *vulgo Apoſtolicæ num Apoſtolorum fœtus*, *aut Clementis*. 356. *Hæreticorum potius*. 360. *num*.101. *Arrianis certè*, *Macedonianis*, *Manichæis*, *aliiſque Hæreticis favent*. 357. *n*.95., *ſeq.*
Quæ nunc extant, *aut alias an Epiphanius probaverit*. 358., *ſeq.*, *an Cyrillus Hieroſolymitanus*, *ibid.*, *an Athanaſius*. *ibid.*, *an Trullana Synodus ibid.*, *cujus an cogat auctoritas*. 360.
Conventus Antiochenus *ab Innocentio I. laudatus an verum Concilium*. 362.
Corinthiari *quid olim Græcis*. 260. *n*.7.
Corinthiorum, *ad quos Paulinæ Epiſtolæ*, *contentiones atque licentia*. 259. *n*.7.
Corpora *hominum fluminum more rapiuntur*. 159. *n*. 14.
Cum ea materia reſurgent, *qua primo conſtarunt*. 160. *n*.15.
Cyrus *Meſſiæ typus*. 95. *n*.14.

D

DAllæi & *aliorum de Canonum Apoſtolicorum libro ſententiæ*. 347. *n*.74.

Danielis *de Meſſia duplex vaticinium*. *V.* Oraculum.

Darius Comes *Jeſu atque Abgari Epiſtolas Auguſtino commemorat*. 310. *eas ne probaverit Auguſtinus*. 311.

Deorum *Gentilium* falſitas. 25. *n.* 1. 2.

Quod non à ſe, ſed Dii hominum arbitratu. 26., *ſeq.*

Quod eorum geſta Deo prorſus indigna. 28., *ſeqq.*

Quod inhoneſta eorum ſacra. 31. *n.* 9., 42. *n.* 29.

Quod geniti ex ſexuum mixtione perhibentur. 42., *ſeq.*

Ex multiplici de iis opinionum diſcordia. 40., *ſeq.*

Oracula, quæ jactantur, figmenta, ludificationes. 48. *n.* 40. *Dæmonum quandoque conjectationes*. 49. *n.* 41. *Certè aut non vera miracula, aut non ab alio, quam ab uno vero Deo*. 50., *ſeqq.*

Deorum Pluralitatem *ex Chriſtianorum Divina Trinitate tueri perperam Pagani contendunt*. 44. *n.* 32., *ſeq.*

Deorum Minorum *ſub uno Deo Magno communi Patre commentitium ſyſtema refellitur*. 45., *ſeqq.*

Deum Mundum *hunc corporeum qui dixere ex Paganis ſapientiores, impugnantur*. 38., *ſeqq.*

DEUM eſſe, *Philoſophorum ſententia, communis conſenſio, vox naturæ*. 1., *ſeq.*

Clamat rerum adſpectabilium ab alio proceſſio. 7., *ſeq. Mundi fabrica, ordo, concentus*. 9., *ſeqq.*

Unum eſſe, *Mundi unitas ordoque deprædicat*. 13. *n.* 3. 4. *Naturæ item repentini impetus*. 12. *n.* 2.

In Bonum, & Malum, *atque aliter, ex Chriſtianis qui diviſerint*. 64., 65., *ſeqq.*

Imaginibus, *ſuapte natura, uſuve & conſuetudine ad falſum Numen ſignificandum definitis*, eum colere, *Idololatricum*. 54. *n.* 4. *at non iis, quibus Eccleſia*. 61. *n.* 15.

Pœnituiſſe *aliquando*, miſereri, iraſci, zelare, *quo ſenſu intelligendum*. 80. *n.* 34.

DEUS *unus & ipſa Veritas*. 15. *n.* 7.

Hebræorum idem atque Chriſtianorum. 68., *ſeqq.*

Deus hujus Seculi *quis interpretandus*. 77. *n.* 28. 29.

Deutero-Canonici *libri, qui dicantur*. 219. *n.* 1., 270.

Diabolus *malorum culpæ, malorum pœnæ auctor Deus*. 74. *n.* 23.

Dii Gentium *celebriores, qui criminibus inſigniores*. 29. *n.* 5.

Dionis *præclara de injuriis non ulciſcendis ſententia*. 202. *n.* 28.

Dionyſii M. Areopag., *quæ fertur Liturgia, apocrypha*. 344. *n.* 69.

Dionyſius Exiguus *Canonum Apoſtolicorum collector*. 348. *n.* 77. *trigintaquinque poſteriores rejecit*. *ibid.*

Diſcipulis *Evangelia ſcribendi nuſquam à Chriſto præceptum*. 450. *Scripſerunt tamen, ſed quare? ibid.*

Do-

Docitarum *Pſeudo-Evangelium & hæreſis*. 363., *ſeq.*
Sectæ quis princeps. *ibid.*
Dominico die *Paulum, & cum eo plures, tempore Pentecoſtes jejunaſſe*. 359. *n.*98.
Doxologia *Triſagii quando cæperit*. 341. *Facti narratio*. *ibid.*

E

EBionitis *commune cum Nazarenis hebraicum Matthæi Evangelium*. 227. *n.* 15. *à quo tamen plura deleverint illi, non item iſti*. 228. *n.*15.
Eccleſia *in Symbolo Apoſtolorum an quicquam mutaverit*. 382., *ſeqq. Pro Romana egregium ea de re Ruffini atque Ambroſii teſtimonium*. 384. *n.*30.
Eccleſias *Paulus dixit privatas etiam Fidelium domus, exiguoſque Conventus*. 265. *n.*20.
Eccleſiis *à ſe inſtitutis ſacrificandi Ritum aliquem Apoſtolos tradidiſſe, habendum pro certo*. 339. *n.*60.
Edeſſam *urbem ob Chriſti imaginem ab obſidione miraculo liberatam, narrat Evagrius*. 315.
Edeſſeni *Regis Abgari curatio compendio narrata*. 308. *de ejus ad Jeſum, & Jeſu ad ipſum Epiſtola*. 308. *ad* 317.
Edeſſenorum *Acta Abgarum ſpectantia quanti facienda*. 314. *n.*9.
Electa, *ad quam Joannis altera Epiſtola, mulier ne quædam fuerit, an particularis Eccleſia*. 282. *n.*20.
Emmanuel *à Schelestrate circa Libri Paſtoris auctorem S. Hieronymum immeritò notat*. 336.
Epheſii, *ad quos Paulina Epiſtola, Sapientiæ ſtudioſi*. 261. *n.*11.
Epheſini *Concilii pro communi Symbolo Apoſtolis afferendo teſtimonium*. 375. *n.*9.
S. Ephræm *de Abgari Regis curatione commemoratio*. 310. *quam faciat facti fidem*. 315. *n.*11.
S. Epiphanius *Conſtitutiones vulgo Apoſtolicas an probaverit*. 358., *ſeq. Si quas non rejicit, à nunc vulgatis fuerint planè diverſæ*. 359. *n.*98.
Epiſtola B. V. MARIÆ *ad Meſſanenſes*. 318. *n.*18. V. MARIÆ.
Epiſtolæ Jacobææ *quis verus Auctor*. 272.
Apud Veteres quæ auctoritas. 273.
Lutheri in ea carpenda ruſticitas, calliditas, inconſtantia. 274. *Objectiones repelluntur*. 274., *ſeqq.*
Epiſtolæ Joannis primæ *qui ſcopus, quæ auctoritas*. 268. *n.*25. *Ad quos illa, quando, unde data*. *ibid.*
Major aliquando appellata eſt. 280. *n.*16.
Locus ille Cap. V. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo &c. *an intruſus aliunde*. 268. *n.*26. *Eone unquam uſi Patres contra Arianos*. 269. *n.*26. *Cur ergo deſit à tot exemplaribus*. *ibid.* *n.*27.
Secundæ & Tertiæ *quæ apud Ve-*

Digitized by Google

Veteres auctoritas. 280.
Auctor an alius Joannes ab Evangeliſta. 280., *ſeqq.*
Quibus, quando, & unde datæ. 282. n.20.21.
Epiſtolæ PAULI *quo ſermone ſcriptæ fuerint, quo ordine*. 258. n.4.
Quæ præſtantiores. 262, n.14.
Quæ ad Romanos *quid doctrinæ contineat; quo fine, tempore, ac loco data*. 259. n.5.6.
Ad Corinthios primam *quæ ſcribendi occaſio, tempus, locus*. 259. n.7.
De ad Corinthios altera. 260. n.8.
Quæ ad Galatas. 260. n. 9. 10.
Quæ ad Epheſios. 261. n.11.
Quare exactior, cultiorque. ibidem.
Quæ ad Philippenſes. 261. n.12. *Quare blandior. ibid.*
Quæ ad Coloſſenſes. 262.
Utraque ad Theſſalonicenſes. 263. n.15.16.
Utraque ad Timotheum. 263. n.17.
Quæ ad Titum. 264., *ſeq.*
Quæ ad Philemonem. 265., *ſeq.*
Quæ ad Hebræos, *latè à* 285. *ad* 297.
Quæ ſuppoſititiæ. V. Paulus.
Epocha Mahumetanorum. 125. n.2.
Erneſti Grabii *rationes pro Jeſu Epiſtola ad Abgarum*, 309, *ſeq.*
Eſau *pœnitentia non vera*. 290. n.32.
Evangelia ab Hæreticis *ſuppoſita*. V. Pſeudo-Evang. ab Hæreticis.
Evangelia apocrypha. V. Pſeudo-Evang. apud &c.
Evangelia *Juſtinus M. Commentarios appellat Apoſtolorum.* 230. n.17.
Evangelia ſcribendi *nulli à Deo mandatum*. 250. *Aliunde data occaſio. ibid.*
Evangelicæ Legis ſcriptionem *à Deo præceptam contendit Joannes Clericus*. 247. *Refutatur, atque oppoſitum ſuſtinetur. à* 248. *ad* 256.
Evangelii ſecundum Marcum *quis verus auctor, quæ ſcribendi occaſio, qui ſermo, qui locus.* 229. *ſeqq.*
De Capite ultimo *qui dubitarint*. 302.
Qua ratione Marcus ibi, qui mane, cum Matthæo conciliandus, qui Veſperi Chriſti Reſurrectionem conſignat. 304. n.57.58.
Evangeliſtæ Joannis *Hiſtoria, Prochoro uni ex ſeptem Diaconis afficta, commentitia eſt.* 344. *ſeq.*
Evangeliſtis *miracula Chriſti narrantibus fidem negaverit nemo prudens*. 185. *Ita & Chriſti Reſurrectionem prædicantibus*. 154., *ſeqq.*
Evangelium Joannis *quam Vitæ Chriſti partem hiſtoriæ ſuppleat ab aliis prætermiſſam*. 245. n.48. *quare non omnem*. 246. n.49.
Adulteræ mulieris hiſtoria, ali-

Digitized by Google

quibus olim dubia, eidem vindicatur.
V. Joannes.
Evangelium Matthæi. *V.* Matthæi Evangelium.
Evangelium Nazarenorum vetus *idem ac Matthæi hebraicum incorruptum.* 277. *n.*14.15.
*Ebionitis item commune, ſed ab Ebione vitiatum. ibid. n.*15.
Evangelium *non uni Populo, ſed univerſo homini latum.* 88., *ſeq.*
Moſaicæ Legi non adverſatur, imo verò conſentit. 140. *n.*24.
Cum ea una lex eadem eſt, ſine ſpectato, non alia, niſi varietate mediorum. 14., *ſeqq.*
Euſebii Cæſarien. *de Regis Abgari curatione narratio,* 308. *auctoritas expenditur.* 314. *n.*9.

F

Fabula *de Joanne Apoſtolo multiplex ex Pſeudo-Prochoro.* 344., *ſeq.*
Feriarum *nomen cui initium referat.* 320.
Fidem ſine operibus juſtificare, *an & qua ratione aſſerat Paulus.* 275. *n.*7.
Fides & Religio *ſemper eadem hactenus ab initio, variis licet proteſtationibus ſignificata.* 89. *n.*19.
Fides *in Chriſtum ad ſalutem omni ſemper homini neceſſaria.* 87. 88. 89.
Firmilianus *aliique Iconien. Concilii Patres, num Apoſtolicorum Canonum auctores.* 354. *ſeq.*
D. de Marca, & Natalis Alex. ſententia non probatur. ibid.
Florentina *B. Virginis Epiſtola apocrypha.* 323.
Fortunatitæ *qui.* 63. *n.*21.

G

Gajus *ſive Cajus, ad quem tertia Joannis Epiſtola, quinam fuerit.* 280. *n.*21.
Galatæ, *ad quas Paulina Epiſtola, meticuloſi Chriſtiani.* 261. *n.*10.
Quare Judaiſmo addicti. ibid.
Galilæorum *nomen non ante quartum ſeculum Chriſtianis impoſitum.* 361. *n.*102.
Gelaſius *de Chriſti & Abgari Epiſtolis quod judicium tulerit.* 311.
An Collectionem Canonum vulgo Apoſtolicorum totam rejecerit. 351., *ſeq.*
Gentiles *quæ præ ceteris miracula jactarint, quæ oracula.* V. Deorum *Oracula.*
Gentilium *Theologia quotuplex.* 22. *n.*8.
Ingenioſiores *quid pro tuendis Deorum ſimulacris reponerent Chriſtianis.* 35. *n.* 18. *Refelluntur. n.*19., 37. *n.*21. *ſeqq.*, 38., *ſeqq.*
Rudiorum *evaſiones confutantur.* 34. *n.*16. *ſeqq.*
Eorum inter & Chriſtianorum ſacrificia diſcrimen. 76. *n.*26.
Gnoſtici *quæ de Deo fabularentur.* 65. *n.*2.
Eorumdem commentum aſininum. 367. *n.*14.

No-

Digitized by Google

Nominis etymon. 367. *n*. 12.

Grabius Erneſtus *Epiſtolam Chriſti ad Abgarum germanam propugnat*. 309., *ſeq.*

Græci *Deos abſque ſimulacris primum coluere*. 24. *num*. 12.
Eorum, aliarumque Gentium Philoſophi ut ſuis quique vitiis ſorderent. 187., *ſeqq.*

Grotii *Hug. de poſterioris Epiſtolæ Petri vero auctore ſingularis opinio*. 228. *n*. 12. 13. *Rejicitur. ibid.*
Confeſſio ingenua Apoſtolicæ Traditionis in re Liturgica. 339. *n*. 60.

H

HÆreſis *quæ ab Hilario* Infirmitatis *vocaretur*. 306. *n*. 59.

Hæreticus *Traditionem negans, quomodo ſuo etiam ſermone capiendus*. 7. *n*. 7.

Hagira *Mahumetanorum Epocha*. 125. *n*. 2.

Hebdomadum Danielis *quodnam* genus. 91. *n*. 3.
Initium unde deſumendum. 92. *n*. 4. *Opinionum in eo diverſitas minimè juvat Judæos. ibid. ſeq.*

Hebræorum *idem Deus, qui Chriſtianorum*. 68., *ſeqq.*
Religio *olim vera*. 81., *ſeqq.*
Regiminis *hiſtorica Synopſis*, 100. *ſeqq.*
Idololatria *multiplex*. 54., 62. *ſeqq.*
Preces *in Chriſtianos crudeliſſimæ*. 193. *n*. 12.

Neomenia *initium menſis*. 318.
Qui Vitulum in deſerto adoravere, *non eos falſum Ægyptiorum, ſed verum Deum Iſrael in illo, ſicut in imagine coluiſſe, Voſſii & Sectariorum poſt Calvinum callida interpretatio refutatur*. 54. *ad* 60. *Inanis item atque irrita, quæ ne minimum quidem Catholicos lædat*. 61. *n*. 15.

Hegira. *V. Hagira*.

Henricus IV. *Francorum Rex ad Calviniſmum ejurandum quo argumento adductus*. 150. *n*. 39.

Hermas *Pauli diſcipulus Libri Paſtoris auctor, non Hermes Pii I. Rom. Pont. frater*. 336. V. Paſtoris.

Herodes *Hebræuſne an alienigena*. 107. *Scaligeri de eo ſententia refellitur*. 109., *ſeq.*
Templi inſtaurator, *non à fundamentis auctor*. 121.
Meſſias *ab Herodianis habitus*. 108. *n*. 42., 111. *n*. 48., 163. *n*. 22.

Herodiani. V. Herodes.

Heterodoxorum *opiniones de Canonibus vulgo Apoſtolicis*. 347. *n*. 74.

Hevæ *Evangelium apud Gnoſticos*. 367. *n*. 12.

Hieroſolymitanum *Templum reparavit Herodes, minimè à fundamentis erexit*. 121.

Hilarii *pro communi Symbolo Apoſtolis aſſerendo teſtimonium*. 374. *n*. 7.

Hincmari *opinio de Canonibus vulgo Apoſtolorum*. 353. *n*. 86.

Hiram *cælator à Tyri Rege Salomo-*

Digitized by Google

moni miſſus, Tyriuſne fuerit genere an Hebræus. 243.
Hiſtoria Certaminis Apoſtolici, Abdiæ Babylonio attributa, quam fabuloſa. 345. n.73.
Hiſtoria Joannis Apoſtoli, Prochoro uni ex ſeptem Diaconis Apoſtolicis adſcripta, nugarum plena. 344., ſeqq.
Hiſtoria Paſſionis S. Petri, & S. Pauli altera, Lino Papæ affictæ. 345. n.72.
Hiſtoria Sanguinei Chriſti ſudoris à Catholicis abraſa olim ex Evangelio, & quare. 305, ſeq.
Hodegorum, quæ Conſtantinopolis erat, Baſilicæ notitia. 242. n.4.
Homouſion, & Theotocon voces adhuc ante Nicænum atque Epheſinum Patres uſurparunt. 341.
Hugo Grotius. V. Grotius.
Hymnus Domini apocryphus liber CHRISTO ipſi aſſictus. 317. n.15.

I

S. JAcobi Apoſtoli Liturgiam qui recipiant. 340. n.52.
Qui rejiciant. ibid. n.53.
Ab objectis vindicat Card. Bona. 341. n. 64. an proſpere. ibid. n.65.
Epiſtolam. V. Epiſtolæ Jacobeæ.
Jacobi Patriarchæ de Meſſia vaticinium. V. Oraculum Jac.
Jacobus Epiſtolæ Canonicæ auctor unuſne Diſcipulorum Chriſti, an Apoſtolorum, & quinam. 272.
Idola non Dii ſunt. 23., ſeq.
Non per quæ Deus. 35. n.16. 17., non Angeli loquerentur, docerent, invocarentur. n.18. 19.
Non ſigna rei adorandæ. 37. n.22.
Idololatriæ notio. 17., 19, Origo, Proceſſus, Diverſitas. 19. 20., ſeqq.
Quæ interna & phantaſtica. 22. n.9.
Quæ externa, ſine ſimulacris una, ſimulacrorum altera. 23. 23. ſeq. quando cœperit. ibid.
Idololatria Hebræorum multiplex. 54., 62., ſeqq.
Jejunare Sabbato Ambroſii ævo Romanis ſolemne. 350. n. 81.
Contra Orientalium praxim per ſecula plura ſervatum. 356. n.94.
Die Dominico, & quovis tempore, acceptum Deo. 359. n.98.
JESUM Nazarenum ſub Auguſto ac Tiberio vixiſſe. 151., ſeqq., Cruci affixum, mortuumque. 153., ſeq., ac vere à mortuis ſurrexiſſe, negaverit nemo prudens. 154., ſeq.
Vaticinia Chriſtum ſpectantia in ipſo impleta. 165., ſeq.
Verus ipſe Deus & Homo. 180. ſeqq.
Joſephi de eo teſtimonium celeberrimum. 151. n.1.
Oraculis Ethniciſmo probatoribus commendatur. 190. n.6.
Nullo vel ab hoſtibus crimine notatus. ibid.

Non legem ſcripſit ipſe ſuam. 247., 309., *non aliis ſcribendam, ſed ore tradendam mandavit*. 247., *ſeq*.
V. Chriſtum. *V*. Oraculum.
S. Ignatii *Mart. Epiſtolæ ad Mariam ſpuriæ*. 322.
Imagines B. MARIÆ V. *an Lucas pinxerit*. 241., *ſeqq*.
Illam Conſtantinopolim delatam. V. MARIÆ.
Impietas magna *paucorum*, *uti & Pietas magna*. 4. *n*.1.
Indictionum *Notæ quando cœperint*. 319.
Infirmitatis *quam hæreſim vocaret Hilarius*. 306. *n*.59.
Inimicus *qui eſt, ſibi amicum reddere, animi eſt vere regii*. 202. *n*.28.
Injuriarum *remittendarum præclara ex Dione commendatio*. *ibid*.
Joannes Apoſtolus *trium Epiſtolarum auctor*. V. Epiſtolæ Joannis.
Apocalypſin deſcripſit. V. Apocalypſin.
Evangelium item omnium noviſſimus. 244., *quo ſermone, quo ſtylo*. *ibid*., *quo tempore & loco*. 245. *n*.47. *Scribendi occaſio duplex*. *ibid*. *n*.48.
Ad prædicandum quæ ei pars obvenerit. 244. *n*.46.
Relegatio, *Revocatio*, *Obitus*. *ibid*.
Joannis Clerici opinio *de Evangelicæ Legis ſcribendæ mandato Chriſti*. 247.
Refutatur; prædicandi ſcilicet Evangelii præceptum legimus, ſcribendi non legimus. 247. *n*.51.
Verſatile ingenium detegitur. *ibid*. *n*.52.
Exceptio. *n*.51. *dilemmate capitur*. *n*.52.
Ex Petri item expoſitione de ſibi à Chriſto imperata Redemtionis teſtificatione. 249. *n*.52.
Ab oppoſito de Veteri ſcribenda Lege mandato. *ibid*. *n*.53.
Ex nulla Apoſtolis cura ſcribendi. 250. *n*.53. *Eorum verò, qui ſcripſere, alia prorſus à præcepto cauſa ſcribendi*. *ibid*.
Alia ex Chryſoſtomo hauſta ratione. *ibid*. *n*.54.
Triplex, quo nititur, argumentum. 247., *ſeq*. *refellitur*. 251, *ad* 256.
Priori occurritur. 251. *n*.55.
Occurritur alteri. 252. *n*.56.
De Evangelicæ puritatis prætenso periculo callidus timor excutitur. *ibid*. *Neque ullum, niſi in una, quam metuit, Traditione tutum refugium*. *ibid*. & 355. *n*.59. *ea inveniendum tutiſſima methodo*. 254. *ſeqq*., *quæ non recens, ſed vetus eſt doctrina & praxis Eccleſiæ*. 253. *n*. 57., 254. *ſeqq*.
Ultimum momentum diluitur. 256. *n*.60.
Joannis Marſhami *de Danielis vaticinio interpretatio notatur, ac multis modis redarguitur*. 93., *ſeq*.
S. Iſidori *Hiſpalenſis de Canonibus vulgo Apoſtolicis ſententia*. 356. *n*.92.
Iſidorus Mercator *alter Apocry-*

Digitized by Google

phorum parens. 250. *num*. 79.
Itinerarium Petri *apocryphum*. 364.
Judæorum *olim Religio vera*. 81. *ſeqq*.
Quæ ſecta Chriſti temporibus. 205. *n*.25.
Meſſiæ ſub idem tempus expectatio. 162. *ſeq*.
Fabulæ in Chriſti miracula ineptiſſimæ. 183. *n*.56. *refelluntur*. 5.47. *ſeq*.
Politiæ Synopſis hiſtorica. 100.
Judæ Proditoris *Evangelium Cajanis ſolemne*. 365.
Judas Epiſtolæ *Canonicæ auctor an Apoſtolus, qui & Thaddæus*. 284. *Grotii opinio notanda rejicitur*. *ibid*.
S. Juſtino *Martyri in Chriſtum credendi quod argumentum*. 213.

K

KAlendæ *Romanis initium menſis*. 318.

L

LAconum *inſtituta ad unam pene vim bellicam collineabant*. 193. *n*.12.
Laodicenſibus *an ullam Paulus Apoſtolus Epiſtolam ſcripſerit*. 329. *ſeq*.
Quæ circumfertur, apocrypha. *ibid*.
Lapillus *ſtatuam Nabuchodonoſoris comminuens Chriſti typus fuit, regnique ejus*. 96., *ſeqq*.
Legni *Sylveſter & Julius Atheorum noviſſimi mitius Romæ depoſito errore damnati*. 4. *n*.1.
Leonis Magni *pro communi Symbolo Apoſtolis aſſerendo teſtimonium*. 375. *n*.10.
Lex Vetus *quoad moralia perſeverans, quoad cetera præcepta quare ſublata*. 76. *n*.27.
Bona eſt, non tamen perfecta. 83., *ſeqq*.
Data eſt ut gratia quæreretur: *Gratia data eſt ut lex impleretur*. 86. *n*.12.
Salutem dabat non de ſe, ſed ex Fide & gratia Chriſti Mediatoris. *ibid*.
Ligabat non omnes Gentes ſed ſolam Judaicam quoad addita legi naturæ. 87. *Sed quare ſolis illa Iſraelitis, Lex verò Chriſtiana univerſo homini lata?* 88. *ſeq*.
Libertini *olim plures Judaiſmo nomen dabant, & quare*. 238. *n*.35.
Liber *Paſtoris*. V. Paſtoris.
Libri *ab Hæreticis* ſuppoſiti Divo Petro. 363.
D. Paulo. 366.
DD. Andreæ, Joanni Evang. *& aliis*. *ibid*.
DD. Philippo, Bartholomæo, Thaddæo, Matthiæ, Barnabæ.
Judæ proditori. *ibid*. 365.
D. Stephano. 366.
Hevæ Evangelium. 367.
Evangelium Veritatis. *ibid*.
De Ortu Virginis. *ibid*.
De Infantia Salvatoris. *ibid*.
MARIÆ Interrogationes Magnæ: Interrogationes Parvæ. 368.

Digitized by Google

De Tranſitu MARIÆ. *ibid.*
Libri apud Catholicos *apocryphi*. *a* 308. *ad* 362.
Chriſto ſuppoſiti. 308.
B. Virgini. 318.
Petro. 338.
Paulo. 329., 330., 336.
Jacobo. 328., 340., *ſeq.*
Matthæo. 343.
Duodecim Apoſtolis. 343., 346., 361.
Barnabæ. 323., 343.
Marco. 342.
Nicodemo. 328.
Clementi. 343., 346. 356.
Dionyſio Areopag. 344.
Lino, Prochoro, Abdiæ *Babylonio*. 344.
Libris Nov. Teſt. *Chriſtianorum doctrinam contineri*. 219. *n.*2. *Eorum alii Proto-canonici, alii Deutero-canonici*. *ibid.* *n.*1.
Proto-canonici *auctoribus, quorum inſcribuntur, aſſerendi*. *ibid.* *n.* 3. 4. *de iis*. *a* 219. *ad* 270.
De Deutero-canonicis. *a* 270. *ad* 307.
Linus *Hiſtoriarum Paſſionis Divi Petri & D. Pauli fictitius auctor*. 345. *n.*72.
Liturgiæ *notio*. 338. *n.*59. *Aliquas Apoſtolos Eccleſiis à ſe inſtitutis tradidiſſe, habendum pro certo*. 339. *n.*60. *Grabii & Grotii ingenua confeſſio*. *ibid.*
Liturgiæ Veteres, *quæ circumferuntur, an probandæ*. 338.
Quæ Petri *inſcribitur*. *ibidem*. *n.*61.
Quæ Jacobi. 340., *ſeq.*
Quæ Matthæi. 343. *n.*67.
Quæ Duodecim Apoſtolorum *ibid.* *n.*68.
Quæ Barnabæ. *ibid.*
Quæ Marci. 342. *n.*66.
Quæ Clementis. 343. *n.*68.
Quæ Dionyſii *Areopag.* 344. *n.*69.
Quæ Miſſa Æthiopum. 343. *n.*67.
S. Lucas *Pauli diſcipulus, & peregrinationum comes*. 239. *num.* 36.
Quo genere, Patria, Religione. 238. *n.*35.
Evangelium ſcripſit. 239. *n.*37. *ſcribendi occaſio*. *ibid.*, *tempus, locus*. 24. *n.*38. *Locus de ſudore Chriſti ſanguineo an intruſus*. V. Sudorem ſanguineum.
Actuum Apoſtolorum Scriptor. 240. *n.*38., 257.
Imagines B. V. eum pinxiſſe, vulgata opinio. 241. *n.*40. *Ab Hæreticis perperam ridetur*. *ibid.* & *ſeqq.*
Epiſtolæ ad Hebræos an dicendus auctor. 295.
Luciferi *Calaritani pro communi Symbolo Apoſtolis aſſerendo teſtimonium*. 374. *n.*8.
Lucii Ann. Senecæ *ad Paulum, & ad ipſum Pauli Epiſtolæ num genuinæ*. 330., *ſeq.*
Lucilius quidam *atheus pertinax Tholoſæ combuſtus*. 4. *n.*1.
Lutherani *Epiſtolam ad Hebræos Novatianis uti faventem carpunt*. 288. *n.*29. *Refelluntur*. 289.

Ma-

Digitized by Google

M

Magicus Liber *Chriſto affi-ctus*. 317. *n*.15.

Mahumetanæ Sectæ Origo, *Propagatio*. 124.
Mores & inſtituta, 125., *ſeq*. *Vaticinia ex Vet. & Nov. Teſtam. jactata*. 138., 143.
Quam falſo atque inepte. 144., *ſeq*.

Mahumetana Religio *falſitatis convincitur*. 128. *ad* 151.
Quod vetet omnem de ſui veritate quæſtionem. 128., *ſeq*.
Ex admiſſis ab Auctore Mahumete. 130. *ad* 136.
Quod lex ejus mendax, atque in Deum blaſphema. 136., *ſeq*.
Quod ante Mahumetem vera aliqua Religio extiterit. 137., *ſeqq*. *Exceptio Mahumetanorum*. 138. *rejicitur*. 139., *ſeq*.
Quod nullis confirmata ſignis. 145. *Reſponſiones Sectariorum impugnantur*. 146., *ſeqq*.
Quod doceat, quemque in ſua quavis ſecta ſalutem conſequi poſſe. 149., *ſeqq*.

Mahumetanorum Epocha, *quam Hagiram vocant*. 125. *n*.2.
Miracula *falſo jactata*. 148. *n*.37.

Mahumetes *quis, cujas, qualis*. 124., *ſeq*.

Malorum culpæ *Diabolus, malorum pœnæ auctor Deus*. 74. *n*.23.

Manichæorum *de Deo blaſphemia*. 67. *n*.7.

Manna *plenum vas, ac virga Aaron; unquamne aut juxta Arcam Fœderis, aut intus ſervata*. 293., *ſeq*.

Marcioni *commune cum Catholicis Evangelium Lucæ, in nonnullis tamen ipſe mutavit*. 228. *n*.15.

Marcionitarum *de Deo error*. 66. *n*.5.

S. Marcus *Petri diſcipulus Evangelii Scriptor*. 229. *n*.17.
Quod illi genus. 230. *n*.18.
Quæ ſcribendi occaſio. 229. *n*. 17. *quæ dictio*. 231. *n*.21.22.
Qui locus. 231., *ſeqq*. *Valeſii opinatio*. 234. *n*. 26. *rejicitur n*.27. *ſeqq*. *Spanhemii argutationes refutantur*. 332., *ſeqq*.
Liturgiæ *cujuſdam auctor falſo vulgatus*. 342. *n*.66.

MARIÆ V. Imaginem *à D. Luca depictam, Antiochiæ primum, dein Conſtantinopoli ſervatam*. 242. *n*.41., *quam pie colerent Imperatores*. *ibid*.
De *glorioſa ejus* in cœlos Aſſumtione *Fulberti judicium*. 268.
Epiphanii ſententia. 370. *probata Eccleſiæ Traditio*. *ibid*.
Epiſtola ad Meſſanenſes. 318. *n*.18. *commentitiam ipſa ſe prodit*. 319., *& Lucæ ſilentium & verba*. 320. *n*. 20. *Exceptiones n*.21. *præcluſæ*, 321 *ſeq*. *Rejicitur argumento ex Eccleſiaſtica Traditione petito*. 322. *ex ſupremæ Inquiſitionis decreto*. 318.
Epiſtola ad Ignatium *Martyrem fingitur*. 322. *uti ad* Florentinos *alia*. 323.

Ma-

Digitized by Google

Maria *quænam illa, quam Chriſtiferam Bernardus vocat, uti ad quam ſcripſerit Martyr Ignatius*. 322., *ſeq.*
Matthæi Evangelium *aliis olim ſecundum Hebræos*. 221. *n.*5. *à D. Matthæo Apoſtolo editum*. *ibid.*, *& ſeq. Hebraicis litteris, & ſermone Syriaco, ſeu Syro-Chaldaico conſcriptum*. *ibid.* *Joannes Clericus negat*. *ibid.* *at refellitur*. 223., *ſeqq.*
Idem quod Nazaræorum Beræenſium Vetus. 227., *ſeq.*
Ebionitæ recipiebant, ſed ab Ebione maculatum. *ibid.* *n.*15.
Græcum exemplar antiquiſſimum. 228. *n.*16. *quo interprete, & quando exaratum, maxime incertum*. *ibid.*
Hebraicum vetus periit. *ibid.*
Illi, quod Tillius & Munſterus edidit, quæ fides? *ibid.*
Quæ Syriaco, quod extat? *ibid.*
Liturgia, *quæ & Miſſa Æthiopum, fictitia eſt atque erronea*. 343. *n.*67.
Medicina *ars olim Romæ ſervilis*. 328. *n.*35.
Menſis initium *Hebræis Neomenia, Romanis Kalendæ*. 318., *ſeq.*
Meſſanæ Paulum *aliquando fuiſſe*. 320., *ſeqq. negatur*. *ibid.*
Meſſanenſis *B. V. Epiſtola*. V. MARIÆ.
Meſsiam quemdam *natum quo die dirutum Templum, nec tamen hactenus apparuiſſe, Judæorum quorundam fabula*. 164. *n.*24.
Geminum alii commenti ſunt, ex Tribu Joſeph unum, ex ſtirpe Davidis alterum. 171.
MESSIAM, *quo tempore natus eſt Chriſtus, cum Judæi tum Gentes expectabant*. 162. *ſeq.*
Fore Deum, *Scripturarum, ac Rabbinorum, teſtimonia confirmant*. 174., *ſeqq. Imo & Judæorum, Chriſto in terris agente, vulgaris opinio*. 179. *n.*50.
De eo prædictiones *Jacob, Danielis, Aggæi, Malachiæ*. V. Oraculum.
Miracula *à Gentilibus falſo jactata*. V. Deorum.
Miſſa Æthiopum, *quæ & Liturgia Matthæi, apocrypha eſt atque erronea*. 343. *n.*67.
Molochitæ *qui*. 64. *n.*24.
Mundi fabrica, *ordo, concentus Deum prædicat*. 9., *ſeqq.*, *ac Dei Unitatem*. 13. *n.*3. *ſeq.*
Mundum hunc *adſpectabilem qui Deum eſſe commenti ſunt, Paganorum ſapientiores, refutantur*. 38., *ſeqq.*
Muſcaronitæ *qui*. 62. *n.*18.
Muſoritæ *qui*. 63. *n.*19.

N

NAbuchodonoſoris *ſomnium Chriſti ſignum, Regnique ejus*. 96., *ſeqq.*
Nathanael *à Chriſto laudatum ipſum eſſe Bartholomæum Apoſtolum, aliquorum ſententia eſt*. 325. *n.*30.
Natura univerſa *in unitate conſentit*. 13. *n.*3.
Natura omnis *bona*. 72. *n.*19.
Nazarenorum *Vetus Evangelium*

Digitized by Google

lium parum Matthæi Hebraicum. 227., ſeq. Hieronymus conſuluit, ac tranſtulit. ibid.
Ebionitis commune, ſed ab Ebione vitiatum. ibid. n.15.
Religio verè Chriſtiana, quamquam Legalia ſervarent. 228. n.15.
Neomenia Hebraici menſis initium. 318., ſeq.
Ninum Beli filium primum fuiſſe ſimulacrorum ſuperſtitioſe colendorum auctorem, veriſimilius. 23. n.11.
Nicæni II. tempore ſtatuarum in Eccleſiis uſus nondum obtinuerat. 362. n.102.
Novatianis Epiſtolam ad Hebræos favere, Lutherani contendunt. 288. num. 29., irrito conatu. 289.

O

Oblationes & ceteræ Veter. Teſt. legales in Deum obſervantiæ cur in Nov. Teſt. ſublatæ. 76. n.27.
Obſervationis vanæ plura exempla ex Auguſtino. 18. n.3.
Oneſimus, à Paulo Philemoni commendatus, qui, & quantus in fide. 265. n.20.21.
Ononychitis uti Chriſtianorum Deus ab Ethnicis in ludibrium vulgatus. 367. n.14.
Oracula à Gentilibus jactata. V. Deorum Gent.
Oracula Meſſiam ſpectantia in JESU Nazareno impleta. 165. ſeqq.
Judæorum objecta repelluntur. 167. ſeq.
Oraculum Aggæi de Chriſto. 121. n.64.
Ex eo Meſſiam veniſſe, demonſtratur. ibid.
Hebræorum reſponſiones impugnantur. 122., ſeqq.
Oraculum Danielis ex Cap. IX. 90. ſeq. explicatur. 91. n.2.
Harduini & Jo: Marshami interpretatio notatur, ac pluriſariam redarguitur. 93., ſeq.
Aliorum item ea de re damnandus error. 94. n.11.
De Cyro inepte interpretantur Hebræi recentiores. 95., ſeq.
Alterum ex Cap. II. de Chriſti regno. 96. ſeqq. Auguſtinus eleganter ut valide interpretatur. 98. n.21.
Oraculum Jacobæum. 99. n.33.
Ejuſdem lectio varia. ibid. varia interpretatio. 100., ſeqq.
Quid Sceptri quid Ducis nomine intelligendum. ibid.
Quid Judæ nomine. 102. Opinio ſextuplex. ibid. ſexta magis arridet. 106., ſeq. vindicatur. 111. ſeq.
Impletum circa Jeſu nati tempora. 107. n.40. Meſſiamque veniſſe inde conficitur. 113. n.51.
Grotii ratiocinium minime probatur. ibid. n.52.
Evaſiones Hebræorum præcluduntur. 114., ſeqq.
Oraculum Malachiæ. 121. Meſſiam veniſſe inde confirmatur. ibid.
Judæorum exceptiones repelluntur. 122., ſeqq.

Pa-

Digitized by Google

P

Paganorum *ſyſtema de Diis pluribus ſub uno Deo Magno communi Patre refellitur*. 45.
Oracula, portenta &c. V. Deorum Gent.
Eorum inter & Chriſtianorum ſacrificia diſcrimen. 76. n.26.
Papiæ *de Matthæi Evangelio hebraicè ſcripto teſtimonium contra Joannem Clericum ſuſtinetur*. 223. n.9.
Patrum iniquitatem *punit Deus in filios, & filios filiorum, adhuc ex miſericordia*. 75. n.24.
Paſtoris Liber *cujus olim auctoritatis*. 332.
Nunc apocryphus. 333. n.48. *nec tamen noxius*. 334.
Non Novatianis favet. *ibid.* n.51. *non Arianis*. 335. n.52.
Carpitur à Tertulliano. 332., *ſed minimè audiendus qui ſam tum Montaniſta*. 334. n.50.
Hermæ *Pauli diſcipulo, non Hermeti Pii II. R. Pont. fratri tribuendus*. 336. n.54.
S. PAULI *Apoſt. genus, religio, res geſtæ, obitus indicantur*. 258. n.3.
Scripta recenſentur. 258. *ad* 266.
Epiſtolas per concives eorum, ad quos dabat, mittere conſuevit. 265. n.18.
Epiſtolam ad Hebræos *illius fœtum eſſe, Veterum pauci dubitarunt*. 286. n.25., *affirmarunt Græcorum plurimi, Latinorum celebriores*. 287. *Cum iis aſſeritur*, *ibid. vindicatur*. 288. 295., *ſeq.*
Ea an hebraicè primum ſcripta. *ibid. unde data*. 296. *num.* 44. *quodque ejus argumentum*. 297.
A Lutheranis carpitur. 288. *uti Novatianis favens*. 289., *uti Arianis, Socinianis, atque Unitariis*. 291.; *quæ item infirmis utatur argumentis*. 292. 294. n.38.; *quod mendax*. 293. *Singula refutantur citatis locis*.
Treſdecim Epiſtolæ *aliæ*. V. Epiſtolæ Paulinæ.
Ad Laodicenſes *quæ extat Epiſtola an apocrypha*. 329., *ſeq.*
Ulla ne fuerit unquam data vel miſſa. *ibid.*
Epiſtolæ, *quæ feruntur*, ad Senecam, *& Senecæ ad ipſum an genuinæ*. 330. *an aliquas ſaltem aliquando invicem ſcripſerint*. *ibid.*
Apocryphis accenſenda: Raptus, *ſeu* adſcenſus Pauli: Acta Pauli. 366. *num.* 9. Acta *item* Pauli & Theclæ. *ibid.* Hiſtoria Paſſionis Pauli *Lino affi̇cta*. 345. n.12.
Meſſanæ *illum aliquando fuiſſe*. 320. *ſeq.*, *negatur*. 321., *ſeq.*
S. Petri Chryſologi *de Fidei Symbolo præclara ſententia*. 379. n.20.
S. PETRUS Apoſt. *Græce ne an Latine Evangelium docuerit*. 232. n.22.
Prior Petri Epiſtola *Catholica quare dicatur*. 267.
Poſterior Epiſtola *an dubiæ*

ali-

aliquando auctoritatis. 277.
Iiſdem miſſa eſt, quibus prior. 279. *eamdemque ob cauſam*. *ibid.*
Auctor ejus idem ac prima Petrus ipſe Apoſt. 278. *n.* 12. 13.
Grotii ſingularis opinio rejicitur. *ibid.*
Liturgia, à Sirleto Card. *reperta, commentitia eſt, atque illi falſo adſcripta*. 339. *n.*61.
Apocrypha *item illi attributa*: Evangelium: Actus: Apocalypſis, *atque* Itinerarium. 363. *ſeq.*
Apocrypha Paſſionis Petri Hiſtoria *S. Lino afficta*. 345. *n.* 72.
Philonis *Hebræi de Deo Trinitati favens doctrina*. 196. *n.*19.
Pictores, *Statuarii*, *Cælatores*, & *id genus artifices fuerint ne olim apud Hebræos*. 243.
Pietas magna *paucorum*, *uti* & *impietas magna*. 4. *n.*1.
Platonicum convivium. 194. *n.* 14.
Pœnitere, *miſereri*, *iraſci*, *zelare Deum, qua ratione dicatur*. 80. *n.*34.
Poetarum *fabulæ ſunt, quæ plura Pagani narrant*, & *facta Deorum* & *Dii*. 29. *n.*6. *ſeqq.*
Portenta *ac cetera à Gentibus pro Deorum cultu jactata*. V. Deorum Gent.
Præcepta Vet. Teſt. *quæ in* Novo *retenta ſint, quæ ſublata*. 76. *n.*27.
Cur antiquata cæremonialia & moralia non item. *ibid.*
Prædicatio *Apoſtolis præcepta, non ſcriptio*. 247. *ad* 256.
Joannes Clericus latè refellitur. *ibid.* V. Joannis Clerici.
Prochoro *uni ex ſeptem Diaconis falſo adſcribitur Hiſtoria de Joanne Apoſtolo commentitia*. 344. *ſeq.*
Pſeudo-Evangelia ab Hæreticis *olim vulgata*. 363. *ad* 367.
Petro unum attributum, Docitis in uſu. 363. *ſeq.*
Thomæ aliud, Manichæis familiare. 364.
Philippo aliud à Gnoſticis. 365.
Alia aliis. *ibid.*
Quin & Judæ Proditori ſuum Cajanis probatum. *ibid.* *n.*8.
Evangelium Perfectionis, & *Evangelium Hevæ*, *Gnoſticis accepta*. 367. *n.*12.
Evangelium Veritatis à Valentinis confictum. *ibid.* *n.*13.
Pſeudo-Evangelia apud Catholicos. 327. *ſeq. Evangelium ſecundum Hebræos idem ac illud Matthæi, quod Ebionitas interpolaſſe, cenſent non pauci*. 327.
Evangelium quoddam ſecundum Ægyptios, quo Sabelliani utebantur. 328. *n.*36.
S. Jacobi Proto-Evangelium. *ibid.* *n.*27.
Evangelium Nicodemi. *ibid.*

Q

QUareſmii *opinio de loco editi ab Apoſtolis Symboli*. 377. *n.*14.

R

Rabbinorum *quorumdam Trinitatis Myſterio favens doctrina*. 197. *n*.20.
Ranatitæ *qui* 62. *n*.17.
Rebaptizantibus *aperte conſentire videntur Canones vulgo Apoſtolorum*. 350. *n*.81.
Regiminis Hebraici *Synopſis hiſtorica*. 100., *ſeqq*.
Regnum Chriſti *Nabuchodonoſoris ſomnio præmonſtratum*. 96., *ſeqq*.
Religio Chriſtiana *quam latè quam citò per Orbem propagata*. 204., *ſeqq. Efficax inde atque pulcherrimum Auguſtini argumentum*. 310.
Ejuſdem Veritas. V. Chriſtianæ Religionis Veritas.
Religio Hebræorum *olim vera*. 81., *ſeqq*.
Religionis *natura, atque etymologia*. 1., *ſeq. In ejuſdem negotio duo potiſſima*. *Præfat. init*.
Religio vera *ubi quærenda*. *Præfat. poſt init*.
Nunquam varia, varii licet ritus, ſacrificia &c. 89. *n*.19.
Remphanitæ *qui*. 64. *n*.23.
Reſurrectionem *prorſus impoſſibilem nulla ratio convincit*; *Deo auctore poſſibilem ſuadet multiplex argumentum*. 157., *ſeqq. Imo ne quidem Philoſophos latuit*. 158. *n*.12., 161. *n*.18.
Quod eam Orbis crediderit, mirum; quo eam credidit, modus mirabilior. 210.
Rhodii *Andreæ Ord. Præd., contra Græcos in Florentina Synodo diſputantis, de communi Symbolo Apoſtolis aſſerendo ſententia*. 375.
Ritum *Sacri faciendi aliquem Eccleſiis à ſe inſtitutis, Apoſtolos tradidiſſe, habendum pro certo*. 339. *n*.60.
Romam *Babylonis nomine tegi in Epiſtola priore Petri, mirum, quod Proteſtantes nolint*. 267. *n*.24.
Romanæ *Indictionis nomen quando cœperit*. 319.
Romani *Deos abſque ſimulacris multo tempore coluere*. 22. *n*.9.
Romanis *Ambroſii tempore jejunare ſolemne*. 350. *n*.81. 99. *in plura ſecula contra Orientalium praxim cuſtoditum*. 356. *n*.94.
Romanorum, *ad quos Paulina Epiſtola, de prælatione diſſidium*. 259. *n*.5.
Ruffini *de communi Symbolo Apoſtolis aſſerendo ſententia*. 375.

S

Sabbato *jejunare*. V. Romanis.
Sacrificia *Paganorum inter & Chriſtianorum quodnam diſcrimen*. 76. *n*.26.
Sacrificium Chriſti *non crudelitatis, ſed Divinæ juſtitiæ atque amoris ſignum*. 199. *n*.23.
Sanctimonialium *alia, atque Veſtalium virginitas*. 16. *n*.26.
Sanctorum uni *pro una, alteri pro re altera Chriſtiani cur ſupplicent*. 47. *n*.38.
Sanguinei *Chriſti Sudoris hiſtoriam*

riam referens locus Lucæ aliquibus olim dubius, jure Canoni inſertus. 305., *ſeq.* V. Sudorem.

Scaligeri *de Herodis genere opinio.* 107. *refellitur.* 109., *ſeq.*

Scheleſtrate *Emmanuel, circa Libri Paſtoris auctorem, S. Hieronymum immerito notat.* 336.

Scriptio Veteris Legis *præcepta, Novæ præcepta Traditio.* 249. *ſeqq.*
Opinio Jo: Clerici refutatur. V. Jo: Clerici.

Scythianus *Manichæiſmi præformator.* 67. *n.* 7.

Senecam *plures Epiſtolas ad Paulum dediſſe, ab eoque viciſſim recepiſſe, vetus opinio.* 330., *ſeq. an probanda.* 331. *quæ nunc extant eorum ad invicem Epiſtolæ num genuinæ.* ibid.

Severianorum *circa Deum deliramenta.* 67. *n.* 8.

Simonis Magi *qui errores Coloſſis, ac Laodiceæ, Paulum ad ſcribendum excitarint.* 262. *n.* 13.

Simulacrorum *cultus quando inter Gentes cœperit.* 23. *n.* 11.

Socrates *Græcorum laudatiſſimus perquam impotens iræ.* 187.

Statuarii, *Cælatores, & id genus artifices num olim apud Hebræos.* 243.

Statuarum *in Eccleſiis uſus ante Nicænum II. nondum obtinuerat.* 361. *n.* 102.

S. Stephani *Apocalypſis commentitia Gnoſticis accepta.* 366. *n.* 12.

Sudorem Chriſti *Sanguineum referens Lucæ locus plurimis è Codicibus olim à Catholicis abraſus.* 305. *quare?* ibid.
Perperam eo Ariani abutebantur. 306. *n.* 8.

Superſtitioſæ *obſervantiæ exempla ex Auguſtino plurima.* 18. *n.* 3.

Symbola *Chriſtianæ Fidei quatuor.* 372. *n.* 3.

Symboli *etymon duplex.* 371. *Apoſtolorum ſymbolo aptum utrumque.* 372.

Symbolum *vulgo Apoſtolorum an verè ab Apoſtolis ore traditum.* 372.
Heterodoxi quid ſentiant. ibid. *& ſeq.*
Orthodoxi jure aſſerunt. 373.
Conſtans de eo Patrum Traditio. 374., *ſeqq. ab Hæreticis temere rejecta.* 376. *n.* 13.
Primum ex Baſnagio argumentum negans. 378. *infirmatur.* ibid., *& ſeqq.*
Secundum dilemmate ductum ex ſcopo momentum. 381. *diluitur.* ibid. *& ſeqq.*
Tertium ex mutatis in ſymbolo. 382. *depellitur.* 383., *ſeqq.*
Quartum iterum ex ſcopo ratiocinium. 388. *diſſolvitur, atque in adverſarium regeritur.* ibid. *& ſeqq.*
Ultimum ex Conſtantinopolitani, non Apoſtolici Symboli inter celebrandum recitatione derivatum inconveniens. 389. *ſubmovetur.* ibid., *& ſeq.*
Quando & ubi *editum.* 376., *ſeqq.*
Singuline *ſingulos articulos Apoſtoli tulerint.* 377.

Digitized by Google

Articuli *an juxta credendorum potius, quam Apoſtolorum numerum computandi*. 377., *ſeq.* Unquamne *ſymbolo quicquam demtum, additumve*. 382. *ſeq.* *Quid de illo*: Deſcendit ad Inferos. 387. *n.* 33.

T

TAlionis *pœna limes fuit, non fomes furoris*. 75. *n.* 25.
Templum *Hieroſolymæ ab Herode reparatum, non à fundamentis erectum*. 121.
Tertulliani *pro communi Symbolo Apoſtolis aſſerendo teſtimonium*. 374. *n.* 7.
Idem jam Montaniſta quam pudicè de Eccleſia. 332. *n.* 41.
Teſt. Vet. *præcepta quæ in Novo retenta, quæ ſublata*. 76. *n.*27. *V.* Lex Vetus.
S.Theclæ *Acta apocrypha*. 336., *ſeq. an quo ad omnia rejiciantur*. 327.
Theologia Gentilium *quotuplex*. 22. *n.* 8.
Theotocon *&* *Homouſion voces ante Ephesinum adbuc atque Nicænum Patres quandoque uſurparunt*. 342. *n.* 64. 65.
S. Timotheus *Pauli Diſcipulus cujas fuerit, non una ſententia*. 263. *n.* 17. *à Paulo circumciſus, atque Epheſiorum Epiſcopus conſtitutus, tametſi junior*. 264. *n.* 17.
Tophetitæ *qui*. 63. *n.* 22.
Traditionis Apoſtolicæ auctoritatem *ſimpliciter qui negaret, quam facilè ſuo ſermone capiatur*. 7. *n.* 7.
Vis, atque Utilitas *pro Fidei puritate cuſtodienda*. 252., *ſeq. Aptiſſimis ab Irenæo exemplis illuſtratur*. 253. *n.* 57.
Et inter ſcripta, & inter varias quoque Traditiones ipſa diſcernit. 252. *n.* 56. *ſua nimirum adeſt veræ à ſpuriis ſecernendæ certa, ac tuta methodus*. 254., *ſeq., ad ipſas quoque de Scripturis Divinis dirimendas lites, ex neceſſitate ſervanda*. 255. *n.* 59.
Neque recens ea, ſed à prioribus ſeculis vetus Eccleſiæ doctrina. 253., *& ſeqq.*
Neceſſitas *amplior, altiuſque petenda, quam illa Scripturarum*. 248. *n.* 51. 250. *n.* 54.
Munus *Apoſtolis à Chriſto mandatum, non mandatum munus ſcribendi*. *V.* Jo: Clerici. In re Liturgica *Grabii & Grotii ingenua confeſſio*. 339. *num.* 60.
Triſagii *recitatio quando cœperit*. 341. *n.* 64. *Facti narratio. ibid.*
Triſmegiſti *Hermetis pronunciatum de Dei unitate*. 16.
De origine Simulacrorum. 24. *n.* 12.
Deorum ſyſtema. 36. *n.* 20.

V

VAlentiniana *hæreſis quantum delira*. 65. *n.* 4.
Vanæ obſervationis *aliqua ab Auguſtino exempla facete res cenſita*. 18. *n.* 3.
Vaticinia Meſſiam *ſpectantia*. *V.* Oraculum.

Va-

Vaticinia Deorum *apud Paganos.* *V.* Deorum Gent.

Venerem Deam uti execratur Antiſtenes. 48. *n.* 39.

Veritas *Chriſtianæ Religionis.* V. Chriſtianæ Religionis Veritas.

Veſpaſianus Cæſar pro Meſſia ex Lege promiſſo à Joſepho pronunciatus. 162. *n.* 20.

Veſtalis qua ope ingentem navim cingulo traxerit, uti & quæ cribro aquam geſtavit. 51. *Quin ea fuerint vera miracula, nil certe vetat.* 52.

Veſtalium *longe diverſa, atque Sanctimonialium virginitas.* 76. *n.* 26.

Vet. Teſtamenti *idem Deus, qui Novi Teſt.* 68., *ſeqq.*
 Præcepta. V. Lex Vetus.

Vindictam *in inferentem minimè regerere, præclarum opus.* 202. *n.* 28.

Virga Aaron, *ac Manna vas plenum unquamne juxta Arcam Fœderis, aut intus cum Tabulis ſervarentur.* 293. *ſeq.*

Vitæ Apoſtolorum *apocryphæ ſub Abdiæ Babylonii nomine editæ.* V. Wolphangi.

Vitia ipſa *nullam eſſe teſtantur Naturam malam.* 72. *n.* 19.

Vituli aurei *in deſerto Hebræi adoratores, qua ratione idololatriam peccaverint.* V. Hebræorum.

Unum omnino DEUM *Mundi creatio, gubernatio, unitas, atque ordo pronunciant.* 13., *ſeq.*

Unum *quod eſt apud multos, non eſt erratum, ſed* Traditum. 256. *n.* 59.

Voces *Homouſion, ac Theotocon adhuc ante Nicænam, & Epheſinam Synodum aliquando Patres adhibuere.* 341. *ſeq.*

Voſſius, *aliique poſt Calvinum, ut falsò, callidè, ſed irritò, adverſus cultum Deo ſub imaginibus à Catholicis præſtitum, hebraicam aurei Vituli idololatriam interpretentur.* V. Hebræorum.

Wolphangi *Lazii, quæ fertur editio Hiſtoriæ Certaminis Apoſtolici ſub Abdiæ Babylonii nomine, à* Paulo IV. *quam merito rejecta.* 345., *ſeq*

X

Xenophanis *de formarum atque animorum in Diis varietate narratio.* 48. *n.* 39.

Xerſes *quod Templa ſuſtulerit vel à Calvino damnatus.* 62. *n.* 15. *In Calvinum inde Catholicis argumentum pro uſu Imaginum. ibid.*

Z

Zelare, *iraſci, miſereri, pœnitere Deum, quanam ratione dicatur.* 80. *n.* 34.

Zoroaſter *quid de mortuorum reſurrectione conjiciat.* 161. *n.* 18.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

Pag.	*lin.*	ERRATA	CORRIGE.
18.	16.	vatiarum	vanarum
47.	1.	inſra	infra.
52.	12.	& ſi	etſi
66.	27.	Ecaleſiæ	Eccleſiæ
67.	33.	quotumdam	quarumdam
68.	35.	quia	qui
75.	16.	non rependeret	rependeret
80.	15.	per turbati	perturbati
100.	10.	Pro	Pro quo
143.	12.	promittit	permittit
152.	37.	tumultuante	tumultuantes
205.	14.	nequo	neque
246.	32.	tertium	trigeſimum
309.	31.	conſigunt	conſingunt.
356.	17.	veritas	uuitas.
399.	9.	quas	quos

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google